




REGINÆ ERVNT NVTRICES TVÆ
Reg:
Coll: Oxon,
ROBERTVS EGLESFIELD CLERICVS
Munificentia
Roberti Mason S.T.P.



TAYLOR INSTITUTION
DOMI NUS ILLU MINA TIO MEA


COLL · REG
BIBL



TORQVES ET CLENODIA SODALITATIS B. MARIÆ VIRGINIS
BRANDENBVRGICÆ
ex monumento Annæ Oelhafiæ natæ Pfintzingiæ
A. 1505.

SCRIPTORES
RERVM BRANDENBVRGENSIVM
QVIBVS
HISTORIA
MARCHIAE BRANDENBVRGENSIS
EIVSQVE
VARIAE MVTATIONES ET TRANSITVS RERVM AB ORIGINE GENTIS AD NOSTRA VSQVE TEMPORA RECENSENTVR ET ILLVSTRANTVR.

TOMVS I.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM
Imp. IO. CHRISTIANI KLEYBII
MDCCLI


TORQVES ET CLENODIA SODALITATIS B. MARIÆ VIRGINIS
BRANDENBVRGICÆ
ex monumento Annæ Oelhafiæ natæ Pfintzingiæ
A°. 1503.

SCRIPTORES RERVM BRANDENBVRGENSIVM

QVIBVS

HISTORIA MARCHIAE BRANDENBVRGENSIS

EIVSQVE

VARIAE MVTATIONES ET TRANSITVS RERVM AB ORIGINE GENTIS AD NOSTRA VSQVE TEMPORA RECENSENTVR ET ILLVSTRANTVR.

TOMVS I.




FRANCOFVRTI AD VIADRVM

IMP. IO. CHRISTIANI KLEYBII

MDCCLI



COLL. REG. OXON. BIBL.



LECTORI BENEVOLO

S.

Tandem Te, BENEVOLE LECTOR, poſt aliquod temporis intervallum, ſalutat Pars IV. *Scriptorum Rerum Marchiae Brandenburgenſis* et Tomum I. Collectionis hujus efficiens TUO ſe judicio ſubmittit. Cauſas moræ


TORQVES ET CLENODIA SODALITATIS B. MARIÆ VIRGINIS
BRANDENBVRGICÆ
ex monumento Annæ Oelhafiæ natæ Pfintzingiæ
A. 1505.

SCRIPTORES

RERVM BRANDENBVRGENSIVM

QVIBVS

HISTORIA MARCHIAE BRANDENBVRGENSIS

EIVSQVE

VARIAE MVTATIONES ET TRANSITVS RERVM AB ORIGINE GENTIS AD NOSTRA VSQVE TEMPORA RECENSENTVR ET ILLVSTRANTVR.

TOMVS I.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM

IMP. IO. CHRISTIANI KLEYBII

MDCCLI

Parte hac I. continentur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]


[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



LECTORI BENEVOLO. S.




Ndecorum eſſet BENOVOLE LECTOR, Te in limine vel paucis non alloqui, ſed Te non morabimur. Non enim Encomium Hiſtoriæ cujusvis ſcribemus, nec excurremus in laudes Hiſtoriæ Patriæ. Factum hoc jam eſt plurimum ab in-


geniis ſummis, qui vero ejusmodi eſt prædi-
tus ingenio, ut præſtantia omnis Hiſtoriæ non capiatur, nec Hiſtoria Patriæ oblectetur, eum ab omnibus literis alienum eſſe arbitramur. Habemus jamdudum *Collectionem Scriptorum Hiſtoriam Marchicam illuſtrantium*, Auctore GEORGIO GOTHOFREDO KUSTERO(*) cujus vero maximam partem, cum Opuſcula idiomate Germanico ſcripta conſtituant, nos animum induximus, *Scriptores de Rebus Marchiæ Brandenburgenſis* Latio ſermone exaratos colligere, utqve hæc, quam inſtituimus, Col-
lectio

(*) Vir hic Clariſſimus, ut quis maxime unquam ad illuſtrandam & exornandam Hiſtoriam Marchiæ Brandenburgenſis contulit, & conferre modo laborat. Debemus enim ipſius Operæ & induſtriæ, præter eam, de qua ſermo eſt, *Collectionem*, *Antiquitates Tangermundenſes Nicol. Leutingeri Opera*, *Memorabilia Colonienſia*, nec non Altes und Neues Berlin. Et jam in Bibliotheca Scriptorum Hiſtoriæ Brandenb., conſcribenda occupatur, cujus maxima exſpectatio tenet omnes, qui Hiſtoriam Patriæ amant.

lectio NICOLAI LEUTINGERI Operibus tanquam Continuatio commode jungi possit, eam, qua Prima jam Pars prodit, formam præoptare placuit. Plura in præsentiarum de Instituti nostri ratione addere non visum, cum agere, quam dicere præstet.

Vale B. L. & cœptis nostris fave.





I.

GEORGIUS SABINUS Brandeburgi, patre Consule BALTHASARE SCHULERO natus A. MDVIII. juvenis se Wittebergam contulit, ibique literis, quæ ab elegantia et humanitate nomen habent, Philippo Melanchtone moderatore, optime imbutus, iter in Italiam suscepit, ex qua redux inter Consiliarios ALBERTI Cardinalis et Electoris Moguntini cooptatus est. A. MDXXXVI. matrimonium contraxit cum ANNA MELANCHTONIS filia. Post biennium ætatis anno trigesimo ad munus docendi publicum in Academia Francofurti ad Viadrum a JOACHIMO Electore Brandeburgico vocatus, eam & scriptis & nominis celebritate valde ornavit. Comes JOACHIMI Electoris cum Comitiis Ratisbonensibus A. MDXLI. interesset, ab Imperatore CAROLO V. nobilitatis dignitate & ornamentis condecoratus est. Cum eum in Italia peregrinantem non modo poëtica laurea donasset, equestrisque ordinis dignitate insignivisset, sed etiam in Sacri Apostolici Palatii, & Aulæ Lateranensis Comitem A. MDXXXIV. jam creasset HIERONYMUS ALEANDER Archiepiscopus Brundusinus. Exacto Francofurti sexennio abiit in Prussiam, ibique fundatæ ab ALBERTO I. Duce Regiomonti Academiæ A. MDXLIV. primus Rector renunciatus, consilio & auctoritate eam optime ordinavit & constituit; Sed contentionum & turbarum, quæ in dies gliscebant, parum patiens, illam, impetrata ab ALBERTO I. discedendi venia reliquit, repetiitque Francofurtum, eamqve Academiam, tribus aliis, quæ Virum tanti nominis habere gestiebant, præ optavit & maxime celebrem reddidit; inter consiliarios Electoris præcipuos relatus,

 deli-

deliberationibus & consiliis de rebus gravissimis semper fuit adhibitus, unde factum est, ut ipsi Legati munus in Italiam decerneretur, in quo obeundo Florentiam versus, febris eum quartana corripuit, qua debilitatus, in patriam redire festinat, & reversus Francofurtum, quindecim dierum intervallo, A. MDLX. diem obiit. Plura jam addere non conuenit. Vitam enim ipsius, mores, ingenii fœtus, & quæ ad matrimonia liberosque ejus pertinent, nec non qua gratia & auctoritate apud Germaniæ Principes valuerit, ea omnia inquam magno cum studio a diversis auctoribus conquisita & eleganter memoriæ tradita, in quadam hujus collectionis parte olim leges.

Scriptum, quod in præsentiarum vides, quodque alia Historiam Marchiæ Brandenburgensis illustrantia juxta ordinem rerum sequentur, Cl. AUCTOR Observationis IX. Tomi VIII. Observ. Select. Halens. se non vidisse ac rarum esse fatetur, eamqve ob causam Vir alius Cl. & AUCTOR Observationis XVI. dicti Tomi, recudi illud et Tomo huic VIII. pag. 468. inseri curavit. Adjectum vero est Scriptoribus Rerum Germanicarum, quos olim REINERUS REINECCIUS collegit & Francofurti ad Mœnum 1581. Fol. edidit.

Præcipuum quidem locum inter scripta Choro-Topographica sibi vindicaret NICOLAI LEUTINGERI Topographia Marchiæ. Ea vero cum inter Opera Leutingeri, quorum duas habemus luculentas Editiones, jam exstet, & quidem in Cl. KUSTERI Editione Tom. II. pag. 1110. multis additamentis illustrata, non decet alienam in messem falcem immittere, hocqve illis, qui patriæ historiam amant, indicasse sufficiat.

L. GEOR.




I.

GEORGIUS SABINUS

DE APPELLATIONE, SITU, MORIBUS AC POPULIS MARCHIÆ BRANDEBURGENSIS.

SUMMARIA.

Unde vox Marchiæ derivanda §. I. *Eam esse Germanicam haud probabile. Marchiarum Germaniæ origo.* §. II. *Marchiæ Brandeburgensis situs & natura.* §. III. *Ejusque populi & incolæ.* §. IV.



§. I.

MArchiæ nomen alii a Marcomiro, Francorum Duce, alii a Marcomanis deducunt, quos aliquando rerum potitos esse constat eo loci, ubi Principatus est Brandeburgensis; non nulli factum putant, vel a Marca dictione Germanica, quae limitem significat, vel

vel a Marcisia, Celtico vocabulo, quo Equitum ala significatur: nam (ut Pausanias scribit) veteres illi Celtæ, qui fuerunt in exercitu Brenni, alam equitum sua lingua Marcisiam dixerunt. Mihi videtur vero esse nomen Græcum et corruptum. Nomarchia enim Græce dicitur provincia, unde prima syllaba ablata haud dubie natum est hoc vocabulum, Marchia: estque introductum (ut opinor) ex urbe Constantinopolitana, aut eodem tempore cum Exarchatus cœpit aut paulo post. Nam translata Imperii sede, nomina magistratuum mutata & plerumque Græca pro Latinis usurpata sunt. Etenim Consul Romanus tum novo & inusitato vocabulo, urbis Dux appellatus. Vicarius Imperatoris in Italia, Exarchus: Provinciæ item, quæ olim Consulares & Prætoriæ erant, dici cœperunt aut Ducatus aut Nomarchiæ, aut Toparchiæ, aut Catapanatæ. Ea deinde nomina inclinante mox imperio corrupta sunt: nam Apuliæ quædam pars a Frontone flumine ad Aufidi ripas, quæ tum dicta erat Catapanata, eo quod a Catapanis præfectis gubernabatur, hodie immutatis literis Capitinata dicitur, quiqve Capitanus fuerat, nunc vulgo appellatur Capitaneus.

§. II.

Hanc opinor veram esse originem hujus appellationis, multa enim vocabula hoc modo depravata sunt, ac quamvis non negarim, ea quæ de Limitaneis in Codice Justiniani leguntur, ad Germanicæ vocis etymologiam scite accommodari posse, tamen non videtur mihi verisimile, omnes imperii Romani provincias tam cupide amplexas esse titulum Germanicum, eumqve usurpasse multo ante, quam in ipsa Germania usurparetur. Nam certe constat, in Italia jam tum extitisse Marchiam Tusciæ Eporregiæ, Veronæ, Aqvileiæ & alias plures, cum nulla

la adhuc Marchia esset in tota Germania. Ac primus omnium Henricus Auceps provincias Germaniæ in Marchias descripsit: is enim expulsis Vandalis, Marchiam Brandeburgensem, & devicto Gormone, Danorum rege, Marchiam Slesvicensem in Dania constituit. Quin etiam ex annalibus Austriæ, constat, Marchiam orientalem iisdem temporibus, regnante videlicet Henrico, in Austria exortam esse. Nam deficiente Carolorum stirpe, cum Rudigerus quidam occupasset superiorem Pannoniam, quæ tum temporis ad Francorum regnum pertinebat, ac non ita multo post ille sine virili prole extinctus esset, Henricus Auceps hanc provinciam a regno Francorum, veluti membrum a corpore, divulsam attribuit Leopoldo, principi Sueviæ, sororis suæ marito, eumque Marchionem Austriæ nominavit. Non est autem adhibenda fides imperitis annalium scriptoribus, qui tradunt amplius trecentis annis ante Ottonem Magnum extitisse Marchiones Austriæ & Bavariæ. Nam Cuspinianus Divi Maximiliani Imperatoris Historicus, cui Austriacorum Principum origo fuit notissima, vocat Leopoldum hunc primum Austriæ Marchionem, cui Richardis, Henrici Imperatoris soror fuit nupta. Cum igitur certum sit, ante tempora Henrici nullam in Germania Marchiam, in Italia vero plurimas extitisse, non facile adducor, ut credam, originem hujus nominis esse Germanicam. Nam Mysnensis, Antverpiana, Badensis, Juliacensis, Bergensis, Lusatiæ, Moraviæ & ceteræ Marchiæ, quæ in Germania numerantur, sub Imperatoribus, Othone secundo, Friderico primo, Ludovico Bavaro & Carolo quarto exortæ sunt. Sed de appellatione hactenus, de qua tamem suum cuiqve judicium relinquo.

§. III.

Inter omnes vero Nomarchias, seu Marchias Germaniæ, principatus Brandeburgensis ut vetustate, ita etiam dignitate ac potentia eminet: nam inter septem viros Germaniæ, qui jus creandi Cæsarem habent, Marchio Brandeburgensis locum tenet, ac Romani Imperii Archi-Camerarius dicitur. Patet hic principatus tam in longitudinem quam latitudinem iter ferme septem dierum. Ab occasu Saxones, a septentrione Cimbros & Pomeranos, deinde ab oriente Polonos & a Meridie Slavos seu Vandalos attingit. Ipsa regio plerisque in locis arenosa, sed vini & frugum fertilissima est. Multis irrigatur fluviis, atqve adeo piscosis, ut in Saxoniam, Mysniam, Turingiam, Boiemiam pisces inde evehantur. Ex fluviis inclyti & navigabiles sunt Albis, Havelus Suevus, Odera & Varta. Præter hos sunt amnes etiam non ignobiles, Rhenus & Ucarus, quorum ac colæ Rhenani & Ucarici dicuntur. In omnibus excepto Albi, nascuntur plurimum lupi, percæ, melanuri, anguillæ & cancri. His enim piscibus Marchia præcipue abundat. Albis vero cum sit omnium minime piscosus, tamen mullum & salmonem gignit, quibus ceteri fluvii carent.

§. IV.


Genus hominum ejusmodi, in quo adhuc priscos mores & asperitatem Germaniæ agnoscas. Nobiles militaribus disciplinis & venationibus dediti sunt, atqve inter Germanos equites magnopere laudantur. Plebeii, ex familiis honestioribus nati, plerumque mercatores sunt, aut frumentarii, aut pecuarii, aut colunt vineas. Rustici omnes in libertate educati sunt: tota enim Marchia neminem habet servili conditione natum. Sermo ex va-

linguæ dialectis constat, sed proxime accedit ad idioma Saxonicum. Ceterum hic principatus ex diversis ac præstantibus populis coaluit, nempe ex Teutonibus, Suevis, Cimbris, Vandalis, Gothis, Francis & Saxonibus, estque divisus in Veterem, Mediam, Novam & Ucaricam Marchiam, in Ducatum Crosnanum & partem Lusatiæ, item in Comitatum Ruppinensem & regionem, quæ Prignissa dicitur. Veteris & mediæ Marchiæ primævi incolæ fuerunt Suevi & Teutones, antiquissimi & nobilissimi Germanorum. Hi ad Havelum & Albim, illi ad Oderam & Suevum habitarunt: inde enim Sprea dictus est olim Suevus, quod a Suevis circum colebatur. Nova etiam Marchia & Ducatus Crosnanus fuit Suevorum: Nam eorum fines usque ad mare Germanicum extendebantur. Qui in Ucarica Marchia, & Prignissa & Comitatu Ruppinensi ante natum Christum habitarunt, primum Cimbri, deinde Wilci appellati sunt, propter immanem latrocinandi consvetudinem: Cimber enim veteri Germanorum lingva prædo, & Wilcus Vandalice lupus dicitur. At vero Teutones, assumtis in societatem Cimbris, de sedibus suis transierunt, ac post multas clades populo Romano illatas, a Mario deleti sunt in Gallia ad aquas Sextias. Suevi quoque sedes suas mutarunt belli temporibus, eamque partem Germaniæ occuparunt, quæ est inter Rhenum, Alpes & Lycum, sive aeris & cœli clementia capti, sive ab Augusto Cæsare eo translati. Scribit enim Suetonius, Augustum Cæsarem Germanos ultra Albim submovisse, & ex iis Suevos & Sicambros dedentes se, traduxisse hos in Galliam, illos in agros Rheno proximos. Ita vetus regnum & nomen Suevorum, Teutonum, & Cimbrorum in his locis extinctum est, quæ partim a Marcomannis, Quadis & Vandalis, partim a Gothis,

this, partim etiam a Francis & Saxonibus postea sunt occupata, atque inter hos assiduis bellis de principatu decertatum est: nunc enim hi, nunc illi rerum potiti sunt: Donec Henricus Auceps Marchionem illic constituit. In hac igitur provincia quanquam crebræ mutationes factæ sunt, tamen remanere reliquias præstantissimarum gentium, non dubium est.



II.



II.

MARTINUS SCHOOCKIUS Trajecti ad Rhenum natus A. MDCXIV. ibique Professor Linguam Græcam & Latinam docuit; Anno MDCXXXVIII. Daventriæ Locum Professoris Historiarum, Eloquentiæ, Linguæ Græcæ & Geographiæ obtinuit; mox Gröningæ Munus Professoris Physices & Logices consecutus est, discessit tandem Francofurtum ad Viadrum ab Electore FRIDERICO WILHELMO M. Professor Historiographus & Consiliarius renunciatus: Obiit ibidem MDCLXV. De Scriptis ejus vide Allgemeines Historisches Lexicon de Mart. Schoockio, quibus Fragmentum hoc & Curriculum Vitæ Serenissimæ LOUYSÆ Conjugis Electoris FRIDERICI WILHELMI. M. addi possunt.

Ad hoc potissimum, non vero ad Hendrich quod succedit Fragmentum collineasse videtur Celeberr. *Christoph.* Becmannus in Præfatione, quam Kehrbergs historischer Beschreibung der Stadt Königsberg in der Neumarck præmisit, ubi refert; Electorem FRIDERICUM WILHELMUM M. multa millia thalerorum erogasse, ut exactam & omnibus numeris absolutam nancisceretur Marchiæ Brandenburgensis Historiam, Sed Sumptuum horum fructum tulisse manca aliquot & mutila Folia.

Existimari posset, Scriptum hoc inter eos auctores fuisse referendum, qui ingenere de Marchia Brandenburgica sunt commentati. Sed cum illud sicuti HENDREICHII, quod se-

ſequitur, Fragmentum ſit, & utrumque circa primos Marchiæ populos tantum & incolas verſetur, atque in ejus initiis & originine ſubſiſtat, hoc protisſimum loco id inſerendum cenſuimus, & ob rerum varietatem paragraphis diſtinximus.

Fragmentum hoc cum maxime exornet Deſcriptio Marchiæ a CAROLO IV. Cæſare inſtituta, ipſeque Imperator plurimum Tangermundæ in veteri Marchia cum aula moratus ſit, haud incongruum erit, Epiſtolam ex MSto addere, quæ in illa tempora incidit, quæque literas ejus Seculi, mores & negotia aulæ Imp. indicat. Inſcriptio ita habet:

NOVA DE GESTIS CAROLI IMPERATORIS IN MARCHIA BRANDENBURG, ET DE EJUSDEM FILIIS SIGISMUNDO ET JOHANNE.

Reverendo in Chriſto Patri Domino Lamperto Argentini Epiſcopo, Domino ſuo cariſſimo.


Venerabilis Pater, Domine precipue. Hee ſunt nova Curie de preſenti. Sciatis quod Dominus Ceſar convocatione facta Nobilium & Civitatum tam regni Bohemie quam Marchie Brandenburgenſis in Jubyn circa diem ſanctisſime Trinitatis preteritum, fecit in-

interdictum regnum Boemie & Marchiam perpetuam unionem pro bono Statu terrarum. Item in quatuor locis cum Principibus circumsedentibus universis, puta in Nova Marchia & trans Oderam cum Stetinensi & Magnopolensi Ducibus, sed & in superioribus partibus Albee versus Hartz, cum eodem Magdeburgense VVenceslao Duce Saxonie, Misnensibus Marchionibus & nonnullis Nobilibus Harcensibus, circa Lusatiam autem cum eisdem Dominis & Comitibus de Anhalt pacem constituit ad triennium generalem, & nunc est in Mittenvvalde dispositurus de quibusdam fortalitiis conservandis pro defensione Marchie supra dicte. Reliquit etiam pueros suos Sigismundum pariter & Johannem in Tangergermunde, ubi castrum solempnibus structuris instaurat pro mansione congrua eorumdem, eis deputans Dominum Lubucensem Episcopum in provisorem in ejus absentia & totius Marchie Cancellarium generalem. Redunit insuper successive bona per Marchiones obligata & per Dei gratiam sibi omnia succedunt ad vota, postquam autem de singulis convenienter disposuerit, ad iter versus Alamanniam continuo se movebit. Verum est, quod volebat esse cir-

ca diem ſancti Jacobi nunc futurum in Nuremberg, ſed aliquibus negotiis retardatus venire non potuit, veniet tamen ſicut proponit circa diem adſumptionis Virginis glorioſe. Nec veſtram paternitatem latent, quod Duces Magnopolenſes & illi de VVenden, qui abſente dicto Domino Ceſare hominibus ſuis de Marchia multa dampna intulerant, Regis Boemie facti perpetui ſunt Vaſalli, & jam unus ex illis de VVenden eſt de cottidiana familia Ceſaris, ſecum Alamanniam tranſiturus. Super ceteris Johannes familiaris veſter vos poterit oretenus informare. Datum Mittenvvalde die vigeſimo Julii. Veſter de Bozuania Nicolaus.



II. LI-



II.

LIBER PRIMUS HISTORIAE MARCHIO-BRANDENBURGICÆ Antiquæ.

EPITOME EIUSDEM.

§. I.


Brevis Præfatiò. Serenissimo Electori multæ Provinciæ parent: Sermo potissimum tamen futurus de solâ Marchia. Arduum est Historiam Marchiæ scribere §. II. *Marchia quomodo â Carolo IV. Imp. divisa fuerit.* §. III. *Divisio hac arguit regionem hanc ante 300. annos & pluribus urbibus, & arcibusque instructam; & incolarum potentium frequentia conspicuam fuisse.* §. IV. *Suevi primi hujus regionis inquilini fuerunt, qui ad Germanos pertinuerunt. Germani prius dicti sunt Celtæ. Nomen Celtarum & generaliter & speci-*

cialiter accipitur. §. V. *Unde originem Germani, qui & Celtæ, trahunt. Tuisto an fuerit, & qualis fuerit? Tuisto videtur fuisse Ascbenaz filius Gomeri. Germani fuerunt dicti Teutoni ceu Theutones. Nomen Theutonum antiquius nomine Germanorum. Germanorum nomen Romani ipsis imposuerunt. Germania olim latissime patuit. Quomodo illa dividi consueverit.* §. VI. *Primi Marchiæ incolæ Suevi qui fuerint? Suevia antiqua a moderna admodum distincta est. Suevi olim inter Germanos potentissimi erant.* §. VII. *Inter Suevos nobilissimi Semnones, qui in media Marchia sedes habuerunt. Hi Duce Brenno non modo in Italiam penetrarunt, Romam excepto Capitolio, occuparunt: Sed in Asiam quoque progressi, cum frustra Apollonis Delphici templum tentassent, Bysantium usque delati Galatarum genti originem præbuerunt.* §. VIII. *Brennum Germanum fuisse probatur. Plures inter Germanos Brenni illustres fuerunt. Quisnam ex illis Brennaburgum, vulgo Brandenburgum dictum condiderit? Quidam ex militibus a Brenno per seditionem digressi in Asia longe lateque terrorem circumtulerunt, atque Galatarum gentem in tres partes dividendam condiderunt. Frustra Livius est, quando hos Gallos fuisse putat. Galli olim tam fortes habiti non fuerunt, atque Germani: Suevi reliquis Germanis tantum præstant, quantum Germani aliis gentibus. Tolistobojus Bojorum Rex e Suevis oriundus fuit.* §. IX. *Suevi omnibus expeditionibus interfuerunt, quas olim Germani extra patriam susceperunt: Theutoni agnosci debent non modo Germani omnes, sed speciatim illi, qui in Marchia Sedes suas habuerunt. Hi graviter, variisque vicibus Romanorum Imperium afflixerunt, a Mario licet afflicti, cui & honorificum admodum fuit, Germanos, maxime Suevos vicisse. Servili bello duce Spartaco concitato & gesto licet Germani & Suevi*

interfuerint, Germanorum tamen atque Suevorum virtus decus suum tuita fuit §. X. Julius Cæsar Gallia magnam partem occupata ab Ariovisto Germaniæ Rege neglectus fuit & quod Germanum decebat, Ariovistus responsum dedit. Victus a Cæsare Ariovistus fuit non tamen debellatus. Capta fuerunt Ariovisti Uxores, quarum altera Sueva, sed curavit minus, quod centum Suevorum pagi, ipso Cæsare trepidante ad Rhenum castra posuissent. Julius Cæsar Suevos nunquam ausus fuit aggredi. Unde postea eosdem æstimavit Cæsar Augustus, atque non modo habuit in exercitu, quem contra Antonium duxit: sed & inter Triumphi oblectamenta ostentavit. Fabulis accensendum, quod multi tamen perbibuerunt, Julium Cæsarem, cum Rhenum transiisset, septem urbes condidisse, a totidem Planetis nomen habentes, interquas quoque fuerit Soltwedel in veteri Marchia. §. XI. Quid æstimandum sit de Lolliana clade per Suevos potissimum illata, & qualiter illa Augustum affecerit. Octavius Augustus bellum Germanicum Claudio Druso commisit. Suevi ab illo victi non fuissent, nisi spes prædæ eos excæcasset. An Civitas Soltwedel sive a Longobardis, sive a Julio Cæsare condita a Druso munita fuerit. Inquiritur in proprium nomen hujus civitatis. Quo mortis genere Drusus obierit. Notatus Aventinus. Drusi memoria ab excessu Germanis quoque terribilis. §. XII. Tiberius qui Octavio Augusto successit reliquias belli Germanici confecit. Notatur Paterculus res a Tiberio in Germania gestas nimium extollens, simul geminus ejusdem error. Quibus artibus instructus fuit Maroboduus, dum studet acquirendo universa Germaniæ regno. Prudenter se composuit adversus Romanorum vim §. XIII. Quomodo a Maroboduo delusus fuerit Tiberius, quem Augustus in Germaniam miserat. Cladis Varrianæ Historia. Arminius atque

Segi-

Segimerus artibus singularibus Q. Varum circumvenerunt. Quanta clades Variana fuerit; Minorem tamen illam reddidit L. Asprenatis virtus atque prudentia Lucii Cadicii. §. XIV. *Romani post cladem Varianam tota Germania exturbati fuissent, nisi de principatu ipsius inter se Arminius atque Maroboduus contendissent. Quare Arminius præ Maroboduo populo Germano acceptior fuerit? Utriusque oratio ad milites, cum illos in aciem eduxissent. Cæsus ab Arminio Maroboduus fuit, atque a Tiberio in Italiam evocatus Ravennæ obiit. Servatus fuit, ut Suevis Germanorum fortissimis terrori esset. Ut a Suevis securus esset Tiberius, eos, simul reliquos Marobodui socios ultra Danubium locavit. Arminius brevi post Maroboduum mortuus est.* §. XV. *Caligula Suevis infaustum bellum intulit. Italus sub Claudio Imp. Cheruscis Rex datus quali ingenio fuerit.* §. XVI. *Quæ Romani præterea sub Claudio Imp. in Germania gesserint. Vannius a Druso Suevis præpositus pellitur: quæ nam caussa fuerit. Ansibariorum interitus. Bellum inter Hermunduros & Cattos.* §. XVII. *Per Suevorum Regem Sidonem & Italum Vespasianus Imperium consecutus fuit. Motus in Germania per Civilem & Sabinum excitati.* §. XVIII. *Quæ contra Germanos gesserit Domitianus. Nunquam is domuit Marcomannos, licet hoc perhibeat Statius.*





II.
HISTORIÆ MARCHIO-BRANDENBURGICÆ
Antiquæ
LIBER PRIMUS.



§. I.

AUspiciis Serenissimi atque Potentissimi Electoris Brandenburgici FRIDERICI WILHELMI, Domini mei Clementissimi, res Marchicas neutiquam juxta exactiores Historiæ leges hactenus ab aliis, qui tamen hoc quam accurate agere præsumserant, commemoratas, describturus, tenebrisque, quibus pene mersæ jacent, erutas, bono publico expositurus, atque ab injuria oblivi- Brevis Præfatio.

onis vindicatas, posteris quoque proditurus; non ab re me facturum arbitror, si prius, quæ terræ magnitudo, qui situs, quæ facies, quinam primi inquilini fuerint, aliquanto distinctius enarraverim. Quanquam vero Prussia quoque, Voitlandia, & Franconia Orientalis; ad hoc Pomerania magna sui parte; imo Ducatus Cliviæ, Principatus Halberstadiensis, Mindensis, & Caminensis, necnon Comitatus Marcanus, & Ravensburgensis, multaque alia Dominia (quæ Principi meo, Rector Universi, qui Cœli Terræque Dominus, subjecta voluit) fortasse huc spectant, potissimus tamen sermo de sola Marchia nobis in his libris erit. Arduum nihilominus opus, &, quod splendescere nequit; tum quod illa, quæ præ cæteris dicenda essent, a Scriptoribus antiquioribus prodita non sint, parumque præsidii Archiva suppeditent, tum, quod minuta multa sese offerant, & utendum sit verbis pluribus, quo res commode intelligatur: quæ, nisi admodum detorta, a Latino sermone valde abhorrent: tale tamen, quod nec ingratum, nec inutile posteritati, cujus habenda quoque ratio est, nec injucundum tam potenti Principi, cui post Deum placere studeo, futurum existimo. Tu, qui largitor omnis boni es, scribenti adsis, deducas ipsum in veritatem, atque, quod molitur opus, ut ad tui nominis gloriam, splendorem Domus Electoralis, & Lectorum emolumentum, feliciter absolvat, ex gratia concede!

Serenissimo Electori multæ Provinciæ parent.

Sermo potissimum tamen futurus de sola Marchia.

Arduum est Historiam Marchiæ scribere.

§. II.

Marchia (unde nomen habeat, liquebit, quando ad tempora Henrici Aucupis deventum fuerit) variis modis, sive Geographice, sive Politice consideretur, dividi potest: quemadmodum cum bono Deo manifestum erit, ex peculiari libro, quo, modo idem ille annuerit, decretum nobis est, Domini nostri Clementissimi, qui agnosci debet

Marchia quomodo a Carolo IV. Imp. divisa fuerit?

debet Princeps vere Augustus, imperium universum, velut in brevi tabella, proponere: Historiæ ingens ornamentum accesserit, si exhibuerim hoc loco illam partitionem, quam immortali memoria dignus Carolus IV. Imperator, Marchiæ quondam Dominus instituit; eam, ex Archivo Serenitatis suæ suppeditatam, minime mutare volui: Stylum, juxta seculum Carolinum æstimandum, æquus & antiquitatis studiosus Lector, feret potius, quam arguet. Existimaret fortassis aliquis, hunc de Marchiæ divisione commentarium, ad tempora Caroli IV. Imp. rejiciendum fuisse; sed cum & antiquissimus & exactissimus sit merito hoc loco exhibetur. TITULUS ILLIUS ITA HABET. Descriptio Marchiæ Brandenburgensis, jussu Caroli IV. Imp. Romano-Germanici instituta: *quæ sic continuatur*: MARCHIA BRANDENBURGENSIS est Archiprincipatus in Alemannia, continens inter suos limites Episcopatus Caminensem, Brandenburgensem, Havelbergensem, & Lebusensem. Item partes aliarum diœcesium, ut Halberstadiensem, Verdensem, Swerinensem, Misnensem. & Posnaniensem. Cujus quidem confines sunt versus Meridiem, regnum Boëmicum (cui siquidem regno ipsa Marchia Brandenburgensis, per Serenissimum & Christianissimnm Principem & Dominum, Dominum Carolum IV. Romanorum Imperatorem, semper Augustum & Bohemiæ Regem, proinde est unita atque legitime incorporata) qui inquam Imperator, propter suam sapientiam, a nonnullis secundus Salomon non immerito est cognominatus. Versus Occidentem est Westphalia, & aliæ partes Rheni inferioris. Versus Septentrionem, partes maritimæ, hoc est, circa stagnum, quod est mare Septentrionale. Versus autem Orientem, Prussia, & Poloniæ regnum. Flumina ipsam Marchiam pertranseuntia famosiora sunt, Albis, Odera, Draboa, Warta,

ta, Sprea, Obula, & Uckera, & alia quam plurima, quorum nomina brevitatis causa omitto. Marchia Brandenburgensis dividitur primo in tres partes principales: Videlicet in Marchiam Transalbianam, Transoderanam, & Mediam. MARCHIA TRANSALBIANA, alio nomine, Antiqua Marchia dicitur, & est pars Marchiæ Brandenburgensis, tendens versus Occidentem, usque ad Ducatum Brunsvicensem, continens has civitates, castra, oppida, atque munitiones: Tangermunda, Stendalia, Saltzwedel, Gardelebe, Osterburgk, Werben, Gnockenburg, Arnoburg, Schusen; Quæ omnia sunt Domini Marchionis. Luchouu obligatum fuit Duci Lunenburgensi: Gartouu est Ordinis Sancti Johannis Hierosolymitani: Ongelose est illorum *de Jagouu*, & habent a Domino in Feudum: Borchstal, Bismarg, & Tangern, illi *de Eichendorff* habent a Domino in feudum: Kalve illi de *Alvensleben* habent a Domino in feudum: Calvorde illi *de VVedern*, Klotz *Gebbard de Alvensleben* habent a Domino in feudum: Belgendorff Schulenburchii habent a Domino in feudum: Assenburg & Buckow habent illi *de Lüderitz*. Rogetz est *Ludolphi de Alvensleben*. Wolmerstadt est Archiepiscopatus Magdeburgensis, sed olim erat Marchionis: Flectingen, *Pincerna de Flectingen* habet a Domino in feudum: Wolffsburg habent illi *de Bartensleben*. Arxleben habet *Busso de Arxleben*: Brume habent illi *de Knisebeck*, ut & Knisebecke: Wustrow est illorum *de VVustrow*, Krumbecke habent illi *de Redern* a Domino in feudum. Wenckfternburgk Martinus Wenckstern miles habet a Domino in feudum. MARCHIA MEDIA est inter Albim & Oderam sita, & quia magna est, dividitur in novem territoria, quorum nomina sunt hæc: *Lubus*, *Barnimb*, *Zaucha*, *Teltow*, *Terra Obula*, *Glyn*, *Prigdnitz*, *Uckera*, *&* *Comitatus Lindowensis*. TERRITORIUM LUBUSENSE

has

has habet munitiones, civitates, & oppida: Franckfurt, Muncheberg sunt Domini Marchionis. Lubus, Fürstenwalde, & Selow, sunt Episcopi Lubusensis. Falckenhagen est *Johannis de VVutekow* militis. BARNIMB, sive TERRITORIUM BARNIMBENSE habet has civitates, castra, & oppida: Berlin, Bernaw, Strausberg, Landsberg, Writzen, Eberswalde, quæ dicitur nova civitas, Lybenwalde, Nuemull, Botzow, Breten, Oderberg, & Bysdal, sunt Domini Marchionis. Freyenwalde habent illi de Uchtenhagen a Domino in feudum: Fredeland est Monialium ibidem, Winow est illorum *de Pannewitz*. Hechelwerck, Beyersdorff fuerunt Dn. de Stegeliz senioris, per cujus mortem devoluta sunt ad Dominum. Warnow habent cives, dicti Trebus, in feudum a Pincerna de Sydow, ille ulterius a Domino: Blumberg habent cives, dicti Henow, in feudum ab Episcopo Brandenburgensi. ZAUCHA continet infra scriptas munitiones & oppida: Belitz, Briesen, Gorzke sunt Dn. Marchionis. Goltow illi *de Rocbow* a Domino in feudum habent. Zegeser est Episcopi Brandenburgensis. TELTOW est Territorium in circuitu suo istas munitiones habens: Cöln prope Berlin, Köpenick, Mittenwalde, Trebbin, Sarmund, sunt Domini Marchionis. Wusterhusen, & Lossen sunt illorum *de Torgou*, qui a Domino habent in feudum: Buten, & Teltou oppidum, in medio Territorii, sunt Episcopi Brandenburgensis. GLYN est parvum Territorium habens tales munitiones: Botzou, cujus antea quoque facta fuit mentio. Kremmen est *Lupoldi de Bredou* militis, qui a Domino in feudum accipit. Zwant, & Felefantz sunt illorum *de Rederu*. Tuchband est *Johann de Gröben*. TERRITORIUM OBULÆ has habet civitates, munitiones, castra, & oppida: Spandou, Brandenburg, Ratenou, Nouuen, Potstamb, quæ sunt Domini Marchionis:

Vorland *Petrus Schencke* tenet a Domino in feudum. Kotzin, & Prizerve, sunt Episcopi Brandenburgensis. Frisack *Hasso de Bredouu* tenet a Domino in feudum. TERRITORIUM PRIGNITZ istas continet munitiones: Prisiwalck, Havelbergk, Perlebergk, Wittenberge, Lentzen, Kyrize, Fridrigsdorff sunt Domini Marchionis. At Wittstock, Plattenburg, & Zechlin, sunt Episcopi Havelbergensis. Meinburgk, & Freyenstein N. Rohr habet in feudum a Domino. Goltbeck habet Bösell. Putlist in feudum ab Episcopo Havelbergensi habuit Gans de Putlist, sed coactus fuit Domino Marchioni cedere. Stabenou est *Christiani Bösell.* Wusterhausen habet *Comes de Lindou.* Neustadt habet *Lupoldus de Bredou.* Belo habet *Fimantz de Scendal* a Domino in feudum. Bellin est Episcopi Havelbergensis. COMITATUS LINDOWENSIS has habet munitiones: Ruppin antiquam, Ruppin novam, Lindou, Gransai, Rinsberg, & Rinouu. UKERA has habet munitiones: Prenslouu, Templin, & Böezenburgk sunt Domini Marchionis. Paswalck Duces Sundenses occupant. Torgelouu, & Gransoye Comes de Lindou a Domino in feudum habet. Griffenberg illi *de Griffenberg* a Domino in feudum habent. Wulffshagen & Lökeniz sunt Episcopi Caminensis. Jagou, Bismarou, Angermunde, Stolp, Swet, & Brussou, pertinent ad Ducem Stetinensem. Tertia principalis Marchiæ pars censetur MARCHIA TRANSODERANA, hodie NOVA MARCHIA dicta, quæ subdividitur, per flumen magnum, quod Warta dicitur, cujus major pars est trans illud flumen, tendit autem versus Septentrionem, usque Prussiam, & habet sub se sequentes munitiones, civitates, castra, & oppida: Stoltzenburg, Morin, Beerwalde, Königsberg, Schonenfliet, Soldin, Lippen, Berlin novam, Arenswalde, Drohenburg, Kalis, Waldeburg, Fredeberg, Landsberg, Tankow, Barnau novam, & Cüstrin,

quæ

quæ omnia sunt Domini Marchionis. Grasse illi *de Borne* a Domino in feudum habent. Guntershagen & Crasenik illi *de Guntersberg* a Domino in feudum habent. Glantzko, Hermansdorff, & Derzou illi *de Brederlou* a Domino in feudum habent: Præterea transoderanum Territorium sequentes munitiones habet. Schivelbein, Falckenburg, Wedel, Tutz, Coronam, Fridelandnovam, Uchtenhan, Aetz, Zantoch, Nurenberg, Mellen, Fruenwalde, quæ omnia sunt illorum de Wedel. Alia Pars TRANSODERANA, versus Occidentem, Territorium STERNBERG appellatur, ad quod sequentes munitiones & oppida pertinent: Sterneberg, Drossen, & Reppen sunt Domini Marchionis: Lagou & Zulenz sunt Cruciferorum Sancti Johannis. Sandou *Johannnes Theodoricus Sack* miles a Domino in feudum habet: Rampitz miles *de Cynitz* a Domino in feudum habet. Goritz est Episcopi Lubusensis. Sonnenburgk *Otto de Vockenrode* miles a Domino in feudum habet. Konigswalde a Domino in feudum habet *Johann de VValdou*. Derenzke *Petrus de Lossou* in feudum habet. Botschou, Koltzin, & Radechou, illi *de Dossouu* a Domino in feudum habent.

§. III.

Ex hac regionis latissimæ distributione, quæ ante trecentos annos obtinuit, patet, illam jam tum & incolis frequentem, & illustribus familiis admodum conspicuam fuisse: pluribus quoque oppidis, imo grandioribus civitatibus (ne quid de vicis dicamus) eandem exornantibus. Inquilinos autem habuit non unius generis. Dispersis enim antiquis Suevis, qui primi potiorem illius partem tenuerunt, (licet aliquam sibi quoque aliæ gentes vindicaverint) fugatisque magnam partem Sclavis, qui vacuas sedes occuparunt, non modo ex proximis regionibus, Saxonia scil. Pomerania, Silesia, & Diœcesi Magdebur-

Divisio hæc arguit regionem hanc ante 300. annos & pluribus urbibus, arcibusque instructam; & incolarum potentium frequentia

gen-

conspicuam fuisse.

gensi, atque Halberstadensi, huc commigrarunt coloni; verum etiam ex Bohemia, Polonia, Stormaria, & Holsatia: uno, (quod aliquis miretur) ex Frisia quoque, & remotiori Belgio: qui & invitati fuerunt a victoribus Principibus, ut fortunas suas in hanc regionem transferrent. Quod priusquam distincte explicamus, de Suevis eorumque origine & varia fortuna agendum erit.

§. IV.

Suevi primi hujus regionis inquilini fuerunt, qui ad Germanos pertinuerunt.

Suevos ad Germanos pertinere nemo controvertit: unde vero originem trahant Germani, anxie inquiritur ab illis, qui omnia ad primam suam originem referre satagunt. Quo judicium nostrum interponere queamus, operæ pretium fuerit, antea egisse de Germaniæ in communi consideratæ finibus. (a) Taciti, rerum Germanicarum consultissimi verba sunt: *Germaniæ vocabulum - - - nomine Germani vocarentur.* Qui Germani serius dicti prius Celtæ vocati fuerunt. Quod vocabulum, ne cui imponat, observetur, Celticæ accidisse, quod pluribus aliarum regionum nominibus, ut duplicem significationem reciperent. Exempla illustria obvia sunt. Asia tertia totius Orbis portio, Asia etiam pars Asiæ, quam minorem plerique Ptolemæus & Plinius Asiam propriam vocavere. Varr. l. 4. de L.L. Nam & Asia, quæ non Europa, in qua est Syria: et Asia dicitur prioris pars Asiæ, in qua est Jonia & provincia nostra. Sic Africa altera ex tribus orbis partibus, Africa quoque portio Africæ ad Mediterraneum mare: Ptolomæo Africa proprie. Ita Cæsar initio Commentariorum statim omnem Galliam in Belgas, Aquitanos & Celtas sive Gallos dividit. Ita & Celtica Germaniam, Galliam & aliquam Italiæ partem complectitur: Celtica quoque vel sola Gallia, vel Gallia cum Germania. Unde

Germani prius dicti sunt Celtæ.

Nomen Celtarum & generaliter & specialiter accipitur.

(a) lib. de mor. Germ. c. 2.

Unde triplices Celtæ: Germani, Celtæ Cisalpini, Celtæ Transalpini; Nostra duntaxat refert ostendisse, Germanos olim ad Celtas pertinuisse, inde Herodotus (b) Istrum in Celtis oriri scribit. Quem Diodorus Siculus (c) hac in parte sequitur. Verba scriptoris, per interpretem loquentis, sunt: *De cæteris fluviis, quos Oceanus excipit, maximi videntur esse Danubius & Rhenus, quem nostra ætate Divus ille Cæsar, ponte mirum ad modum junxit, & traductis pedestri via copiis, Gallos ulteriores domuit.* Et paullo post: *Qui interiora supra Massiliam tenent, & qui circum Alpes ac cis Pyrenæos montes habitant, hos Celtas nominant. Qui vero infra hanc ipsam Celticam partes Austrum versus & ad Oceanum Hercyniumque montem sitas incolunt, omnesqe ad Scythiamusque diffusos Gallos vocitant.* Clarius hoc explicat Dion Cassius Nicæus (d) *Rhenus ex Alpibus Germaniæ paullo supra Rhetos oritur.* Inde versus Occidentem profluens ad finistram, Galliamque ejusque incolas; ad dextram Germanos dividit, tandemque in Oceanum exit: Hic enim limes in hunc usque diem earum regionum habetur, ab eo tempore, quo diversa nomina adeptæ sunt: siquidem antiquitus populi, qui ex utraque parte Rheni habitabant, Celtæ uno nomine appellati sunt. Hinc Ptolemæus (e) non modo Ægyptiorum, sed omnium antiquorum Geographorum doctissimus Germaniam magnam *Galliam* vocat, *in qua* & Aristoteles (f) Istrum oriri contendit, qui tamen est Germaniæ fluvius. Cui Strabo (g) assentitur: *super Carnos* (inquit) *Apeninus mons incumbit: lacum habens in omnem Isaram influentem: Qui rapto secum altero fluvio effertur in Adriaticum sinum. Eodem autem ex lacu fluvius alter in Istrum labitur, quem*

D *Atesi-*

(b) lib. 4. (c) lib. 5. (d) lib. 39. (e) in Geograph. (f) lib. 2. Meteorol. (g) lib. 4. Geograph.

Atesinum vocant. Ister enim ab hisce montibus, in multa divisus capita, sumit originem. Plura testimonia adduci possunt, sed aut hæc, aut nulla sufficiunt.

§. V.

Unde originem Germani, qui & Celtæ, trahant?

Hos, sive Celtas, sive Germanos, originem trahere à filiis Noachi, nullus ambigere potest. At quisquis & curiosus & religiosus veritatis Scrutator est, non facile admiserit, quod Aventinus, (*h*) diligens licet Historicus habet: *Posteaquam*, inquit, *genus humanum in Armenia reparatum est, divisit ipse Noah terram servatis antiquis nominibus (uti ante illuviem fuerat aquarum) in partes tres, Asiam, Europam, & Africam: & has filiis, vectus navi circum littora, ostendit in regna dispartitas: Principes & colonos designat atque conscribit. Decimo deinde anno reversus in Armeniam, Tuistonis (quem in Armenia genuerat) posteros adoptat, omen haut dubie Italiæ orbisque potiundi. Ipsum inde ex Armenia in Europam mittere constituit, & pariter, quicquid intra Rhenum & Tanaim amnem continetur, eidem adsignat: auctores rerum Germaniam vocant.* Vellem Aventinus laudasset hos auctores: Moses certe quartum Noachi filium nomine Tuistonem ignorat.

Tuisto an fuerit, & qualis fuerit?

Nec tamen præfracte negaverim, fuisse in hac gente virum aliquem excellentem nomine Tuistonem aut Tuisconem, cui ab excessu, propter singularia merita divini honores delati fuerint. Huc faciunt hæc Taciti: (*i*) *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuistonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, ceteri Istævones,* vocantur.

Tuisto videtur fuisse Aschenaz, filius Gomeri.

Aschenaz (*k*) filium

(h) Aventin. lib. 1. (i) lib. de Germ. c. II. (k) Genes. c. 10, 2, 3.

filium Gomeri, nepotem Japheti, pronepotem Noachi (quem doctissimus Arias (*l*) Montanus interpretatur ignem adspersum) cum ratione aliquis crediderit fuisse hunc Tuistonem, si a vero non recedant, quæ Cæsar (*m*) memoriæ prodidit: *Gallos se omnes a Dite patre prognatos prædicare, idque a Druydibus proditum dicere.* Quem defunctum, tanquam familiæ patrem, utrique populi, Germani sub nomine Tuistonis, Galli sub nomine Ditis honorarunt, statuamque in lucis erexerunt. Ab hoc, qui alias Germani dicti fuerant, appellati *Tuistones*, a Floro *Theutoni*, ab aliis *Theutones*: atque adhuc hodie Italica Lingua *Tedisci*, & inferioris Saxoniæ *Duytschen.* Quod & antiquius nomine Germanorum. Nam vetustiores scriptores Latini, & inter Græcos Polybius, Germaniæ nomenclationem ne fando quidem acceperunt. Nomen hoc genti laudatissimæ primi Romani imposuerunt. Testis præ aliis Strabo: (*n*) *Jure mihi videntur Romani hoc illis* (Germanis) *indidisse nomen, quasi γνησίους & genuinos Galatas dicere volentes*; genuini enim, *seu γνήσιοι Romanis Germani dicuntur.* Nec absone illud etiam eo trahi possit, quod solenni & suo quodam modo, nec adhuc antiquato, non se invicem tantum, sed conterminos quoque ac vicinos suos passim ac familiarites *fratres* soleant appellare. Et hoc est, quod apud Plutarchum (*o*) Theutones legimus a Cimbris *Fratres* nominatos. Cum enim apud aquas Sextias Marius primitus internecione deleuisset Theutones, idque ignorare viderentur Cimbri, qui per Noricum & juga Tridentina in Italiam se effuderant, missis legatis petivere a Mario, & sibi & fratribus Theutonibus, fideliter terras, & stipendium dari: Mario per cunctante de fratribus, quo nomine

Germani dicti fuerunt Teutoni, seu Theutones

Nomen Theutonum antiquius nomine Germanorum.

Germanorum nomen Romani imposuerunt.

(*l*) in progen. Noachi. (*m*) lib. 6. comment. Bell. Gall. (*n*) lib. 7. Geograph. (*o*) in vita Marii.

ne Theutones intelligebant, riserunt astantes. Ipse verò Marius cavillans respondit, intercedere pro fratribus omitterent, habere eos duram à se terram perpetuóque habituros. Cimbrorum legati aliquatenus acerbum jocum intelligentes, nec tamen penitùs, reposuere, daturum eum pœnas & sibi, & Theutonibus, ubi advenissent: at præsto sunt, inquit Marius, non decet vos abire nisi salutatis fratribus, simul vinctos Theutonum reges produci imperavit. Lucem hinc accipit Taciti locus, (*p*) supra integer adductus, hic tamen juxta extrema reponendus. *Ut primum omnes* (inquit) *a Victore ob metum, mox a seipsis invento nomine, Germani vocarentur.* Concinnior forte sensus futurus, si cum quibusdam, pro a *se ipsis* legeris *a re ipsa.* Aliorum de origine hujus nominis sententias examinare supersedemus, nam ab instituto nostro alienum est. Porro Germania hæc (cujus pars duntaxat a nobis consideranda) olim longe lateque patuit. Verba sunt Aventini (*q*) *Germania terrarum Europa maxima & pluribus distincta nominibus. Nam & Scythia, Getarumque regio, qua contingit Pontum, vocabatur: ultra Vistulam Orientem versus Sarmatia* (hoc a vero alienum est) *citra vero & Galatia, & Gallia, & Celtica, etiam nunc Alemannia, Francia, & Teutonia.* Angustioribus limitibus eandem regionem Romani scriptores circumscribunt. Cæsar (*r*) peculiariter nominat *Suevos, Ubios, & Sicambros, Tacito.* (*s*) (ut antea visum fuit) noti fuerunt: *Ingævones, Herminónes, & Istævones.* Plinius (*t*) usus antiquissimis nominibus, & quantum colligere licet, ipsorum Germanorum vernaculis, plurimum tamen obscuritatis, Theutonismi tam gnaris, quam ingnaris, relinquentibus, quinque Germanorum populos constituit. Vulgo sic legitur: *Genera Germanorum quinque, Vin-*

Germania olim latissime patuit

Quomodo illa dividi consueverit.

(*p*) lib. de morib. Germ. c. 2. (*q*) lib. 1. Hist. Bojor. (*r*) Passim in Comm. de Bell. Gall. (*s*) de morib. Germ. cap. 2. (*t*) lib. 4. Nat. Hist. c. 41.

Vindelici, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingavones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Chaucorum gentes: proximi autem Rheno, Istævones, quorum pars Cimbri Mediterranei. Herminones, quorum Suevi, Hermonduri, Catti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Basterna, supra dictis contermini Dacis. Quo loco recte Rhenanus, præeunte Tacito, pro *Vindelici* (qui, Rhetiæ secundæ populi tunc erant, Romanis subditi) reposuit Vandali qui & Vindeli nonnullis dicti. Deinde pro verbis, *proximi autem Rheno Istævones, quorum pars Cimbri mediterranei,* rescribendum maluit, partim ingenio, partim ipso Tacito, nec non & Strabone ducibus: *Proximi autem Rheno Istævones, quorum Pars Sicambri: Mediterranei Herminones.* Nam Cimbrorum partem, jam antea, Ingævonibus asscripserat. Alij quâ antiqui, quâ recentiores diversa ratione, & forte accuratiori priscam diviserunt Germaniam.

§. VI.

Sed horum & similium incuriosi sumus, cum nobis duntaxat propositum sit, hodiernam Marchiam ad antiquos suos inquilinos referre, qui teste, Tacito, pluribusque Romanis scriptoribus, non fuerunt alii, quam Suevi. Suevia autem antiqua, admodum distincta a moderna, quæ illius exigua duntaxat pars est, antiquis scriptoribus nota fuit, speciatim Dioni Cassio (*u*) de Druso loquenti: *ἐξῆλθε μέχρι τῆς Σουηβίας, ad Sueviam usque progressus est.* Julius Cæsar: (*x*) *Suevorum gens est longe maxima, & bellicosissima Germanorum omnium: ij centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa, suis ex finibus educunt: reliqui domi manent: prose atque illis colunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt: Illi domi remanent: Sic neque agricultura, neque ratio neque usus belli intermittitur:*

Primi Marchiæ incolæ Suevi, quales fuerint?

Suevia antiqua a moderna admodum distincta est.

(*u*) lib. 55. Histor. (*x*) lib. 4. de Bell. Gall. c. 1.

tur: sed privati ac separati agri apud eos nihil est: neque longius, anno remanere uno loco, incolendi causa, licet. Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque sunt in venationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod, a pueris, nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit, & immani corporum magnitudine efficit. Atque in eam se consvetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis, neque vestitus præter pellis habeant quicquam, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta, & laventur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos nullus aditus, eo magis, ut quæ bello ceperint, quibus vendant, non habeant; quam quo ullam rem ad se importari desiderent. Quin etiam jumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quæque impenso parat pretio, Germani importatis non utuntur: sed quæ sunt apud eos nata, parva atque deformia, hæc, quotidiana exercitatione, summi ut sint laboris, efficiunt: Equestribus præliis sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur; equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt. Neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur, quam ephippiis uti. Itaque, ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quantumvis pauci, adire audeant. Vinum ad se importari non sinunt, quod eâ re, ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur. Publice maximam putant esse laudem, quam latissime a suis finibus vacare agros: hac re significari, magnum numerum civitatium, suam vim sustinere non potuisse. Itaque una ex parte a Suevis circitur millia passuum DC. agri vacare dicuntur.

Adstipulatur Tacitus: (y) *Nunc de Suevis dicendum est, quorum nomina ut Cattorum Tencterorumve gens: majorem enim Germaniæ partem obtinent propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in communi Suevi vocentur. Insigne gentis, obliquare crinem nodoque substringere. Sic Suevi a ceteris*

(y) de German, cap. 38.

teris Germanis: sic Suevorum ingenui a servis separantur. item Strabo: (z) *Supra totam hanc ripam degunt Suevi, Germanica natio, reliquis numero & potentia superiores, (καὶ δυνάμει καὶ πλήθει καταφέροντες τῶν ἄλλων) a quibus alii pulsi, in regionem interiorem Rheno, nunc confugerunt; sed & aliis in locis alii dominantur, bellandi seminaria excipiunt, prioribus subinde debellatis.* Nec alia mens Orosii (a) *Deinde Germania est, ubi plurimam partem Suevi tenent: quorum omnium gentes, sunt quinquaginta quatuor.* Orosium verbotenus Æthicus exscripsit. Fines Suevorum amplius Jornandes determinavit. (b) *Regio illa Suevorum ab Oriente Bojobaros habet, ab Occidente Francos, a Meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos.* At hæc juxta ætatem Jornandis consideranda sunt. Nam, ut recte censet Cluverius, (c) ad antiquam Sueviam pertinuerunt sequentes regiones: Sueviæ hodiernæ pars, qua oppida Dinckenspiel & Nordlingen: Palatinatus superior, Voitlandia, Misnia, Saxonia superior, Bohemia, Austriæ pars usque ad montes Sarmaticos, Moravia, Silesia, Lusatia, Polonia Cisvistulana, *Marchionatus Brandenburgensis, excepta ea parte quæ cis Albim,* Pomerellia, Cassubia, Pomerania, Meckelburgensis Ducatus. Trans mare autem Suevicum, Daniæ partes, quibus vocabula, *Blecking, Skōne, & Halland:* Inde Suedia, Norvagia, Botnia Occidentalis, Finnomarchia, Scritofinnia, Lappia, & Biarmia.

Suevi olim inter Germanos potentissimi erant.

§. VII.

Inter antiquas autem gentes, Suevis accenseri solitas, teste Tacito (d) *vetustissimi & nobilissimi Semnones,* quorum aliqui in Media quoque Marchia habitarunt, atque quod Principes Galliæ apud Cæsarem (e) de omnibus Suevis

Inter Suevos nobilissimi Semnones, qui in media Marchia sedes habuerunt.

(z) lib. 4. Geograph. (a) lib. 1. cap. 2. (b) de rebus Geticis, c. 55. (c) lib. 3. Germ. antiq. c. 24. (d) lib. de morib. Ger. c. 39. (e) lib. 4. de B. G. cap. 9.

Hi, duce Brenno, non modo in Italiam penetrarunt; Romam, excepto Capitolio, occuparunt; sed in Asiam quoque progressi, cum fru-stra Apollinis Delphici templum tentassent; Bysantium usque delati Galatarum genti originem præbuerunt.

vis dicunt, *illis ne Deos quidem immortales pares esse posse*, de Semnonibus potissimum existimandum est. Hi sunt illi Semnones, qui Duce Brenno (*f*) venerunt in Italiam, Clusium obsederunt, Romanorum Exercitum ad Alliam fluvium deleverunt: imo ipsam Romam occuparunt, atque ad septem menses in potestate habuerunt, dum in obsidendo Capitolio moram inutilem trahunt: (*g*) verum quidem est, a Camillo, qui Veiis exercitum contraxerat, in fugam actos, ac multos eorum ab Italis occisos fuisse. Idem tamen hic Brennus reliquias prudenter collegit, atque adunatis CL. millibus peditum, & XV. millibus equitum, (*h*) in Macedoniam irrupit, occurrentemque cum justo exercitu Sosthenem profligavit, atque victor totius Macedoniæ, agros longe lateque depopulatus est: Inde scurriliter jocatus, locuplètes Deos hominibus largiri oportere, iter Delphos vertit, templum in rupe Parnassi situm exspoliaturus, quod a quatuor hominum millibus custodiebatur. At, quid accidit? Semnones præda incitati & hesterno mero adhuc ebrii, periculorum securi, montem ascendunt; sed partim saxis, partim armis obruuntur. Procurrunt simul sacerdotes, vatesque Dæmonum, quibus locus, superstitione celebris, sacer erat, terrorem tremoremque hominibus, præ desiderio prædæ vecordibus, ingerentes. Accessit tempestas & frigus cum grandine, sauciosque Semnones tetris funeribus magnam partem absumpserunt. Dux ipse Brennus, cum dolorem vulnerum non ferret, teste Justino (*i*) pugione vitam finiverit. Qui supererant, pars in Asiam, pars in Thraciam fugerunt: (*k*) plures vero collecti circa Bysantium constiterunt, ibique imperium condiderunt: (*l*) con-

(*f*) an. a M. C. 3615. ante C. N. 388. (*g*) Liv. l. 5. Flor. l. 1. c. 13. Polyb. l. 1. Plut. in Camill. (*h*) Justin. l. 24. Diod. Sicc. l. 22. Paul. lib. 22. (*i*) l. 24. c. 8. (*k*) Just. l. 32. c. 3. (*l*) Polyb. l. 4. c. 46.

constituendo gentem Galatarum, e Novo quoque Testamento cognitam. Signanter Hieronymus (m) *Galatia provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Græcis se miscuerunt: unde primum ea regio Gallogræcia, post Galatia nominata est.* Addit: *Galatas, excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eandem pene habere, quam Treviros.* Treviros autem fuisse Germanos, & Germanica lingua usos, ambigere non licet. Plerique ex antiquis scriptoribus Brennum Gallorum ductorem fuisse perhibuerunt: sed mihi instar omnium Livius est; qui quando recenset copias, quæ in Latium se effuderunt, hæc inter alia habet: (n) *Alia subinde manus Cœnomanorum Elitovio Duce vestigia priorum secuta, favente Belloveso cum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia, ac Verona urbes sunt, (locos tenuere Libui) considunt; post hos Salluvii, prope antiquam gentem Levos, & Ligures incolentes circa Ticinum amnem, petiere Apeninum: deinde Boij, Lingonesque transgressi, cum jam inter Padum & Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro pellunt: Intra Apenninum tamen sese tenuere. Tum Senones recentissimi advenarum ab Ufente flumine, usque ad Æthesim fines habuere. Hanc gentem Clusium, Romamque inde venisse comperio: id parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adjutam.* Ex quibus Patavini Historici, non obscure colligitur, priores illos, quos commemorat, Germanos fuisse, & per consequens quoque ipsos Senones; quos rectius vocaveris Semnones, Hermunduris vicinos. Unde Paterculus: (*) *Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundorumque fines præterfluit.*

§. VIII.

Hos Semmones, Romam occupasse, vel inde claret,

(m) Præfat. Alc. in Epist. Pauli ad Gal. (n) lib. 5. cap. 34. (*) lib. 2. cap. 106.

ret, quod A. Gellius (*o*) bellum ab illis contra Romanos gestum Senonicum (rectius Semnonicum) vocet. Dux horum Semnonum Brennus, non Gallus, sed Germanus fuit, ipso nomine hoc indicante. Nec tamen audio Goropium Becanum, (*p*) quando ita circa nomen hoc hariolatur: *Brennus vel ab urendo, quasi* Brenner, *qui flammis omnia depopulatur: vel a* Berennen, *qui equitatu regiones incursat.* Berennen *enim Germanis idem est, quod adequitare, vel equis percurrere.* Convenientius, nomen hoc derivaveris ab antiqua voce Germanica Bren, sive Brun, quæ Galeam notat. Und & Brunia sive Byrna, in L. L. Athelstani Regis Anglo-Saxonis idem est atque galea: (*q*) adeo, ut Brennus reddi queat Galeatius, quemadmodum & veteres cantiones testantur, quæ in Theodericum Regem Gothorum extant. Si Aventino (*r*) credimus, plures illustres Brenni inter Germanos fuerint: unus Vandalorum Rex, alter natione Anglo-Germanus, a quo & Angli, qui postea Britanniam invaserunt, originem traxerint. Tertius Romam occupaverit, a quo recte vir doctus (*s*) diversum vult esse illum, qui Apollinis Delphici templum diripere meditabatur. Etenim Delphica clades totis annis centum post, quam Roma capta esset, contigit; quod tum Polybius (*t*) indicat, tum ostendere proclive est: Æque facile non est indicare, quisnam ille Brennus fuerit, qui nostrum Brennaburgum, per errorem nescio a quo Brandone (qui an unquam in rerum natura fuerit, jure ambigas) Brandenburgum vulgo dictum, condiderit. Hoc toti regioni nomen, & quidem Marchiæ nostræ peculiare procuravit. Atque ad Brennum aliquem referendum esse

Brennum Germanum fuisse probatur:

Plures inter Germanos Brenni illustres fuerunt.

Quisnam ex illis Brennaburgum, vulgo Brandenburgum dictum, condiderit?

(*o*) lib. 17. cap. 21. (*p*) in Atuaticis. (*q*) Lindenbrog, in Gloss. addito Cod. antiq. LL. (*r*) lib. 1. Anal. Boj. (*s*) Sched. de Diis German. Syngram. 4. cap. 11. (*t*) lib. 1. cap. 6.

esse, jam olim gnarum fuit Sigeberto Gemblacensi, auctori assiduo & Historico quantivis pretij, ad annum 925. ita scribenti: *Rex Henricus* (respicit Imperatorem Henricum Aucupem) *urbem Slavorum* Brennaburch *capit, & victis Slavis tributum imponit.* Interim ingens vis hominum, propemodum ad viginti millia, seditione in Dardanis orta, a reliquo exercitu Brenni (quicunque is fuerit) abruperunt, & secessione facta, in Thraciam usque averterunt. Observatu digna sunt sequentia Livij: (u) *Hi Galli* (ob præcedentia, & quæ postea apud eundem scriptorum occurrunt, dubitare non licet, quin Germani fuerint) *magna hominum vis, seu inopia agri, seu prædæ spe, nullam gentem per quas ituri essent, parem armis rati, Brenno Duce in Dardanos pervenerunt: ibi seditio orta, & ad viginti millia hominum cum Lomnorio & Lutatio regulis, secessione facta a Brenno, in Thraciam iter averterunt, ubi cum resistentibus pugnando, pacem petentibus, stipendium imponendo, Byzantium cum pervenissent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus urbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Asiam transeundi, audientes ex propinquo quanta ubertas terræ ejus esset, cepit, & Lysimachia fraude capta, Chersonesoque omni armis possessa, ad Hellespontum descenderunt, ibi vero exiguo divisis freto cernentibus Asiam, multo magis animi ad transeundum incensi, nunciosque ad Antipatrum præfectum ejus oræ, de transitu mittebant. Quæ res cum lentius spe ipsorum traheretur, alia rursus nova inter regulos seditio orta est. Lomnorius retro, unde venerat, cum majore parte hominum, repetit Byzantium: Lutatius Macedonibus per speciem legationis ab Antipatro ad speculandum missis, duas tectas naves & tres lembos adimit. His alios, atque alios, dies noctesque transvehendo, intra paucos dies omnes copias trajecit. Haud ita multo post Lomnorius, adjuvante Nicome*de

Quidam ex militibus a Breno per seditionem digressi, in Asia longe lateque terrorem circumtulerunt, atque Galatarum gentem in tres partes dividendā condiderunt. Frustra Livius est, quando hos Gallos fuisse putat.

(u) lib. 38. cap. 16.

de Bithynia Rege, a Byzantio transmisit, coeunt deinde in unum rursus Galli (Germani potius) *& auxilia Nicomedi dant adversus Zybaam, partem tenentem Bithyniæ, gerenti bellum, atque eorum maxime opera devictus Zybaa est, Bithyniaque omnis in ditionem Nicomedis concessit. Profecti ex Bithynia, in Asiam processerunt, non plus ex viginti millibus hominum, quam decem armata erant, tamen tantum terroris omnibus, quæ cis Taurum incolunt, gentibus, injecerunt; ut quas adissent, quasque non adissent, pariter ultimæ propinquis imperio parerent. Postremo cum tres essent gentes, Tolistobogi, Trocmi, Tectosagi: in tres partes, qua cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, diviserunt.* Hasce gentes Gallos non fuisse, ut perperam Patavinus Historicus existimat, patet initio ex testimonio Strabonis, qui (*x*) ad Celtas manifesto illos refert (at sub his Germani quoque comprehendi solent, prout ex superioribus patet) Gallis vero neutiquam annumerat. *Tria Galatarum* (inquit) *habentur genera: quorum duo a Ducibus nomen habent, tertium a Celtica gente, Tectosages.* Quid quod Galli a fortitudine nunquam tam commendabiles fuerint, atque illi, qui in penitiorem usque Asiam imperium extenderunt: de Gallis idem Strabo; (*y*) *Galli minori negotio a Romanis debellati sunt quam Hispani: nam quia gregatim totis copijs irruebant, gregatim simul debellati sunt.* Hispani autem soliti erant prælia partiri, vires velut depositum seruando, & modo ab hac, modo ab illa parte latrocinari. Taciti sana verba memorabilia; (*z*) *Gallos quoque in bellis floruisse accepimus, mox segnitia cum otio intravit, amissa pariter virtute ac libertate.* Contra Germani, priscis quoque temporibus, sese omnibus nationibus formidabiles fecerunt. Testis præ aliis Seneca (*a*) *Germanis quid est animosius? quid cursu*

Galli olim tam fortes non fuerunt habiti, atque Germani.

(*x*) lib. 12. (*y*) lib. 4. Georg. (*z*) Agric. cap. 11. (*a*) lib. 1. de Ira cap. 11.

cursu acrius? quid armorum cupidius, quibus innascuntur, innutriunturque, quorum una illis cura est, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffragia adversus cœli perpetuum rigorem. Ut non sine ratione Hieronymus (*b*) exclamaverit: *O! bellicosa Germanorum pectora!* Quantum vero Germani aliis nationibus præstant, tantum reliquis Germanis Suevi, quos *potentia* superiores esse, supra nos Strabo docuit. Nec ambigere licet, quin Toliscobii, quos Erathostenes apud Stephanum (*c*) Tolistobios vocauit, ad eosdem Suevos pertinuerint, viro doctissimo (*d*) frustra illos pro suis Boiis sollicitante; nam præterquam, eodem Strabone teste, (*e*) quod ad illos Conduli pertinuerint, ubi erat Boviasmus, Strabonis ævo regia Marobodii: amplius Marcomanni, quos Suevis accensos fuisse in confesso est, *pulsis olim Boiis*, ipsorum sedes occuparunt, juxta Tacitum: (*f*) atque, si licuerit eidem viro doctissimo fingere, regem *Tollisto-Boiium*, a quo Boij quidam denominati fuerint: cur non pariter mihi liceat dicere, hunc ipsum Tolisto-Boijum fuisse Suevo-Marcomannum, nomen ferentem a Boiis, quos fugaverat: aut dicere, intelligendum esse Marcomannorum gentem denominatam a Rege Tolisto-Boiio, qui nomini, quod Velserus contendit proprium illi fuisse, regiæ suæ insuper sociaverit. Nec dubitandum, quin Suevi omnibus quoque expeditionibus, quas Germani extra patriam susceperunt, interfuerint Certe cum Cimbris finibus egressi fuerunt. Teutonas seu Teutonos illis manifesto sociant Florus (*g*) Paterculus (*h*) & Orosius (*i*) quo nomine olim omnes Germani venire solent.

Suevi reliquis Germanis tantum præstant, quantum Germani aliis gentibus.

Tolistobojus Bojorū Rex e Suevis oriundus fuit.

Suevi omnibus expeditionibus interfuerunt quas olim Germani extra Patriam susceperunt: Theutoni agnosci debent non modo Ger-

(*b*) Epist. 35. ad Suniam & Fretellam. (*c*) 9. lib. de Virtut. (*d*) Marc. Velserus lib. 2. rer. Bojorum p. 72. 73. (*e*) In vestib. lib. 7. Gregor. (*f*) lib. de mor. German. c. 43. (*g*) lib. 3. cap. 3. (*h*) lib. 3. cap. 12. (*i*) lib. 5. cap. 16.

mani omnes, ſed ſpeciatim illi, qui in Marchia ſedes ſuas habuerunt. Hi graviter, variisque vicibus Romanorum Imperium afflixerunt; A Mario licet afflicti, cui & honorificum admodum fuit, Germanos, maxime Suevos viciſſe.

§. IX.

Horum vero potentiſſimi Suevi, imo, ſi Beato Rhenano (*k*) viro longe doctiſſimo, credimus, Teutoni, proprie ſic dicti, genuini Marchiæ incolæ fuerint, ubi hodie Berlinum & Brandenburgum notantur. Venerunt autem in Galliam Cimbrorum armatorum millia trecenta, mulierum & puerorum multo major numerus, C. Cæcilio Metello, Cn. Papirio Carbone Coſs. (*l*) multis deinde Romanorum cladibus nobiles, inter quas eminent Cn. Mallius Conſul, Q. Servilius Cæpio Proconſul victi fugatique, & binis caſtris exuti, cæſis octuaginta Romanorum, ſociorumque atque calonum lixarumque ſexaginta millibus: decem ex omni omnino exercitu reliquis hominibus. Alliam & Cannas ea dies exhibuit, ad cujus nuncium tota Italia contremuit, & niſi Marius ſuccurriſſet, actum de Romano imperio, Roma in ipſa Roma deſiderata fuiſſet. Marius quartum & quintum Conſul, victores magna ſtrage caſtigavit, rem Romanam inclinatam erexit. Cimbrorum vero virtutem, verſa jam fortuna, mulieres, ingentibus animis & vix credenda fortitudine æmulatæ, fuſa acie, victisque maritis, certamini ſe ſe accinxerunt, & objectis undique plauſtris atque carpentis, altæ deſuper, quaſi e turribus, lanceis contisque pugnarunt. Egregiam pugnam ſpecioſa mors ſecuta, cum deſperatis demum rebus, miſſa ad Marium legatione libertatem ac ſacerdotium auſæ ſperare, neutrum impetraſſent, ſuffocatis paſſim eliſisque infantibus, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo e crinibus facto, ab arboribus jugisque plauſtrorum pependerunt. Additur a Scriptoribus, (*m*) inventam eſſe

(*k*) l. 1. rer. German. (*l*) ANN. ANTE CHRI. NAT. CXI. videatur Plutarchus in Mario, (*m*) Plutarchus & Oroſ. l. d.

esse quandam, quæ duos filios trajectis per colla laqueis ad suos pedes vinxerit, & cum se ipsam suspendio morituram dimisisset, secum traxerit occidendos. Inter quæ miserabilia mortis genera, reguli quoque duo strictis in se gladiis concurrisse referuntur. Lugius & Bojorix reges in acia ceciderunt. Claudius & Lesorix capti sunt. Non uno vero prælio fortissimas gentes cecidisse constat: Livius, Florus, & Plutarchus, Teutonas cum Ambronibus conjungunt, eosque a Mario cæsos ad aquas Sextias; Cimbros vero a Mario & Catulo in Italia victos; Tigurinos, qui Noricos Alpium tumulos insederant, in diversa lapsos, fuga sibi consuluisse, tradunt. Quod in delendis Cimbris, Lutatius Catulus Proconsul, strenuam quoque operam dedisset, inter ipsius & Marij milites, orta fuit contentio, utrorum præcipue opera victoria videretur quæsita, quod cum Parmensium legatorum judicio permissum fuisset, Catuli militibus ea laus attributa fuit: quia pila corporibus hostium infixa reperiebantur, quibus Catuli erat nomen, non Marij inscriptum: fama tamen & decus omne, tum ob Consulatus majestatem, tum priorem adversus Teutones palmam, Cajo Mario vindicabantur: Populus Romanus tertium eum conditorem urbis appellavit, quod non minore discrimine tum Roma esset servata, quam cum Senones a Furio Camillo ex urbe ejecti fuere. Vellejus Paterculus certe in hæc verba prorumpit, ut testetur, *Ea victoria Marium meruisse, ne ejus nati rempubl. peniteret, ac bona malis repensasse.* Tanti æstimabatur, Cimbros, aut potius Germanos, quorum fortissimi Suevi, superasse! Nec sine ratione Jul. Cæsar probaturus Belgas, omnium Gallorum fortissimos esse, hoc argumento utitur (*u*) *quod omni Gallia vexata, Teutones, Cimbrosque intra fines suos*

(*u*) lib. 2. de Be Bell. Gall. cap. 9.

Servili bello, duce Spartaco concitato & gesto, licet Germani, atque Suevi interfuerit, Germanorum tamen atque Suevorum virtus decus suum tuita fuit.

suos ingredi prohibuerint. Mithridatico porro bello, Spartacium in Italia gladiatorium, idem, atque servile, ætate compar *Spartaco*, & Crixo & Oenomano ducibus gestum est, Thrace illo, his Gallis, uti distinxit Orosius: (*o*) qui & retulit tum Gallos, tum Germanos inter Spartaci auxilia: Cæsar (*p*) ut bellum hoc *servilem tumultum* vocat; ita certum est illi Suevos interfuisse, aliosque Germanos, eosque a Gellio Consule cæsos; ut diserte testatur Plutarchus. (*q*) Forte alicui narratio hæc humilis & obscura videbitur, nec pro fortissimi populi majestate: hoc tamen loco referenda erat, quod hæc ipsa servilis manus, prudentiæ & fortitudinis exempla ediderit; inter quæ insigne unum, quod cæsis memorabili pugna duodecim illorum millibus ac trecentis, duo solum a tergo vulnerati reperti, reliqui omnes, versis in hostes frontibus & pugnaverint & ceciderint.

§. X.

Cæsar Julius, Gallia magnam partem occupata, ab Ariovisto Germaniæ rege, neglectus fuit: Et, quod Germanū decebat, Ariovistus responsum dedit,

Venimus ad C. Julium Cæsarem, qui, cum majori quam ullus unquam antea Romanorum, rerum gerendarum cupidine flagraret, (*r*) præ ambitione, ex omni provinciarum copia Gallias potissimum propter idoneam triumphorum materiam elegit; (*s*) Galliaque Transalpina, mox & Cisalpina acceptis: Illyrico insuper & Helvetio, bellis confectis, Ariovistum regem Germanorum, quod haberetur Romanorum socius ad se venire jubet, nam Heduos, Sequanos, aliosque Galliarum populos aliquot annis ante subegerat. At Ariovistus: *Negat sibi opus esse Cæsare. Si Cæsar sui egeat, fas esse, ut ipse ad Ariovistum, qui Rex sit, veniat.* Accensus ita Cæsar, imperat Ariovisto per legatos, ut Galliis excedat. Qui iterum

(o) lib. 5. cap. 24. (p) lib. 1. Bell. Gall. cap. 40. (q) In Crasso. (r) Dion. Cass. lib. 39. (s) Sueton. lib. 1. c. 22.

iterum superbe, sed tamen ut Germanus: *Quis autem est Cæsar? & , si vult, veniat,* inquit, *& quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis?* (t) Itaque tantus Germanorum terror in castris, ut testamenta passim in principiis etiam scriberentur. Cæsar trepidationem militum ægre allocutione inhibere potuit. Ariovistus multos quidem exciverat Germanos, sed præcipui inter illos erant Suevi: omnem autem suam aciem rhedis & carris circumdedit, ne qua spes in fuga superesset. (u) Illis mulieres imposuerat, quæ, in prælium proficiscentes milites, passis manibus, flentes implorabant, ne se in servitutem Romanam traderent. Germani cum ad manus veniretur, tam celeriter procurrerant, ut Romanis pila conjiciendi spatium non daretur; cominus gladiis pugnatum est. Quos ut evitarent, elatis super capita scutis, factaque phalange, impetus & ictus exceperunt. Sed tanta fuit Romanorum fortitudo, ut quidam in phalanges insilirent, scuta manibus revellerent & vulnerarent. Vnde Florus: (x) *Qui calor in præliando fuerit, nullo magis exprimi potest, quam quod elatis super caput scutis cum se testudine Barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierant, & inde in jugulos gladiis descendebant.* Eoque tandem cesserunt Germani, atque, ut, loquitur Orosius: In fugam versi, per, quinquaginta millia passuum insatiabiliter cæsi sunt, neque conjici potuit numerus Germanorum, vel quantus pugnæ affuerit, *vel quantus fuerit occisorum. Ariovistus in Germaniam, arrepta navicula Rhenum transvectus, effugit, uxores ejus duæ, totidemque filiæ, captæ sunt.* Uxorum autem altera Sueva erat, teste Cæsare: (y) nec tamen Cæsar, victor licet, ultra Rhenum progredi ausus fuit, metu Suevorum, qui

Victus a Cæsare Ariovistus fuit, non tamen debellatus.

Captæ fuerunt Ariovisti uxores, quarũ altera Sueva.

Sed curavit minus, quod centumSuevorum pagi,

(t) Epit. Liviana lib. 109. Cæsar lib. 1. de Bell. Gall. Dion Cassius lib. 39.
(u) Oros. lib. 6. cap. 7. (x) lib. 3. cap. 10. (y) lib. de Bell. Gall. cap. 53.

ipso Cæsare trepidante, ad Rhenum castra posuissent. Julius Cæsar Suevos nunquam ausus fuit aggredi.

qui ante pugnam quoque, præ aliis terrorem incusserint. Cum enim, Treviri (z) conquererentur, *pagos centum Suevorum ad Rhenum consedisse, qui Rhenum transire conarentur: iis praeesse Nasuam, & Cimberium fratres, Cæsar vehementer commotus, maturandum sibi existimavit.* Nec unquam Cæsar Suevos aggredi sustinuit. Aliquando Rheno pontem imposuerat, ut Sigambros, in gratiam Ubiorum, in ordinem redigeret: at, simul ac cognovit (a) *Suevos more suo, consilio habito, nuncios in omnes partes dimisisse, uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores, suaque omnia in silvas deponerent, atque omnes, qui arma ferre possent, unum in locum convenirent: Cæsar se in Galliam recipit, pontemque rescidit.* Æstimavit proinde, ob caussas, quæ jam patent, hos ipsos Suevos Octavius Cæsar, ut habuerit quoque in exercitu, quem adversus Antonium duxit, prout testis est Dio: (b) qui addit inter reliqua oblectamenta, quæ Romam redux populo exhibuit, notatas fuisse turmas Dacorum & Suevorum, depugnantes invicem. Non unus, sed plures ex Scriptoribus Germanis, quod Julius Cæsar ad Coloniam Ubiorum pontem Rheno imposuisset, amplam fabulandi atque posteritati imponendi materiam invenerunt, fingendo ipsum totam Germaniam debellasse, victoria parta, in perennem rei bene navatæ memoriam, septem urbes, a totidem Planetis denominatas condidisse. Primam vero, (sed juxta ejusmodi fabulatores) in honorem Saturni erectam, & vocatam Saterburg, alteram Hamburg, in Jovis Hammonii, tertiam Merseburg, in Martis, quartam in Solis Solwedel, quintam in Veneris honorem, dictam Magdeburg, sextam Mercurio dicatam Heresburg, septimam Lunæ Luneburg. At, quæ sunt nugæ, si hæ non sunt? Certe somnia anilia, atque vaniora longe, quam Luci-

Unde postea eosdē æstimavit Cæsar Augustus, atque non modo habuit in exercitu, quē contra Antonium duxit: sed & inter Triūphi oblectamenta, ostentavit. Fabulis accensendum quod multi tamen perhibuerunt; Juliū Cæsarem, dum Rhenum transisset, septē urbes condidisse, a totidem Planetis nomē habentes.

(z) Cæsar. eod. l. c. 37. (a) Cæs. l. 4. de Bell. Gall. c. 19. (b) lib. 51.

Luciani Gallus vidit. Refutat illa ipse Cæsar, loco adducto proxime: Nam cum supra duos & viginti dies ultra Rhenum non fuerit commoratus, ac pontem rescindere, vi majori ingruente, debuerit; quis usque adeo credulus, ut persuadere sibi queat, tot urbium (quarum apud Cæsarem & reliquos Romanos Scriptores altum silentium est) vel fundamenta jacere potuisse. inter quas quoque fuerit Soltwedel in Veteri Marchia.

ANT. N. CHRISTUM XLII.

§. XI.

ANT. N. CHRISTUM X.

Post Cæsarem Julium, in curia interfectum, summa rerum Romanarum potestas ad Cæsarem Octavianum, qui postea nomen Augusti promeruit, devoluta fuit. Illi cum Germanis, speciatim Suevis, non minus negotium fuit atque patri. Nam præterquam (c) quod Sicambri, Usipetæ, & Tenchteri (auxiliis Suevorum dubio procul firmati) quosdam Romanorum in sua regione deprehensos, ut servos cruci affixerunt, Rheno transmisso, ex Gallia prædas egerunt, equitatum Romanorum contra se missum per insidias circumvenerunt; amplius M. Lollium tutandæ Germaniæ destinatum, ad quem a fugientibus præter opinionem pertracti erant, vicerunt. Quod his verbis narrat Paterculus (d) *Clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ, quam recte faciendi cupidiore, inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo, amissaque legionis V. aquila, vocavit ab urbe in Gallias Cæsarem.* Dubito, an, ob qualemcunque hanc cladem, urbem Augustus reliquerit: nam, Dioni si credimus, Lollius non plane victus fuerit, quin potius, cum mox hostes apparatum illius audirent, in suam terram regressi, obsidibus datis, pacem acceperint. Credendum potius est, Augustum, non motum quidem Lolliana clade, sed æmulatione maxime patris Julii, quem bis

Quid sentiendum sit de Lolliana clade, per Suevos potissimũ illata, & qualiter illa Augustum affecerit?

(c) Dion Cass. l. 54. (d) l. 2. c. 97.

bis transvectum ponte Rhenum constat, Germaniam in provinciam voluisse redigere. Curam autem atque onus Germanici belli delegavit privigno suo Claudio Druso, Fratri Tiberii Neronis. Qui, quantas in Germania res gesserit, discere est ex Dione Cassio. (e) Paucis, more suo, pleraque Orosius, exhibet (*) *Drusus* (inquit) *in Germania primo Usipetes, deinde Tencteros, & Cattos perdomuit. Martomannos pene ad internecionem cecidit, postea fortissimas nationes, & quibus natura vires, consuetudo experientiam virium dabat: Cheruscos, Suevos & Sicambros pariter uno bello, sed etiam suis aspero, superavit. Quorum ex eo considerari virtus ac feritas potest, quod mulieres quoque eorum, si quando preventu Romanorum inter plaustra sua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo uti furor possit, parvos filios collisos humi in hostium ora jaciebant, in singulis, filiorum nece, bis parricidæ.* Suevi vero & reliqui Germani victi non fuissent, nisi nimia cupiditas prædæ, quam præmature diviserant, a prœlio avertisset. Huc traho illa Flori: (f) Drusus *validissimas nationes, Cheruscos, Suevosque & Sicambros pariter aggressus est, qui viginti centurionibus crematis, hoc velut sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoria spe, ut prædam, in antecessum, pactione diviserint. Cherusci equos, Suevi aurum & argentum; Sicambri captivos elegerant: sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus, equos, pecora, torquens eorum: Ipsosque præda divisit & vendit.* Providit amplius in futurum Drusus, ut in obsequio manerent Germani. Postea, ita deinceps idem Florus: *Præterea in tutelam provinciarum, præsidia, atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen: per Albim; per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit.* Distincte inquirere nolo in singula, speciatim in munimenta, quæ ad

Quantas ille res in Germania gesserit?

Suevi ab illo victi quidem sunt; sed victi non fuissent, nisi spes prædæ eos excæcasset.

(e) l. 54. & 55. (*) l. 6, c. 21. (f) lib. 4. cap. 12.

ad Albim Drusus statuit; ne post diligentissimum & exactissimum Cluverium (g) rem actam agam: Non putarim quoque ab ipso Druso, aut a Fratre Tiberio, qui, ut deinceps dicetur, reliquias belli Germanici confecit, munitam fuisse civitatem Soltwedel, in Marchia antiqua a Langobardis antea quasi conditam: frustra valde esse, qui illius natales ad Julium Cæsarem referunt, jam antea ostendimus. Non invitus quidem dederim, antiquam civitatem esse, nec tamen accersiverim natales ipsius tam alte. Non assentior quoque illis qui existimant Soli quondam dicatam fuisse, fingendo insuper hic templum aliquando stetisse, in quo occurrerit idolum hominis specie, quod ante pectus ambabus manibus flammantem rotam tenuerit. Ex Etymologia, si civitas hæc debeat agnosci; accesserim potius illis, qui putant dicendum esse, Soltwill, hoc est, *Solis domum*. Etiam Will & Wedel prisco quoque Germanorum idiomate domum signant, & quidem talem, quæ ex limo constat. Unde & illi ex fabrorum ordine, qui parietes calce inficiunt, Wellers dicuntur, hoc est, incrustatores; nisi forte placuerit, statuere civitati huic proprium nomen esse Soltquel a salinis, quod olim hic fontes salis copiosissimi fuerint. Sed, ad institutum ut redeamus, quatuor annorum spatio, totidemque expeditionibus bello Germanico Drusus defunctus fuit. Vivere vero desiit, dum in quarta expeditione esset. Dubium tamen quo mortis genere. Dio (h) simpliciter dicit; *Drusus prius quam Rhenum attingeret, morbo decessit.* Similiter Paterculus (i) *illum, magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, Consulem, agentem annum tricesimum, rapuit:* at distincte magis Strabo, quod ad locum: (k) *Est & Sala fluvius, inter*

An civitas Soltwedel, sive a Langobardis, sive a Julio Cæsare condita, a Druso munita fuerit?

Inquiritur in proprium nomen hujus civitatis.

Quo mortis genere Drusus obierit?

(g) Germ. Antiq. l. 2, c. 18, & seqq. (h) l. 55. (i) l. 2. c. 97. (k) l. 7. Geograph.

inter quem & Rhenum bellum felici successu gerens, obiit Drusus Germanicus. Aventinus, qui credulæ, ut persuasum habebat, posteritati, absque idoneis testibus, infinitas fabulas propinavit, fingit: Drusum, dum finiendo ad Rhenum bello intentus est, in fugam fuisse versum, celerique equo actum corruisse, atque crure fracto, prope Bingium animam exhalasse. Pro Aventino, qui hoc asserat, vetustiorem historicum non adduxeris, quam Abbatem Urspergensem, sed qui ipse in multis quoque fallitur. Ut ut sit, Drusus post mortem quoque tyrannidis exercitæ reliquit memoriam apud Germanos, solitos, quoties meminerunt, **der Droes**, sive **de Droes**, haud aliter affici, atque si diabolus præsens cogitaretur.

Notatus Aventinus.

Drusi memoria ab excessu Germanis quoque terribilis fuit.

§. XII.

Belli Germanici reliquias Claudius Tiberius Nero, Frater Drusi, qui Augusto in imperio successit, confecit. Summam rerum ab ipso gestarum complexus est Vellejus Paterculus commilito, sed qui sæpe parasitatur. Ex quo hæc pauca duntaxat excerpimus: (*l*) *Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuari, Bructeri, recepti Cherusci, gentes; & omnis mox clade nostra nobilis transitus Visurgis, penetrata ulteriora, Anni ejus æstiva, usque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ.* Atque iterum: (*m*) *Victa gentes pene nominibus incognita, recepta Cauchorum nationes. Omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, una cum ducibus suis septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante Imperatoris procubuit tribunal.* Fracti Longobardi; gens etiam Germana feritate ferocior: *denique quod nunquam antea spe conceptum, ne dum opere tentatum erat, ad quadringentesimum miliarium, a Rheno*

Tiberius, qui in imperio Octavio Augusto successit, reliquias belli Germanici confecit. Notatur Paterculus, res, a Tiberio in Germania gestas, nimis extollens, simul geminus ejusdem error.

(*l*) lib. 2. cap. 105. (*m*) lib. 2. cap. 106.

Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum, Hermunduorumque fines præterlabitur, Romanus cum signis perductus exercitus: & eodem, mira felicitate & cura ducis, temporum quoque observantia: classis, qua Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito & incognito ante mari, flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria: cum abundantissima omnium rerum copia excercitui Cæsarique se junxit. In quibus multa tamen occurrunt vero minus consentanea, quæque ingenium Paterculi, ad adulandum facti, arguunt. Etenim quis credat ad quadringentesimum miliarium, Rhenum ab Albi positum esse: omnes quoque anfractus atque circuitus paludum, saltuumque si complexus fueris, in itineris hujus designatione haud amplius CCXL. millia passuum reperientur: prout jam pridem ostendit accuratissimus Cluverius. (*n*) Cum ratione quoque quæras, ubi situm fuerit *inauditum atque incognitum ante mare*, cum ut a Lipsio quoque (*o*) observatum est, Drusus antea illud navigasset, sicut ex Dione (*p*) satis constat. Luctuosa hæc admodum Germanis, potissimum Suevis, Germanorum potentissimis, fuerunt, tolerabilia tamen præ illis, quæ deinceps acciderunt. Siquidem haud multo post, alia in Germania calamitas, gentis jugulum petiit. Documento, imperiorum vices atque conversiones, proviso summi Dei consilio, non vero incertis & fortuitis occasionibus, circumagi. Marobodui Regis præcipua in Germania auctoritas ferebatur, qui cum juvenis Romæ beneficiis ab Augusto affectus fuisset, plurimis, atque dum ibi vivit (quod ingenio minime barbarus esset) dominandi artes profunde imbibisset, in patriam reversus, maximo facinori, parando regno, animum, privatus licet, adjecit. Quodque non defuerit tantæ rei conandæ instrumenta idonea, quivis credet, si puta-

Quibus artibus instructus fuerit Maroboduus, dum studet acquirendo universæ Germaniæ regno.

(*n*) Germ. antiq. lib. 3. cap. 18. (*o*) id notis ad h. l. (*p*) lib. 55. Histor.

putaverit Paterculo, contra Romanos & ſuum Tiberium teſtanti, fidem, habendam eſſe (q) *Marobodus* (inquit) *genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium neque fortuitum, neque mobilem & ex voluntate parentium conſtantem, inter ſuos occupavit principatum, ſed certum imperium, vimque regiam complexus animo, ſtatuit, evocata procul a Romanis gente ſua, eo progredi, ubi cum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. &c. corpus ſuum cuſtoditum, imperium perpetuis exercitiis pœne ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens & noſtro quoque imperio timendum perduxit faſtigium, gerebatque ſe ita adverſus Romanos, ut neque bello nos laceſſeret, & ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim & voluntatem reſiſtendi declararet.* Certe, dum Auguſtus Moraboduum fovet, anguem, & quidem ſuo tempore immanem futurum, in ſinu nutrivit: at ignoſcendum ex parte principi, cæteroquin circumſpecto. Omnibus Romanis perſuaſum erat, trans Alpes corpora naſci, quæ ſonum quidem ederent, & externum aſpectum hominem præferrent, at mentem intus non haberent. Qui ſalvam remp. deſiderant, ad arcana ipſius non admittant extraneos, nedum hoſtes, etiamſi bruti fuerint, aut, tales ſeſe ſimulent. Sed ad Maroboduum. Cum Marcomannos ſibi ſubjeciſſet & ex Suevis Semnones, exercitum ſeptuaginta millium peditum & quatuor equitum fecit, quem aſſiduis adverſus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat, operi præparare videbatur. Obſervandum hominis altiſſimæ prudentiæ conſilium, cum Romanos, trajecto Rheno, Germaniam ex illa potiſſimum parte aggreſſos, victis Sicambris, Uſipetis, Cauchis, Cheruſcis, Cattis, ad Viſurgim & Albim progredi, ſeſe mox petendum, jam imminen-

Prudenter ſe compoſuit adverſus Romanorũ vim.

(q) lib. 2. cap. 108.

nentibus victoribus imparem, nondum confirmatis viribus, animadverteret; ne obnoxius ageret, excita Marcomannorum gente sedibus suis patriis, eam procul a Romanis avocavit. Placuitque campos, Hercynios sylva circumdatos, veluti arcem, legere: quod inde Germaniam a læva & in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo Noricos haberet, & tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timeretur: nam Pannoniam trajecto Danubio etiam vexasse, Rufus, (r) indicat, quando Marcomannos tractu inter Danubium & Dravum pulsos prodidit.

NATIVITAS DN. JESU CHRISTI.

INterea Cn. Lentulo, M. Valerio Messalino Coss. extremo anni, omnium gentium expectatio, DN. JESUS CHRISTUS, æterni Dei filius æternus, ipse Deus, ex Maria virgine natus est. Ad quem cum annorum hactenus numeros, veluti antemeridianas umbras, progrediendo contraxerimus, illos ab eo etiam deinde protendemus.

§. XIII.

Anno post Eum natum octavo, Tiberius qui antea tum Suevos, tum Maroboduum, pace obstrinxerat (s) hunc auspiciis Augusti petivit, sed mox æquis conditionibus discessum fuit, (t) retractus siquidem fuit per Pannoniæ & Dalmatiæ motus, artibus Marobodui concitatos. In annum undecimum a nato redemptore humani generis clades Variana incidit, de qua ita per compendium, more suo Florus: (u) *Germani victi*

Quomodo a Marobo- duo delusus fuerit Tiberius, quem Augustus in Germaniā miserat.

Cladis Varianæ historia.

(r) In Breviar. Imp. Rom. (s) Tacit. lib. 2. Annal. c. 26. (t) Tacit. lib. 2. Annal. c. 25. (u) l. 4. c. 12.

victi magis, quam domiti erant; moresque nostros magis, quam arma sub Imperatore Druso suscipiebant:
XI. *Postquam vero ille defunctus, Vari Quintilii, libidinem atque superbiam, haud secus, quam sævitiam odisse cœperunt. Ausus ille agere conventum: & in castris jus dicebat, quasi violentiam barbarorum & lictoris virgis & præconis voce posset inhibere: at illi qui jam pridem rubigine oblitos enses, inertesque mœrerent equos, ut primum togas & sæviora armis jura viderunt, duce Arminio arma corripiunt. Cum interim tanta Varo pacis erat fiducia, ut ne prædicta quidem & prodita per Segestem unum principum, conjuratione moveretur. Itaque improvidum, & nihil tale metuentem, improviso adorti cum ille (o securitas!)* ad tribunal *citaret, undique invadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res, eodem quo Cannensem diem Paulus, & fato est, & animo sequutus. Nihil illa cæde per paludes, perque silvas cruentius: nihil insultatione barbarorum intolerantius, præcipue tamen in caussarum patronos; aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus,* tandem, *inquit,* vipera sibilare desiste. *Ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum. Signa & aquilas duas adhuc barbari possident, tertiam signifer prius, quam in manus hostium veniret, evulsit, mersamque intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude*

palude sic latuit. Præter Arminium, patriæ libertatis vindicem, commemorandus amplius Segimerus. Qui qualibus artibus Varum circumvenerint, cum distincte præ aliis Dio (*x*) retulerit, operæ pretium fuerit, hoc loco eum, sed per interpretem loquentem exhibere: *Quia Germani Romanos multos*, (inquit) *apud Rhenum, multos apud Varum versari viderent, rebellionem palam tentare non audebant, ideo Varum ita acceperunt, ut omnibus ejus jussis obtemperaturi viderentur, proculque eum a Rheno in Cheruscorum fines & ad flumen Visurgin abduxerunt. Ibi summa in pace ac amicitia, erga eum viventes, in hanc eum opinionem abduxerunt, quasi possent absque militum opera in servitute contineri. Igitur Varus, neque milites, quod in hostico fieri debet, uno loco continuit, multosque suorum, petentibus infirmioribus Germaniæ populis, sub nomine præsidio firmandorum oppidorum, aut latronum comprehendorum, commeatuumve tutius subvehendorum, distribuebat. Erant inter eos qui conspiraverant, duces insidiarum & belli, quod tum conflabatur, præcipui, Arminius & Sigimerus, semper cum Varo conversantes, sæpiusque convivantes. Jam fidente rebus Varo, ac nihil mali expectante, ac non modo fidem omnem, iis, qui rem, ut erat suspicantes, eum ut caveret sibi monebant, abrogante, sed objurgante etiam eos, quod sibi timerent, ac illos in invidiam vocarent, repente ex composito quidam ex longinquis Germani*

Arminius atque Segimerus artibus singularibus Q. Varum circumvenerunt.

(*x*) lib. 56.

mani insurgunt: nimirum ut contra eos proficiscens Varus, in itinere oportunior cladi esset, cum se per amicorm regionem ire crederet, neque omnibus simul bellum moventibus sibi caveret: id consilium eventu approbatum fuit. Nam & exercitum abducentem eum cohortati sunt, & ipsi, ut auxilia paraturi, ac celeriter subsidio venturi domi remanserunt: mox acceptis, quæ jam in promptu, certo quodam loco suis copiis, occisis Romanis, quos ante ab eo impetratos, quisque secum habebat, militibus, in sylvis eum jam inviis hærentem assecuti, repente pro subditis hostes se esse ostenderunt, ac mala Romano exercitui multa ac gravia ingesserunt. Erant montes, qua Varus tum ducebat, convallibus crebris intercepti, ac inæquales: arbores autem densæ, ac immodicæ proceritatis, quibus Romani etiam ad hostium adventum cædendis, viamque parando, & qua opus habebant pontibus jungendo, defatigati fuerant. Currus autem & jumenta impedimentis ferendis agebant secum plurima, ut in pace: sequebantur etiam pueri ac mulieres, calonesque magno numero, quo ipso etiam iter magis incompositum, facere opus habebant. Interim pluvia cum magno vento superveniens, magis adhuc eos dissiparat, solumque lubricum ad radices & truncos arborum redditum, gressus quam maxime lapsui obnoxios effecerat, tum arborum summa confracta ac dejecta eos perturbarant.

Quanta clades Variana fuerit?

His difficultatibus Romanos tum conflictatos, Germani undiquaque per densissimas ipsas sylvas, quippe callium periti, consectati circumvenere, ac initio eminus tantum impetiere: post cum nemo se defenderet, multi vulnerarentur, cominus congressi sunt: nempe nullo ordine, promiscuo itinere currus & inermes proficiscentes Romani, neque coire inter se

facile poterant, ac singuli a pluribus cum invaderentur, multa incommoda, nullo hostibus reddito, patiebantur. Locum modo ibi, ut in monte sylvis obsito, opportunum nacti, castra fecerunt, majorique curruum, quibusque carere possent, impedimentorumque parte combusta, aut relicta, majis ordinato itinere postridie progressi sunt, in locum nemore vacuum: ne hoc quidem sine suorum cæde. Hinc iterum in sylvas inciderunt, & cum ab adortis se hostibus conarentur defendere, haud parum hoc ipsis ad cladem contulit. Loco enim augusto orbem volventes, ut confertim equites simul peditesque in hostem incurrerent, multa sibi invicem ipsi damna dederunt, multa ab arboribus passi sunt. Excepit hanc diem alia effuso imbre & vento vehementi, importuna, ut neque procedere neque consistere firmiter possent: usu quoque ipsis armorum ademto: sagittis, pilis, scutisque madentibus, & eo nullius commodi usus: ea hosti, quod plerique levis erant armaturæ, ac aggredi progredique tuto poterant, minus eveniebant. Jam & numero aucti Germani erant, cum permulti ante ambigui vel prædæ nomine se eis adderent, quo facilius Romanos, qui multos prioribus cladibus suorum amiserant, & circumdabant, & trucidabant. Ideo Varus, aliique primores, jam acceptis vulneribus, cum metuerent, ne vel in hostium potestatem vivi venirent, vel ab infensissimo hoste interficerentur, sibi ipsi manus intulerunt, rem duram quidem, necessariam tamen ausi. Harum audita morte, nemo etiam eorum, quibus robur suppetebat, se defendit, sed alii ducis sui exemplum imitati sunt, alii armis abjectis cædi se præbuerunt. Itaque jam nullo metu, viri omnes equique cadebantur; omnesque Romani ea die occidione

periissent, aut capti fuissent, nisi Germani se ad diripiendam prædam convertissent. Quo factum est, ut robustissimus quisque evaderet: ac tubicines, qui cum iis erant, signum rursus incinentes, se ab Asprenate auxilio suis missos, opinionem hostibus injecerunt, quia videri (jam enim tenebræ se intenderant) non poterant. Ea res inhibuit ab insequendo Germanos: & Asprenas, cognita re, vere auxilium suis tulit. Postero tempore nonnulli captivorum redempti sunt, concesso hoc ipsorum necessariis, ea conditione, ut extra Germaniam manerent. Lucius hic Asprenas, a Dione commemoratus, qualia & quanta pro salute multorum Romanorum, certæ internecioni destinatorum præstiterit, sed & aliis adjutoribus accedentibus, testis fuerit vel unus Paterculus (y) *Reddatur verum* (inquit) *L. Asprenati testimonium, qui legatus sub avunculo suo Varo militans, nava virilique opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta clade servavit: matureque ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit. Sunt tamen, qui, ut vivos ab eo vindicatos, ita jugulatorum Sub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam. Lucii etiam Cadicii, præfecti castrorum, eorumque qui una circumdati, Alisone immensis Germanorm copiis obsidebantur, laudanda virtus est; qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni prouidentia usi, speculatique oportunitatem, ferro sibi ad suos peperere aditum.* Ingens tamen clades, quæ per Arminium Romanis illata fuit,

Minorem tamen illæ reddidit L. Asprenatis virtus, atque prudentia Lucii Cædicii.

(y) lib. 2. Hist. cap. 120.

fuit, C. Poppæo Sabino, & C. Sulpicio Camerino Coss. affecitque præ aliis ipsum Augustum principem.

Romani post cladē Varianam tota Germania exturbati fuissent, nisi de principatu ipsius inter se Arminius atque Maroboduus contendissent. Quare Arminius præ Maroboduo populo Germano acceptior fuerit.

§. XIV.

Ejecti quoque dubio procul tota Germania Romani fuissent, nisi duo illi *Martes Germaniti* (intelligo Arminium, & Maroboduum) intestinis armis inter se collisi, nudum hostibus latus præbuissent. Res ita habet: (z) Maroboduum, Regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat. Itaque non modo Cherusci, sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum: sed e regno etiam Marobodui Suevæ gentes Semnones, & Langobardi defecere ad eum. Quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduum perfugisset; non aliam ob causam, quam quia fratris filio juveni, patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus, aut disjectas per catervas; quippe longa adversus Romanos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta Imperatorum accipere. At tunc Arminius equo collustrans cuncta, ut quosque advectus erat: *Recuperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc & tela Romanis direpta in manibus multorum*, ostentabat. *Contra fugacem Maroboduum* appellans, *præliorum expertem, Hercyniæ latebris defensum: ac mox per dona & legationes petivisse fœdus, proditorem patriæ, satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quinctilium interfecerint. meminissent modo tot præliorum, quorum eventu, &, ad postremum, ejectis Romanis, satis probatum, penes utros sum-*

Utriusque oratio ad milites, cū illos in aciem eduxissent.

(z) Tacit. l. 2. Annal. c. 44. 45.

summa belli fuerit. Neque Maroboduus jactantia sui, aut probris in hostem abstinebat; Sed Inguiomerum tenens, *Illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta, quæ prospere ceciderint,* testabatur. *Vecordem Arminium, & rerum nescium, alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones, & ducem fraudis ignarum perfidia deceperit; magna cum clade Germaniæ, & ignominia sua, cum conjux, cum filius ejus servitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam servavisse. Mox conditionibus æquis discessum: neque pœnitere, quod ipsorum in manu sit, integrum adversus Romanos bellum, an pacem incruentam malint.* His vocibus instinctus exercitus propriæ quoque causæ stimulabant, cum a Cheruscis, Langobardisque pro antiquo decore, aut recenti libertate; & contra augendæ dominationi certaretur. Non alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus, sperabaturque rursus pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi fuit: & transfugis paulatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium, oraturus auxilia. Responsum est, *non juvare eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantes in eundem hostem, Romanos nulla ope juvisset.* Fractus itaque, & præterea occultis insidiis a Tiberio Maroboduus petitus est, per Drusum ipsius filium, (*a*) qui inliciens Germanos ad discordias effecit, ut fracto jam Maroboduo, usque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis juvenis, nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, & tunc, dubiis rebus ejus ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad

Cæsus ab Arminio Maroboduus fuit; atque a Tiberio in Italiam evocatus, Ravennæ obiit.

(*a*) Tacit. lib. 2. Annal. cap. 62. & 63.

ad societatem, inrumpit regiam, castellumque juxta situm. Veteres illic Suevorum prædæ, & Romanis ê provinciis lixæ, ac negotiatores reperti, quos jus commercij, cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriæ, suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit. Maroboduo undique deserto, non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit. Transgressus Danubium, qua Noricam provinciam præfluit, scripsit Tiberio, non ut profugus, aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ. *Nam multis nationibus, clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse.* Responsum â Cæsare, *tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus ejus aliud conduceret, abiturum fide qua venisset.* Cæterum apud senatum disseruit, *non Philippum Athieniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse.* Extat oratio, qua *magnitudinem viri, violentiam subjectarum ei gentium, & quam propinquus Italiæ hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit.* Et Maroboduus quidem ex Tiberii consilio, reliquo vitæ tempore Ravennæ habitus, si quando insolescerent Suevi. (tantus scil. metus a Suevis nostris, Germanorum fortissimis, erat!) quasi rediturus in regnum ostentabatur, Sed non excessit Italia per duodeviginti annos; consenuitque, multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdæ casus, neque aliud perfugium. Pulsus haud multo post Hermundurorum opibus, & Vebilio duce, receptusque, forum Julium Narbonensis Galliæ coloniam mittitur. Quanti vero apud Tiberium Suevi fuerint, & quam formidabiles tum sibi, tum universo Romano Imperio, inde patet, quod Maroboduus ipsorum popularis, superstes ostentari debuerit, quo in obsequio permanerent. Taciti testimonium (*b*) instar omnium fuerit, quod licet de Germanis in communi loquatur, propius tamen Suevos

Servatus fuit ut Suevis, Germanorum fortissimis, terrori esset.

H respi-

(*b*) Germ. cap. 37.

respicit, nam illorum occasione scriptum est. *Arsacis* (inquit) *regno acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi, amisso & ipse Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone & Cassio, & Scauro Aurelio & Servilio Cæpione, M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulareis exercitus populo Romano: Varum, tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, divus Julius in Gallia, Drusus ac Nero in suis eos sedibus perculerunt.* Quod cum præ aliis proprio quoque experimento didicisset Princeps Tiberius, Suevos reliquosque Marobodui (c) & Catualdæ commilitones, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra, inter Flumina Marum & Cusum locavit, dato rege Vannio, gentis Quadorum. Sed, hæc aliquanto post acciderunt. Paulo ante, Germanicus contra Arminium, & Inguiomerum feliciter rem gesserat, ductuque L. Stertilii, qui Bructeros, sua urentes fuderat, repererat quoque inter prædam undevicesimæ legionis aquilam, cum Varo amissam (d) non, tamen *impune*. Nam (ut idem Tacitus testis est (e) *legiones & plus vulnerum & ciborum egestas fatigavit.* Post Maroboduum non diu quoque superstes fuit Arminius: nam, cum & ipse, submoto æmulo, regnum adfectaret, (f) libertatem popularium adversam habuit: petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, &, qui non primordia populi Romani, sicut alij reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessivit: præliis ambiguus, bello non victus. Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit.

Ut a Suevis securus esset Tiberius, eos, simul reliquos Marobodui socios, ultra Danubium locavit,

Arminius brevi post Maroboduum mortuus est.

§. XV.

Tiberij successor Caligula, dubium an sanæ mentis homo,

Caligula Suevis infaustum bellum intulit.

(c) Tacit. lib. 2. Annal. c. 63. (d) Tacit. lib. 2. Annal. c. 60. (e) l. 1. Annal. c. 68. (f) Tacit. lib. 2. Annal. c. 88.

homo, varia moliri instituit, etiam contra Germanos, speciatim Suevos, bellum gessit: successum indicat Eutropius: (g) *Bellum* (inquit) *contra Germanos suscepit, & ingressus Sueviam, nihil strenue fecit.* ea scil. Suevorum jam tum virtus erat. Postea sub Claudio Imp. Cheruscorum gens (h) regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus, & uno reliquo stirpis regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine *Italus.* Paternum huic genus à Flavio, fratre Arminii, Mater ex Catumero Principe Cattorum erat: ipse forma decorus, & armis equisque in patrium Romanumque morem exercitus. Igitur Cæsar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur *gentile decus magno animo capessere. Illum primum Romæ ortum, nec obsidem, sed civem, ire ad externum imperium.* Ac primo lætus Germanis adventus, atque eo magis, quod nullis discordiis imbutus pari in omnes studio ageret; celebrari, coli, modo comitatem & temperantiam nulli invisam, sæpe vinolentiam & libidines grata barbaris usurpans. Jamque apud proximos, jam longius clarescere, cum potentiam ejus suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur, *adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes insurgere. Adeo neminem iisdem in terris ortum, qui principem locum impleat; nisi exploratoris Flavij progenies supra cunctos attollatur? Frustra Arminium proscribi: cujus si filius hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis, ut, si paterna Italo mens esset non alium infensius, arma contra patriam, ac deos penates, parentes ejus exercuisse.* His atque talibus magnas copias coëgere. Nec pauciores Italum sequebantur. Non enim erupisse ad invitos, sed accitum memorabant: quando nobilitate cæteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum patruo Arminio, avo Catumero præberet, nec patrem illi rubori

A. ANT. CHRIST. N. XLVI. Italus sub Claudio Imp. Cheruscis Rex datus, quali ingenio fuerit?

 esse,

(g) Eutrop. lib. 7. (h) Tacit. lib. 11. Annal. c. 16. & 17.

esse, quod fidem adversus Romanos; volentibus Germanis sumptam, nunquam omisisset. Falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant. Adstrepebat huic alacre vulgus; & magno inter barbaros prœlio victor rex; dehinc secunda fortuna, ad superbiam prolapsus; pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus refectus, per læta, per adversa res Cheruscas afflictabat. Per idem tempus Chauci nulla dissensione domi, & morte Sanguinij alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam, incursavere, duce Gannasco, qui natione Caninefas, auxiliaris, & diu emeritus, post transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus, dites & imbelles esse. At, Corbulo pro vinciam ingressus, exturbavit, (i) legiones operum & laboris ignaras veterem ad morem reduxit: Gannascum dolo aggressus, cecidit: præterea, ut miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio, fossam produxit, qua incerta Oceani vitarentur. Sub eodem Claudio, in superiore (k) Germania trepidatum, adventu Cattorum, latrocinia agitantium.

An. a. N. CHRISTO L.

§. XVI.

Qua Romani præterea sub Claudio Imp. in Germania gesserint?

Deinde L. Pomponius legatus, auxiliares Vangiones ac Nemetas, addito equite alario, monuit, ut anteirent populatores, vel prolapsis improvisi circumfunderentur. Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui lævum iter petiverant, recens reversos, prædaque per luxum usos, & somno graves circumvenere. Aucta lætitia, quod quosdam e clade Variana quadragesimum post annum servitio exemerant, At qui dextris & propioribus compendiis ierant, obvio hosti & aciem auso, plus cladis faciunt: Et præda famaque onusti, ad montem Taunum revertuntur ubi Pomponius cum legio-

(i) Tacit. lib. 11. Annal. cap. 17. & 19. (k) Tacit. lib. 12. Annal. 27. 28. 29. 30.

legionibus operiebatur, si Catti cupidine ulciscendi casum pugnæ præberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis æternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem & obsides misere. Decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus apud posteros, in quis carminum gloria præcellit. Per idem tempus Vannius, Suevis a Druso Cæsare impositus, pellitur regno, prima imperii ætate clarus acceptusque popularibus; mox diuturnitate in superbiam mutans, & odio accolarum simul domesticis discordiis circumventus. Auctores fuere Jubillius Hermundurorum rex, & Vangio & Sido sorore Vannii geniti. Claudius quanquam sæpe oratus arma certantibus barbaris interposuit, *tutum* Vannio *perfugium* promittens, si pelleretur, scripsitque P. Atellio Histro, qui Pannoniam præsidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis & terrori adversus victores. Nam vis innumera, Ligii aliæque gentes adventabant fama ditis regni, quod Vannius XXX. per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Jazygibus erat, impar multitudini hostium, eoque castellis sese defensare, bellumque ducere statuerat. Sed Jazyges obsidionis impatientes, & proximos per campos vagi, necessitudinem pugnæ attulere, quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant. Igitur digressus castellis Vannius, funditur prœlio: quanquam rebus adversis laudatus, *quod & pugnam manu capessit; & corpore adverso vulnera excepit.* Cæterum ad classem in Danubio opperientem perfugit. Sicuti mox clientes, & acceptis agris, in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus Romanos fide. Nos, ex Tacito hæc referre voluimus, quo omnia, quæ incerta videri possent, in ipsius potius, quam nostram fidem resolverentur. Sub Nerone, qui Claudio successit, agger a Dru-

Vannius a Druso Suevis præpositus, pellitur: quamnam caussa fuerit?

A. N. CHRISTO an. LVIII.

ſo inchoatus coercendo Rheno, abſolvitur, per Paulinum Pompejum (*l*) dum L. Vetus Moſellam atque Ararim, facta in utrumque foſſa, conectere parat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Avare ſubvectæ, per eam foſſam mox fluvio Moſella in Rhenum & in Oceanum decurrerent: ſublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter ſe Occidentis Septentrionisque litora fierent. Eodem tempore Anſibarii a Chaucis pulſi, & ſedis inopes, tutum exilium oraverunt: quod dum negaretur, Cattos & Cheruſcos petierunt, quos cum neque flectere potuiſſent; hoſpites, egeni, hoſtes in alieno ſolo cæduntur. Inter Hermunduros quoque (*m*) Cattosque magno proelio certatum eſt, dum flumen gignendo ſale fæcundum, & conterminum (interveniente religione) vi trahunt. Sed bellum Hermunduris proſperum, Cattis exitioſius fuit.

Anſibariorum interitus.

Bellum inter Hermunduros & Cattos.

§. XVII.

A. N. CHRISTO an. LXX.

Per Suevorum regem Sidonem & Italum Veſpaſianus imperium conſecutus fuit

Motus in Germania per Sabinū & Civilem excitati.

Vitellio ſuccedens Veſpaſianus, princeps obſcure quidem natus, ſed optimis comparandus, imperium haut conſecutus fuiſſet; niſi fortiſſimos Germanorum Suevos, ſimul ipſorum reges, Sidonem atque Italicum (*n*) in partes ſuas traxiſſet. Non multo poſt, quam imperium conſecutus eſſet Veſpaſianus, motus in Germania difficiles obtigerunt per Julium Sabinum & Claudium Civilem: dum ille imperium per Germaniam ſibi vindicat, jubendo amplius ſe Cæſarem ſalutari, velut Julio Cæſare prognatum. (*o*) At per Cerealem aliquot prœliis victus, rus abiit: ut famam exilii ſui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit, ibidem voluntaria morte interiiſſe creditus. Delituit vero in profundo ſepulchro, cum uxore Epponina, quæ duos interea filios ipſi peperit. Civilis vero, concitatis ad arma Batavis & Caninefatibus, (*p*) majori Galliæ parte ad ipſum tranſeunte, plures legiones vel

(*l*) Tacit. lib. 13. Annal. cap. 53. (*m*) Tacit. lib. 13. Annal. cap. 47. (*n*) Tacit. lib. 3. Hiſt. c. 21. (*o*) Xiphil. epit. Dion. in Veſpaſ. & Tacit. l. 4. Hiſt. c. 67. (*p*) Tacit. lib. 5. Hiſt. cap. 8. 9. &c.

vel jugulavit, vel ad ſe traduxit, Hordionio Flacco, ducibusque aliis interemptis. Quamvis autem ſex contra ipſum legiones a Mutiano evocatæ, venientisque exercitus fama, Galliarum civitates ad mitiora inclinaverint, invictus tamen Civilis perſtitiſſet, niſi ſuperveniſſet commune bellantium malum, diſcordia. Eoque, cum videret non modo Batavorum, ſed & Germanorum, quos ſub ſignis habebat, inclinationem ad Romanos, prævenire ſtatuit, (q) atque ſuper tædium vitæ, per Cerealem quoque oblata ſpe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit, permiſit ſe cum Velleda virgine, quæ vates habebatur, Romanorum fidei. Videtur autem hæc Velleda, adhuc multo tempore poſt in veneratione apud Germanos fuiſſe: etenim huc pertinere videntur verba Taciti (r) *Videmus ſub divo Veſpaſiano, Velledam diu apud pleroſque Numinis loco habitam.*

§. XVIII.

Veſpaſiano, nec multo poſt, Tito illius filio mortuis, ſumma rerum ad Domitianum pervenit, quem bellum Dacicum præ cæteris exercuit. Apud Dacos, ab aliis Getas dictos, (s) regnum obtinebat Decebalus, is erat in rebus bellicis cognoſcendis perſpicax, in agendo ſolers, promptusque ad invadendum, & recedendum, ſi res ita poſtularet. Etenim norat ſtruere inſidias, tempeſtive prœlium committere, prudenter uti victoria, acceptamque cladem moderate ferre. Domitianus miſit contra ipſum exercitum, quem legatis, inter quos præcipuus Julianus, commiſit. Julianus autem cæteris rebus bene ordinatis, militibus mandavit, ut ſua & centurionum nomina ſcutis inſcriberent, quo facilius illi, qui per virtutum aut ignaviam aliquid feciſſent, dignoſci poſſent. Quod ſtatuiſſe videtur, poſtquam Appius Sabinus conſularis, & (t) Cornelius Fuſcus præfectus prætorio, a Dacis, cum magnis exer-

A. CHRI. NATO. LXXXVIII

Quæ contra Germanos geſſerit Domitianus?

(q) Tacit. lib. 5. Hiſt. cap. 26. (r) Tacit. de morib. German. cap. 8. (s) Xiphil. e Dione. (t) Euopr. lib. 7.

exercitibus, occisi essent. Quibus ita ordinatis felicius Julianus rem gessit; congressus enim cum hostibus in Tapis, ingentem eorum numerum cecidit. ex quibus Vezinas qui secundum locum a Decebalo obtinebat, cum vivus non posset se in fugam conjicere, de industria pro mortuo cecidit, ac postea, clam noctu aufugit. Decebalus, veritus ne Romani jam victores regiam suam occuparent, arbores, quæ prope illam erant, excidi mandavit, & arma truncis imponi, ut hostes, veriti, ne milites adessent, regrederentur, quod & factum est. Videri possem hic minus oportune Dacorum meminisse, nisi constaret, Suevis illos conterminos, imo horum multos Dacis antiquitus permixtos fuisse. Domitianus vero, licet laboris impatiens, animoque imbelli, ad hoc petulans & libidinosus esset, ambivit tamen titulum Germaniæ triumphatoris, unde, nec lacessitus Cattis bellum intulit, confecitque illud ductu auspiciisque suis, cum Dacicum alieno ductu gestum fuerit. Infeliciter vero Marcomannos, quod nulla ab eis contra Dacos auxilia impetrasset, bello aggressus, victus in fugam conjectus est, ut a Dione (*u*) quidem proditum, nam Papinii Statii (*x*) ridicula adulatio, Domitiani quasi clementiam prædicantis:

Nunquam is domuit Marcomannos; licet hoc perhibeat Statius.

Qua modo Marcomannos, post horrida bella, vagosque
Sauromatas, Latio non est dignata triumpho.

A. N. CHRISTO XCIII.

Non multis annis post L. Antonius, Germaniæ præses, insurgere contra Domitianum ausus est; sed illum (*y*) Lucius Maximus devicit: qui etsi propter victoriam non est dignus magna laude; quod tamen literas omnes, inventas in scriniis Antonii, combusserit, prædicari meretur: felicitate vero mira bellum hoc (*z*) confectum est: cum ipsa dimicationis hora, resolutus Rhenus, transituras ad Antonium copias Barbarorum, inhibuisset.

LIBER

(*u*) Dio in Excerptis Peirescii. (*x*) lib. 3 sylv. (*y*) Xiphilinus l. d. (*z*) Sueton. in Domit. cap. 6.



LIBER SECUNDUS.

HISTORIÆ MARCHIÆ

Antiquæ.

EPITOME EIUSDEM.

§. I.


TRAIANUS, *ponte Danubio imposito, Dacos subegit, neutiquam tamen Germanis incommodavit.* §. II. *De bello Marcomannico ab Antonino Philosopho Imp. gesto, & quam horribile illud fuerit? Lucius Verus in expeditione moritur.* §. III. *Marcus tamen in Marcomannos it, penetratque cum exercitu usque in Quadorum fines; ubi, cum exercitus summa aqua penuria laboraret, ad preces, quorun-*

dam Christianorum militum, larga derepente pluvia effusa fuit: quam quidam Magicis artibus elicitam fuisse, perhibuerunt. Qua occasione Christi quoque nomen in Germania, speciatim apud Suevos, innotescere cœpit. Quod Avidius Cassius in Oriente pro Imperatore se gereret, e Germania Antoninus revocatus fuit. §. IV. *Illo victo in Germaniam rediit, atque per triennium bellum ibi gessit: non tamen Marcomannos in provinciam redegit, quod morti succumberet, cum hoc animo agitaret. Moriens commisit quidem illud filio Commodo, at hic voluptates, urbanasque delicias bello prætulit. Eoque facile, Marcomannis postulantibus, pacem concepit.* §. V. *Heliogabalus Imp. quare agitarit animo bellum adversus Germanos, & quare ab illo gerendo destiterit?* §. VI. *Alexander Severus Imp. cum bellum Germanis inferre destinasset, pacem iis dedit: quæ militibus displicuit, atque per Maximinum occisus est.* §. VII. *Imperante Gallieno, nomen Francorum, qui Germanicæ originis sunt, inclarescere cœpit. Franci Posthumio & Victorino strenuam operam navaverunt, adversus Gallienum.* §. VIII. *Sub Valeriano iidem Franci Rhenum transmiserunt: quos tamen Aurelianus, Tribunus adhuc, apud Moguntiacum cecidit & superavit. Idem Aurelianus, Valeriano Imp. militans adversus Persas, Germanos & Francos in exercitu habuit.* §. IX. *Imperatorio solio sublimis Aurelianus, Francos omni Gallia ejecit: Suevos quoque & Sarmatas afflixit, nec non Marcomannos, cum hi Mediolanum usque excur-*

ris-

rissent, Francos reliquosque Germanos, qui post Aureliani Imp. mortem, omnem ferme Galliam occupaverant, multis illorum millibus occisis, Probus Imp. gravissime attrivit. Probus Imp. permittit Germanis vites colere, uvisque vinum exprimere, quod Domitianus antea prohibuerat. §. X. *Sub Diocletiano Imp. quidam Ceraufius, jussus mare purgare, & tutam navigationem praestare, cum Franci diu illud infestum reddidissent, solummodo divitiis colligendis studuit, missoque adversus eum Maximiano, in Britannias profugit, ausus quoque purpuram sumere.* §. XI. *Alemannorum nomen hoc tempore primum innotuit. Agitur de varia nominis illius originatione & acceptione.* §. XII. *Diocletianus & Maximianus Herculeus purpuram deponunt, atque ad privatam vitam transeunt.* §. XIII. *Constantius Chlorus Caesar contra Francos feliciter rem gessit, & multa Alemannorum millia occidit. Idem hic Constantius Gymnasio Clivensi praefecit.* §. XIV. *Mortuo Eboraci in Britannia Constantinus eidem successit, qui, per plures annos cum variis tyrannis luctatus est, priusquam imperium secure obtinere posset.* §. XV. *Constantinus, nondum firmato imperio, in Gallia contra Francos & Alemannos feliciter rem gerit, captis eorum regibus, Asarico & Gaisone. Totam dein Bructerorum gentem funditus delet.* §. XVI. *Francos non quidem delevit, sed in ordinem redegit, dispositis per Rhenum fluvium navibus. Praeterea omnes Barbaras gentes, circa Rhenum & Oceanum incolentes, aut domuit,*

aut ita fregit, ne in posterum nocerent. Inscriptio vetus inventa olim in cœnobio Tuitensi. §. XVII. *Mors Constantini M. Ante mortem, inter tres suos filios imperium quidem diviserat, at illi, nihilominus acriter de illo inter se contenderunt. Morienti Constantio solus adest Lanius Gaiso, natione Francus. De hoc Franco quidam Hieronymi locus accipiendus videtur. Hieronymi ævo, multi ex Germanis, speciatim e Suevis, Christiani fuisse videntur.* §. XVIII. *Salii, ad Francos pertinentes, quando innotescere cœperint. Julianus Cæsar Salios a Quadis oppressos liberat: idem Quados in ordinem redigit. Non omnes Franci Salii dicti fuerunt, sed quidam honoratiores inter illos. Unde nomen habeant.* §. XIX. *Qua occasione Julianus Cæsar constitutus fuerit.* §. XX. *De ingenti Alemannorum sive Suevorum appararatu adversus Romanos, tempore Juliani Imperatoris. Ut ut fortiter vero Alemanni præliati fuerint, ad extremum tamen victi sunt a Juliano; Chodomarius Suevorum Rex capitur. Quis exitus illius fuerit.* §. XXI. *Postea, studio militum, maxime illorum, qui Germanico bello interfuerant, Julianus Augustus salutatus fuit. Diu tamen non superfuit: occubuit enim in Oriente. Judicium de Juliano.*



§. I.

§. I.

QUid a Romanis, usque ad extrema tempora Domitiani Principis contra Germanos gestum fuerit, Annalibus libris dignum, superiori fere libro exposuimus: ab illius vero morte, usque ad tempora Antonini Philosophi, in Germania aliquid observatu dignum accidisse, non patet ex Romanis scriptoribus, sive Græcis sive Latinis. Trajanus conspicuus quidem est titulis eminentibus, atque audit, per juniorem maxime Plinium, qui erat factionis Senatoriæ, in Panegyrico, optimus; primus quoque, aut solus vires Romanis (a) trans Istrum promovit, domitis in provinciam Dacis atque Sacis; Decebalo insuper, ad mortem voluntariam præ desperatione adducto. Usui singulari fuit pons Danubio impositus: cùm enim illum transiisset cum exercitu, (b) magis secure bellum gessit, quam celeriter: Licet ipse multa in eo bello strenui Imperatoris ac viri fortis facinora ediderit, multaque pericula milites ejus adierint, seque fortes viros præstiterint. Ex quibus unus eques, saucius exportatus ex prœlio ad sananda vulnera, ubi desperatam esse salutem cognovit, ex tabernaculo (nondum enim vis mali eum oppresserat) ite-

Trajanus ponte Danubio imposito Dacos subegit: neutiquâ tamen, Germanis incommodavit.

A. N. CHRISTO anno civ.

(a) Aurelius Victor. (b) Xiphil. Dionis Epitomat.

iterum in aciem processit, magnisque rebus gestis mortuus concidit. Provincia vero (c) trans Danubium facta in his agris, quos Taiphali habent, & Victophali, & Theruingi. De celebrato vero ponte, ex quo Trajanus in Nummis agnoscitur, hoc est judicium Xiphilini: *Is pons* (inquit) *nobis nulli usui est, nec enim transitur, extant pilæ ejus ostentationis causa, quasi tantummodo factæ sint, ut constet ex iis nihil esse, quod humano ingenio effici non possit. Hunc pontem Trajanus fecit, metuens ne Danubio conglaciato frigoribus, Romanis, qui trans flumen essent, bellum inferretur: Quod si eveniret, ut posset per eum copias facile traducere. Sed Adrianus contramentuens, ne barbari, oppressis custodibus pontis, in Mysiam facile transirent, superiores partes disturbari jussit.* At hæc, a Trajano feliciter gesta, nequaquam Germanis incommodarunt.

§. II.

A. N. CHRISTO CLXXIV. De bello Marcomannico ab Antonino Philosopho Imp. gesto, & quam horribile illud fuerit?

Sub M. Aurelio Antonino ingruit belli Marcomannici tempestas perquam horrida. Nam (d) in unum spirando vesania gentium dissonarum, post bellorum fragores immensos, post civitatum excidia, peremptaque innumera hominum millia, pauca, quæ semiintegra sunt relicta, cladis immensitas persultabat. Marcomannis immixti erant (e) Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, Narisci, Hermunduri, Latringes, Buri, atque cum Victovalis Sosibes, Sicobotes, Roxolani, Basternæ, Alani, Peucini, Costroboci, verbo omnis barbaria. Adeo ut bellum illud tantum fuerit, quantum nulla memoria, Punicisque collatum fuerit. Ad hoc (f) tan-

(c) Eutrop. lib. 8. (d) Amm. Marcellinus l. 31. (e) Eutrop. l. 8. Hist. & Capitol. in vita Anton. Philosoph.

(f) tantus Romæ terror fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit, retardatusque a bellica profectione sit. Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisque. Profecti tamen sunt ambo Imperatores, (Marcus Antoninus scil. & Lucius Verus) Victovalis & Marcomannis cuncta turbantibus, aliis etiam gentibus, quæ pulsæ a superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus. Parum tamen profuit ista profectio, cum Aquilejam usque venissent. Nam plerique reges, & cum populis suis se retraxerunt, & tumultus auctores interemerunt. Quadi autem amisso rege suo non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset Imperatoribus. Lucius tamen invitus profectus est, cum plerique ad legatos Imperatorum mitterent, defectionis veniam postulantes. Et Lucius quidem quod amissus esset præfectus prætorio Furius Victorinus atque pars exercitus interiisset, recedendum esse censebat: Marcus autem fingere barbaros existimans, & fugam, & cætera, quæ securitatem bellicam ostenderent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur, instandum esse dicebat. Denique transcensis Alpibus, longius processerunt, composueruntque omnia, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. Sed non multo post Lucius Verus, Marci Collega, dum regrederetur, inter Altinum & Concordiam, impetu ruentis sanguinis, vitales vias obstruentis, momento ereptus & suffocatus est; Apoplexiam medici appellant. Marcus reliquias Lucii Romam devexit, iisque conditis, & Vero Divo appellato, expeditionem adversus Marcomannos resumsit.

Lucius Verus in expeditione moritur.

Marcus tamen in Marcomannos it, penetratq; cum exercitu usque in Quadorum

§. III.

(f) Capitol. ibid.

fines: ubi cum exercitus summa aquæ penuria laboraret, ad preces quorundā Christianorum militum larga derepente pluvia effusa fuit: quam quidam Magicis artibus elicitam fuisse perhibuerunt.

§. III.

Gestum deinde bellum est admiranda Dei providentia. In Quadorum usque fines (g) progressus erat exercitus, circumventusque ab hostibus, propter summam aquarum penuriam, præsentius sitis quam hostis periculum sustinebat; quando ad invocationem nominis Christi, quam subito magna fidei constantia, quidam milites effusi in preces, palam fecerunt, tanta vis pluviæ derepente effusa est, ut Romanos quidem largissime ac sine injuria refecerit, barbaros autem crebris fulminum ictibus territos, præsertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. Quorum terga Romani usque ad internecionem cædentes, gloriosissimam victoriam & pene omnibus antiquorum titulis præferendam, rudi parvoque militum numero, potentissimo Christi auxilio, reportarunt. Quidam, pluviam & fulmen Marcum artibus magicis elicuisse perhibuerunt, quorum mendacium non admisit Claudianus: (h)

--- Seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

Capitolinus (i) Marco tribuit: *fulmen de cælo precibus suis, contra hostium machinamentum, extorsit, suis pluvia impetrata cum siti laborarent.* Sed nostri (k) Christianorum precibus tam inexpectatam liberationem impetratam scribunt. Quanquam non putaverim cum viris doctissimis, (l) genuinam esse Marci epistolam, quæ de hac victoria circumfertur. Amplius, in Germania illa ætate, aliquam Evangelii sementem sparsam fuisse, magni

(g) Oros. lib. 7. cap. 15. (h) de Sexto consulatu Honorii. (i) In vita Antonini Philosophi. (k) Euseb. Chron. ad ann. 2189. Tertull. in Apol. cap. 5. (l) Scal. ad d. Euseb. locum, & Salmasius ad Capitolinum.

gni auctores, Irenæus & Tertullianus (m) tradunt. Quod ego de Suevis, illustri imprimis populo & ad Romanorum fines colente, (quæ Christianis propagandæ religioni prompta & idonea occasio) credendum cumprimis esse existimo. Justinus Martyr, (n) utroque vetustior, nullum mortalium genus esse, jam tum scripsit, sive Græcorum, sive barbarorum, quocunque nomine, Christianæ pietatis expers, licet Germaniæ nomen non posuerit. Marcus successu lætus cum Marcomannos parta victoria in provinciam redigere cogitaret, Avidii Cassii motibus, qui se in Oriente (o) Imperatorem appellaverat, revocatus, pacem dedit, plurimis Germanorum in Italiam translatis, certus Germanorum auxilia contra Germanos ducere. (p)

Qua occasione Christi quoque nomen in Germania, speciatim apud Suevos, innotescere coepit.

Quod Avidius Cassius in Oriente pro Imperatore se gereret, e Germania Antoninus revocatus fuit.

§. IV.

Victo Cassio, anno centesimo septuagesimo nono in Germaniam reversus, cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis & Quadis, per tres iterum annos bellum gessit; quod de provincia prius animo agitaverat, tum proxime perfecturus fuisse creditus, nisi ingentibus conatibus mors intercessisset. Decumbens filium Commodum ad se vocat, bello insisteret, nec reliquias, prope confecti, contemneret, monet; eo enim Germani, potissimum Marcomanni, reciderant, ut neque juventus, tot jam concisa præliis, ferendis amplius armis sufficeret, neque commeatus ex agris, perpetuis populationibus vastatis, posset sufficere. Sed Commodus honesta omnia post voluptates habuit, patre mortuo: ut se quam primum Romam conferre urbanisque

A. N. CHRISTO anno CLXXIX. CLXXXII. Illo victo, in Germaniam rediit, atque per triennium bellum ibi gessit; nec tamen Marcomannos in provinciam redegit, quod morti succumberet, dum animo agitaret.

(m) Irenæus lib. 2. cap. 3. Tertull. advers. Judæos cap. 7. (n) Dialog. cum Tryph. (o) Capitolin. in Antonino. (p) Xiphil. Dion. Epitomator.

Moriens commisit hoc quidē filio Commodo, at hic, voluptates urbanasque delitias bello praetulit. Eoque facile, Marcomannis postulantibus, pacem concessit.

que delitiis, securus & otiosus, immergere posset, pacem Marcomannis postulantibus concessit, transfugas & captivos cum frumenti modo annuo, & armorum militumque numerum pactus.

Heliogabalus Imp. quare agitarit animo bellum adversus Germanos, & quare ab illo gerendo destiterit?

§. V.

Monstro deinde hominis potius, quam homini, (q) Heliogabalo scil. pro Imperatore agnito verius, quam agnoscendo, atque bellum Germanicum post annos circiter quadraginta retentaturo, quod ejus perficiendi gloriam Antoninum aliquem ex veteri responso manere audivisset, fama obstitit, qua ferebatur, Marcus Aurelius Marcomannos reliquosque Germanos, Chaldæorum & Magorum ope, secreta carminum devotione obligasse, ne a Romana amicitia unquam descifcerent: vulgo (prout suspicari licet) eo trahente victoriam, Christianorum precibus impetratam, cum Christianos Magorum nomine plerique illo seculo censerent.

A. N. CHRISTO CCXXII.

Alexander Severus Imp. cum bellum Germanis inferre destinasset, pacem iis dedit: quare militibus displicuit, atque per Maximinum occisus est.

§. VI.

Heliogabalo in imperio successit Alexander Severus, qui licet a variis dotibus, in viro principe alias suspiciendis, commendari mereatur, nihilomnius agnosci debet miles & inexercitatus & infelix. Ausus tamen fuit in Germanos expeditionem suscipere. Nam cum (r) nuncii & literæ significarent, Germanos Rhenum Danubiumque transgressos, Romanos in fines hostiliter intrasse, oppugnareque exercitus ripis insidentes, perque urbes & vicos magnis copiis excurrere; Ipse adversus Germanos cum omni multitudine approperabat, confectoque celeriter itinere, constitit ad Rheni ripas, atque

(q) Lampr. in vita Heliogab. (r) Herodian. lib. 6. cap. 7. & 8.

atque ibi, res ad bellum necessarias, comparabat. Sed dum in his versaretur, decrevit Oratores ad Germanos mittere, qui pollicerentur, omnia illis principem Romanum, quibus foret opus, præbiturum, pecuniasque daturum magna copia. Cæterum, miles Romanus iniquo hoc tulit animo: jactando, se frustra tempus terere, nulla occasione fortiter quicquam animoseque gerendi, intento aurigationibus ac deliciis Alexandro. Dum vero turbidis animum addit Maximinus, & plures in exercitu pecunia corrumpit, purpuram consequitur, pauloque post prope Moguntiacum Alexander militari tumultu interficitur. CCXXXV. CCXLIII.

§. VII.

Annus agebatur a CHRISTO NATO ducentesimus quinquagesimus tertius, quando imperante apud Romanos Gallieno, Francorum nomen Gallis & Italis primitus innotescere cœpit. Illi quondam Suevorum finitimi, sedesque suas habentes inter occiduum Rhenum Oceanumque, atque Albim; ab ipsis Romanorum præsidiis, domicilio suo exciti fuerunt. Occasio hæc fuit: (r) Gallienus cum ludibriis & helluationi vacaret, neque aliter rempublicam regeret, quam cum pueri fingunt per ludicra potestates, Galli, quibus insitum (ita habet Trebellius) luxuriosos principes ferre non posse, Posthumium (qui tum Gallieni legatus Galliæ præerat) ad imperium vocarunt, exercitibus circum quoque consentientibus, qui similiter occupatum Imperatorem libidinibus aliisque delitiis sentiebant querebanturque. Ubi autem contra Posthumium Gallienus arma movisset, multis auxiliis adjutus est Posthumius, quæ Celtica ni-

Imperante Gallieno, nomen Francorum qui Germania oriundi sunt, inclarescere cœpit.

Franci Posthumio & Victorino strenuè operam navaverunt adversus Gallienum.

K 2 mirum

(r) Trebellius Pollio in Gallieno.

currissent. CCLXXXII Francos reliquosque Germanos, qui post Aureliani Imp. mortem, omnē fermeGalliam occupaverant, multis illorum millibus occisis, Probus Imp. gravissime afflixit.

Marcomannis clades accepta est. Nam dum ipse non curat occurrere subito erumpentibus, dumque illos a dorso persequi statuit, omnia circa Mediolanum graviter vastata sunt. Postea tamen, ipsi quoque Marcomanni, superati sunt. Ex Romanis Imperatoribus, præ aliis Probus, contra Germanos rem præclare gessit, vel Vopisco teste: (y) Nam cum ingenti exercitu Gallias petiit; quæ omnes occiso Postumio turbatæ fuerant, interfecto Aureliano, a Germanis etiam possessæ. Tanta autem illic prælia tam feliciter gessit, ut a Barbaris, sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet civitates: prædam deinde omnem, qua illi, præter divitias, etiam efferebantur ad gloriam: ac cum per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis prope quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum fluvium & Albim removit. Illud prætereundum haudquaquam est, per hunc Probum, primitus in Germaniam vites introductas, adeoque permissum incolis fuisse, si vindemiam fecissent, uvis vinum exprimere.

Probus Imp. permisit Germanis vites colere, uvisque vinum exprimere, quod Domitianus antea prohibuerat.

Inde Vopiscus: (z) *Gallis omnibus hic permisit, ut vites haberent, & vinum conficerent. Ipse Almam montem, in Illyrico, circa Sirmium, militari manu fossum, lecta vite consevit.* Item Victor: (a) *Vineas Gallos & Pannonios habere permisit. Opere militari Almam montem apud Sirmium & aureum apud Mœsiam superiorem, vineis consevit.* Addit Eutropius (b) quod *provincialibus colendas dederit.* Quæ ita intelligenda sunt, non quasi Galli & Germani ante Probum vites & vinum ignoraverint, sed quod usque a temporibus Domitiani, illis interdictum fuerit vites colere.

(y) Vopiscus in Probo. (z) Vopiscus in Probo. (a) In Epitome. (b) Lib. 9.

lere. Unde Suetonius (c) *Ad summam quondam vini ubertatem, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret: atque in provinciis vineta succiderentur.*

§. X.

Sub Diocletiano, qui imperium post Christum natum anno Ducentesimo & octuagesimo quarto suscepit, Marcomanni, cum sociis, juxta ingenium & consuetudinem suam rursus insolentes, Imperio fuerunt molesti, hi, ut compescerentur; Carausium, hominem vilem, adversus illos Imp. misit, qui, cum apud Bononiam (d) per tractum Belgicæ & Armoricæ, mare (& hoc minus tutum erat) pacandum accepisset, quod Franci & Saxones infestabant, multis Barbaris sæpe captis, nec præda integra aut provincialibus reddita, aut Imperatoribus missa, cum suspicio esse cœpisset, consulto ab eo barbaros admitti, ut transeuntes cum præda exciperet, atque hac occasione se ditaret, a Maximiniano jussus occidi, purpuram sumpsit, & Britannias occupavit.

CCLXXIV. Sub Diocletiano Imp. quidam Carausius, jussus mare purgare, & tutam navigationem præstare, cum Franci diu illud infestum reddidissent, solummodo divitiis colligendis studuit,

§. XI.

Hisce temporibus nomen Alemannorum inclarescere cœpit. Quorum in Proculo, qui contra Probum Imperator electus fuit (e) hisce verbis Vopiscus meminit: *Nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloria splendore contrivit, nunquam aliter, quam latrocinandi pugnans modo.* Non convenit magno Salmasio cum τῷ πάνυ Casaubono, circa explicationem hujus præsen-

Alemannorum nomen hoe tempore primum innotuit. Agitur de varia nominis illius originatione seu acceptione.

(c) Suet. in Domitiano. cap. 7. Eademque habet Philostratus in vita Apollonii lib. 6. & in vita Scopeliani Sophistæ. (d) Eutrop. lib. 9. (e) Vopiscus in Proculo.

ſentis loci: hic Vopiſcum erroris cenſet arguendum, quod putaverit Alemannos hoc demum ſeculo Romanis de nomine innotuiſſe, cum conſtet ex Ælio Spartano, jam olim Caracallam Alemannici cognomen tuliſſe. Ille vero excuſat, quaſi Voſpici mens fuerit, innuere omnes in communi Germanos dici cœpiſſe Alemannos, quod nomen antea certa ſolum gens ferre ſoleret. Patimur hac ratione Vopiſcum excuſari; interim certum eſt, Alemannos, ut peculiarem inter Germanos gentem, multo tempore ante cognitos fuiſſe: de Caracalla, qui ab illis cognomen retulit, ita Aurelius Victor. (*f*) *Alemannos gentem populoſam ex equo mirifice pugnantem, prope Mœnum amnem devicit*: atque, ſedes illos, non modo intra Mœnum amnem, Danubium & Rhenum, ſed & ultra Mœnum, Boream & Occaſum verſus tenuiſſe, collegeris tum ex verbis Ammiani Marcellini, (*g*) Alemannorum Regis Macrini, cum Francis; utpote conterminis, bellum commemorantis; tum ex Panegyriſta, qui a Maximiniano Herculeo Regem quempiam Alemannorum captum refert, indeque per pontem Moguncienſem eundem Herculeum ingreſſum, totam Alemanniam populando peragraſſe, ad usque trajectum Guntienſem, h. e. ad pontem usque, qui hodieque apud oppidum Guntzeburgum ſervatur. Ait enim Panegyriſta, *Captus rex ferociſſimæ nationis, inter ipſas quas moliebatur inſidias, &, a ponte Rheni, usque ad Danubii tranſitum Guntienſem, devaſtata atque exhauſta Alemannia. A ponte Rheni*, i. e. a ponte, qui fuit Moguncíaci, cujus præſertim Ammianus Marcellinus meminit, ubi Julianum cum exercitu Moguncíacum profectum narrat, ibique ponte tranſito, terras Alemannorum intraſſe: quamvis ex

(*f*) Aurel. Victor. in Caracalla. (*g*) Amm. Marcellinus lib. 20.

ex verbis Ammiani non unum tantum, sed plures fuisse constratos pontes intelligere est. Postquam enim dixisset; *Petiturus ipse Moguntiacum, ut ponte compacto, transgressibus in suis requireret Barbaros.* Addit continuo, *moxque ad locum prædictum est ventum, flumine pontibus constratis transmisso, occupavere terras hostiles.* Hi Alemanni iidem plane fuerunt cum nostris Suevis, quod ex Ammiano Marcellino diligens lector facile collegerit. Paulus Diaconus disertis verbis quoque innuit, quando dicit: (*h*) *Iste ex Suevorum, hoc est Alemannorum gente oriundus, inter Langobardos creverat.* Abbas S. Galli Gualfridus: *Cum duo sint vocabula, Suevia & Alemannia, unam gentem significantia, priori nomine nos appellant circumposita gentes, quæ Latinum habent sermonem.* Rationem nominis reddere videtur Quadratus apud Agathiam. (*i*) *Alemanni, si Asinio Quadrato homini Italo, quique res Germanas accurate conscripsit, credimus, convenæ sunt & miscellanei; quod & appellatio ipsa satis ostendit.* Dicti enim fuerunt quasi, *Al-man*, sive, *Alleman*, quod inter ipsos, complures, & præcipue Suevicæ nationis populi, extiterint. Hæc originatio præferri meretur iis, quæ habet Felix Fabri, Monachus Ulmensis, cui solemne est nugari: merentur tamen exscribi, quæ habet. *Ita vero loquitur:* (*k*) Dicitur Alemania a lacu Gebenensi vel Lausanensi, qui Lemanus nominatur, & populi, juxta eum habitantes, Lemani dicebantur. Olim autem cum populus ille nimis cresceret, nec terra juxta Lemanum eos capere posset, collecto grandi exerci-

(*h*) lib. 3. de Gest. Langobard. (*i*) lib. 1. Hist. (*k*) libr. 1. Hist. Suev. c. 5.

tu, natali ſolo derelicto, emigraverunt quæſituri ſedes. Venientes autem ultra Rhenum, in Regionibus Rheno & Danubio incluſis conſederunt, & deſerta illa colere cæperunt, & ita terræ illi nomen perenne attulerunt, a ſuo loco, & Alemannia dicta, eſt a Lemanno lacu. Alii dicunt, quod Lemanus etiam dicatur quidam fluvius terræ noſtræ (*ſcil. Sueviæ*) a quo Alemania ſit denominata, ſed ubi fluvius ille ſit, vel in qua parte, invenire non potui. Alii opinantur, quod a copia alimentorum dicatur Alemannia, quaſi alimenta habens *immania*, id eſt, maxima: vel quod eam inhabitantes, indigeant magnis & multis alimentis: & utrumque verum eſt. Nam terra fœcunda eſt, & alimentorum ferax quaſi undique: & quia fridiga eſt regio, indigent inhabitantes eam, multo alimento: vel homines ibi geniti, quia immanes ſunt, alimentis multis nutriuntur. Alii dicunt, quod ab Alania provincia dicatur Alemania. Eſt autem Alania, provincia prima Scythiæ inferioris, pertingens usque ad paludes Mœotidis, tangitque Daciam, quæ eſt pars Alemaniæ. Aquo autem caſu, vel eventu, ab illa nomen trahat, non inveni ſcriptum. *Huc usque noſter Felix.* Præ cujus fabulis veriora forte ſunt, quæ Walafridus, & ipſe (*l*) Alemanus, de origine gentis, e qua originem trahebat, memoriæ prodidit; Is Alemanniam veterem his finibus *circumſcribit*: Quæcunque regiones ab utroque Rheni latere Alpibus includuntur, ab ortu ejus, uſque ad Rauracos, compuehenſis ad Acronii dextram Alpigovia & in Rheni deflexu continentibus terris, qua parte ſeſe Briſgovia extendit ac fluit; ad ſiniſtram autem pleraque *Helvetia*. Quæ, ut hactenus probo; ita nequaquam eidem accedere poſſum, quando pertendit Alemannos, dictosquaſi Alpemannos, quaſi

(*l*) In Fragm. Hiſt.

quasi fuerint viri, qui ex Alpibus descendentes, totam Germaniam impleverint, atque per illam, longe lateque sui terrorem circumtulerint. Quanquam autem omnes Germani, ab hoc tempore Alemanni dicti fuerunt, ad illos tamen non pertinuerunt Boii. Testis est Eginhartus: (m) *Ad Lecbum amnem* (inquit) *cum maximo venit exercitu. Is fluvius Bajoarios ab Alemannis dividit.* Atque tum Bajoaria Sueviæ opponitur, solique Suevi sub Alemannis comprehenduntur. Huc pertinet locus Anonymi Abbatis, (n) qui occasione Henrici V. ita dicit: *Mittuntur in legatione Romam a Lotharingia Bruno Trevirensis, a Saxonia Magdoburgensis, a Francia Utho Babergensis, a Bavaria Eberhardus Ebistetensis, ab Alemannia Gebhardus Constantiensis, A Burgundia Curiensis.* Nec præter omnem rationem huc quidam etiam trahunt verba Hieronymi, (o) *Inter Saxones*, ait, *quippe & Alemannos gens est Francorum, non tam lata, quam valida, &c.* Alias Alemanni Saxonibus, Francis, & Langobardis quoque opponuntur. Locus singularis occurrit apud Rhegionem, qui, respiciens tempora Ottonis I. (p) ita loquitur: *Eodem anno*, (scil. A. C. 952.) *mediante Augusto mense, conventus Francorum, Saxonum, Bavaroum, Alemannorum, & Langobardorum publicus, apud Augustanam urbem Rhetiæ provinciæ agitur.* &c. Atque, hæc de Alemannis hoc loco dixisse sufficiat, simul ad historiam redimus.

§. XII.

Diocletianus & Herculeus Maximianus, persecutores

cexiv. Diocletianus & Maximianus Herculens purpuram

(m) Eginhartus in vita Caroli Magni. (n) Citatur a Bebelio in libel. de laud. Suevorum. (o) Hieronymus in vita Hilarionis. (p) Rhegino lib. 2. Chron.

Reponunt, & ad privatam vitam transeunt.

tores Christianorum immanes, cum persentiscerent, imperium suum durare non posse, atque insidiatores metuerent, exemplo inaudito, uno die, privato habitu, purpuram, imperii insigne, mutaverunt, Nicodemiæ quidem Diocletianus Mediolani Maximianus Herculeus. Ille Salonas in patriam, hic in Lucaniam migravit. (q) Ratione Diocletiani convenienter Idatius (r) *A throno ad agrum venit, & cum imperium abdicasset, sui tamen esse Dominus cœpit. Non jam Diocletianum, sed Dioclem rursus putares; quemadmodum cum imperator fieret, ex Diocle Diocletianus factus est, sane in horto occupatus scire potuit, viciniorem ligoni quam sceptro felicitatem esse, minari fortunam, cum favoris modum excessit. Erat hoc igitur non tam imperium, quam curam, miseriam, periculum exuere.*

§. XIII.

CCCV. Constantinus Chlorus Cæsar contra Francos feliciter rem gessit, & multa Alemannorum millia occidit.

Constantinus Chlorus, quem successorem Diocletianus habuit, res maximas gessit, contra Francos. (s) Primo quidem in Gallia pugnavit circa Lingones, die una secundam atque adversam fortunam expertus. Nam, cum repente Barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus, tam præcipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis, adventante exercitu, LX. ferme millia Alemannorum cecidit. Atque hæc quidem gessit cum Cæsar solum, nondum autem Augustus esset. Hanc victoriam quasi contra Francos partam, Panegyrista admodum exaggerat. (t) Quædam exhibuisse non abs re fuerit. *O victoria multivaga, & innumerabilium triumpho-*

pho-

(q) Idatius in Chronico. (r) Eutrop. lib. 10. (s) Eutrop. lib. 10. (t) Eumen. in Panegyr. Constantio dicto.

phorum, qua gentes Francorum penitus excisa, qua multis præterea gentibus, in conjuratione illius sceleris deprehensis, imposita est necessitas obsequendi: denique ad perpetuam quietem maria purgata sunt. Gloriare vero tu Cæsar invicte (scil. Constanti Chlore Cæsar) *alium te orbem terrarum peperisse, & Romana potentia gloriam restituendo navalem, addidisti imperio terris omnibus majus elementum*, &c. *Per victorias tuas, Constanti Cæsar invicte, quicquid infrequens Ambiano & Bellovaco, & Tricastino solo, Lingonioque restabat*, Batavo *cultore revirescit.* Quo loco, quanquam pro *Batavo*, quidam *Barbarico* legunt, utramque tamen lectionem probam posse haberi, ostendit alter Rhetor, qui Constantino Constantii hujus filio Panegyricum scripsit: (u) *Constantius* (inquit) *pater ejus terram* Bataviam, *a diversis Francorum regibus occupatam, omni hoste purgavit, ac gentes ipsas in Romanas nationes transtulit, ut non solum arma, verum feritatem ipsam ponere cogerentur, & pacem Romani imperii cultu juvarent, arma delectu. Ex his multi provincialibus distributi, aliquandiu in porticibus civitatum blandientes manserunt, donec ad destinatos sibi solitudinum cultus contenderent. Regibus eorum Asarico, Gaesoni, & pax, cum eam peterent, est concessa.* Quæ, si aliquis diligenter expenderit, præter Batavos, gentes quoque Barbaras, speciatim Francos & Alemannos, inter novos terrarum desertarum incolas admiserit. Idem hic Constantius Chlorus, Cæsar duntaxat, & Galliarum Præses, scholis restaurandis in gratiam Gallorum ac Batavorum, præ cæteris, intentus fuit, atque Eumenium sex millibus num-

Idem hic Constantius Scholas restituit, atque Eumenium Gymnasio Clivensi præfecit.

(u) Panegyrista Anonymus in Panegyrico scripto Constantino M.

nummûm invitavit ad docendam Rhetoricam. Unde hic ipse in sequentia verba erumpit: (x) *Salarium me liberalissimi principes, ex hujus reip. viribus in sexcenis millibus nummûm accipere jusserunt, non, quoniam non amplius tribuere meis commodis vellent, in quem multo majora, & prius, & postea, præmia contulerunt; sed, ut tercena illa sestertia, quæ sacræ memoriæ Magister acceperam, in honore privato hujus magisterii addita, pari sorte geminarent.* Ubi vero hæc schola a Constantino restaurata fuerit, patet ex Epistola ipsius, quam ibidem Eumenius exhibet, quæque ita habet: *Merentur & Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in Augusto Clivienſium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes, qui, hilari consensu, meum Constantii Cæsaris ex Italia revertentis, suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. Proinde, quod aliud præmium his quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec accipere fortuna. Unde auditorio huic, quod videtur interitu præceptorio orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cujus eloquentiam & gravitatem morum, ex actis nostris habemus administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur, ut professionem oratoriam recipias, atque in supra dicta civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum professio ornet potius omnem, quam destruat dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcentis millibus nummûm ex reip. viribus consequi volumus, ut intel-*

(x) In Oratione pro restaurandis Scholis.

intelligas meritis tuis etiam nostram constituere clementiam. Vale Eumeni carissime nobis. Epistolam hanc integram hoc loco exhibere volui, quod Cliviensis Schola, jam olim celebris, occurrat in illo Ducatu, qui hodie ad Clementissimum meum Dominum, cujus auspiciis historiam hanc scribo, pertinet. Constantius Chlorus paulo post quam cum Galerio Maximo Augustus creatus esset, Filium suum Constantinum, quem Helena ipsi pepererat, Cæsarem creavit; simul inter illum & Maximum (y) orbis Romanus divisus fuit: ut Galliam, Africam, Italiam Constantius; Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret: at hic exemplo Constantii non unum, CCCVI.
sed duos asscivit Cæsares, futuros imperii adjutores: nempe Flavium Valerium Severum, & Valerium Maximum, cognomento Armentarium, quod parentibus agrariis in Dacia Rigensi natus esset.

§. XIV.

At Constantius, bello Britannico intentus, anno CCCVII.
sequenti VIII. Kal. Augusti Eboraci moritur, eodem die Constantino Cæsare Augusto creato, unde Eutropius: (z) *Constantio mortuo, Constantinus in Britannia creatus est Imperator, & in locum patris exoptatissimus moderator accessit.* Romæ interea Prætoriani excitato tumultu, Maxentium Herculei Filium, qui haud procul ab urbe in via publica morabatur, Augustum nuncupaverunt. Quo nuncio Maximianus Herculeus, ad spem erectus resumendi fastigii, quod invitus amiserat, Romam advolavit e Lucania, quam sedem privatus elegerat, in agris amœnissimis consenescens: Diocletianumque, etiam per literas adhortatus est, ut depositam resumeret pote-

Mortuo Eboraci in Britannia Constantio, filius Constantinus eidem successit, qui per plures annos, cum variis tyrannis luctatus est, priusquam imperium secure obtinere posset.

(y) Eutrop. lib. 10. Histor. & Aurelius Victor. (z) Eutrop. lib. 10.

potestatem: quas ille irritas habuit. Sed adversus motum Prætorianorum atque Maxentii, Severus Cæsar Romam missus a Galerio, cum exercitu venit, aut verius advolavit, obsidensque Urbem, militum suorum scelere desertus est. Undæ auctæ Maxentio opes, confirmatumque imperium. Severus fugiens, Ravennæ interfectus est. Herculeus tamen Maximianus, post hæc in concione exercitus, filium Maxentium denudare conatus, seditionem & convitia militum tulit. Inde ad Gallias profectus est; dolo composito, tanquam a filio esset expulsus, ut Constantino genero jungeretur: moliens tamen Constantinum, reperta occasione, interficere: sed detectis insidiis per Faustam filiam, quæ dolum indicaverat marito, profugit Herculeus Massiliam; ibique oppressus (ex ea etenim navigare ad filium properabat) pœnas dedit justissimo exitu; vir ad omnem asperitatem sævitiamque proclivis, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers.

§. XV.

Constantinus nondum firmato imperio, in Gallia contra Francos & Alamannos feliciter rem gerit, captis eorum regibus, Asarico, & Gaisone.

Interim, dum Romæ litigatur inter Augustos numero plures, de principe loco; Constantinus memor sibi Gallias contigisse, Barbaros, perpetuo illis insidiantes, & avertere, & viribus mulctare laboravit. Unde idem Eutropius (a) *In Galliis & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat, cæsis Francis atque Alamannis, captisque eorum regibus.* Res has gestas, distincte atque exacte, ob Historicorum defectum & silentium cognoscere non possumus. Nazarius (b) non obscure innuit, Reges Barbarorum Asaricum & Gaisonem, securos fœderis cum Constantio Chloro icti, res novas molitos fuisse,

(a) loco dicto. (b) In Paneg. Constantino dicto.

isse, atque, dum Gallias & alias imperii provincias turbarent, violatæ fidei meritas pœnas dedisse. Quis alio enim traxerit hæc verba: *Tu ferocissimis Regibus Asarico & Comite ejus capto, tanta laude res bellicas auspicatus es, ut jam inauditæ magnitudinis obsides teneremus. Ut Herculem ferunt, tenerum adhuc atque lactantem, duos angues manu elisisse (ut jam infantulo indoles futuri roboris immicaret) sic, tu Imperator, in ipsis imperii tui cunabulis, quasi geminos dracones necares, per sævissimorum Regum famosa supplicia ludebas.* Similiter Eumenius. (c) *Hæc est tua Constantine, de Asarici cinere, Gaisique supplicio, quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam secundis præliis anteponenda.* Anno proximo, idem Constantinus totam Bructerorum gentem ad internecionem delevit; Unde idem Eumenius (d) *Ut omnibus modis Barbarorum immanitas frangeretur, nec soli hostes Regum suorum supplicia mœrerent, etiam immensam Bructeris vastationem fecisti Imperator invicte. In quo prima consilii tui fuit ratio, quod, exercitu repente trajecto, inopinantes adortus es, non quod aperto Marti diffideres, ut qui palam congredi maluisses, sed, ut illa natio perfugiis sylvarum & paludium bellum solita frustrari, fuga tempus omitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi. Quicquid fuit pecoris captum, aut truci-*

CCCVIII. Tota dein Bructerorum gentem funditus delet.

M

(c) In Paneg. Constantino eidem dicto. (d) In eodem Panegyr.

trucidatum est. Vici omnes igne consumpti: puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia apta erat militia, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati, sævientes bestias multitudine sua fatigarunt.

§. XVI.

CCCIX. Francos non quidē delevit, sed in ordinem redegit, dispositis per Rhenum fluvium navibus.

Præterea, quo consuleret imperii existimationi, Francosque perpetuus metus premeret, Rheno pontem imposuit, prope Agrippinam Coloniam, simul per fluvium plurimas armatas naves disposuit. Unde sæpius jam laudatus Rhetor: (e) *Insuper etiam Agrippinensi ponti faciundo, reliquiis afflictæ gentis* (Francicæ) *insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper manus supplices tendat, cum tamen hoc tu magis ad imperii tui gloriam & ornatum limitis facias, quam ad facultatem, quoties velis in hosticum transeundi. Quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus, usque ad Oceanum, dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur (& re vara pulcherrimum est) ut Rhenus non solum superioribus locis ubi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus, sed etiam ibi novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluvius & Barbarus Nicar & Mœnus invexit, ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens in sua cornua*

(e) Eumen. loco dicto.

nua gestis excedere. Atque, si credimus Eusebio (f) omnia Barbarorum genera, circa fluvium Rhenum & Oceanum versus Occidentem incolentia, quæ audacia & temeritate impulsa, seditionem excitaverunt, penitus repressit: & ex indomitis & immanitate efferatis, mansueta effecit, atque ratione tractabilia. Alia vero quorum animos adeo insanabiles animadvertebat, ut ad vitam quiete placideque degendam, nullo modo viderentur posse traduci, seclusit ab imperio, &, tanquam agrestes belluas, e patriæ finibus prorsus exterminavit. Rupertus Abbas Tuitensis cœnobii, prope Coloniam, qui vixit circa a N. C. 1120. testis est, in sua Abbatia inventum fuisse lapidem, qui hanc inscriptionem haberet:

Præterea omnes Barbaras gentes circa Rhenũ & Oceanum incolentes, aut domuit, aut ita fregit, ne in posterum nocerent.

Inscriptio vetus inventa olim in cœnobio Tuitensi.

OPPRESSIS. D. CONSTANTINO. PIO. FELICI.
AUG.
DOMITISQ. FRANCIS. IN. EORUM. TERRIS.
CASTRUM.
DIVITENSIUM. SUB. PRÆSENTIA. PRINCIPIS.
SUI.
MILITES. CUM. INTERTURNIO. FECERUNT.
D. N. M. Q. E.
XX. VOT.

Quod antiquitatis Monumentum, si non fuerit velut sublestum suspectandum, dubio procul Constatini M. expeditionem adversus Francos respexit. Nec tamen Francos, ut quidem Bructeros, Constantinus funditus extirpare quivit. Testis Panegyrista (g) *Franci sub armis*

(f) l. 1. de vita Constantini cap. 19.

(g) Nazarius in Panegyrico, Constantino dicto.

tuis illa conciderunt, ut deleri funditus possent, nisi divino instinctu, quo regis omnia, quos ipse afflixeras, conficiendos filio reservasses. Quanquam ad gloriam vestram fœcunda malis suis natio, ita raptim adolevit, robustaque recreata sit, ut fortissimo Cæsari primitias victoriæ ingentis daret, cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret.

§. XVII.

Mors Constantini Magni.

CCCXXXVI.

Ante mortem inter tres suos filios imperium quidē diviserat, at illi nihilo minus acriter inter se contenderunt.

CCCXL.

Constantinus autem, qui Imperatorum primus Christianus fuit, cum tertium contra Saporem Persarum Regem, qui Mesopotamiam fatigabat, bellum suscepisset, uno & tricesimo anno imperii, ætatis sexagesimo, Nicomediæ in villa publica obiit, postquam ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus esset. Illi successerunt tres filii Fl. Constantinus Junior, Fl. Julius Constantius Junior, & Flavius Valerius Constans: quibus ipse imperium distribuit, atque primo cesserunt cuncta trans Alpes, avita ditio: secundi imperium patuit usque a freto Propontidis, versus Asiam atque Orientem: Constans autem Illyricum, Italiam & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque, & Achaiam obtinuit. Delmarius, Annibaliani filius, Imperatorum consanguineus, Armeniam, gentesque vicinas, easque socias, regebat. Interim ob Italiæ Africæque jus dissentire statim Constantius & Constans cœperunt. At Constantius, dum latrocinii specie, incautus, fœdeque temulentus, in aliena irruit, ut ignotus obtruncatur prope Aquilejam, cadaverque in fluvium, cui nomen Alsa, conjicitur. Constantis imperium strenuum aliquandiu & justum

justum fuit: (*h*) sed cum valitudine improspera, & amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia conversus, cum intolerabilis provincialibus, militibus injucundus esset, factione Magnentii, occisus est. Obiit autem non longe ab Hispaniis, in castro, cui Helenæ nomen est: anno imperii XVII. ætatis trigesimo. Morienti Constanti, qui fidem non exuisset, teste Ammiano (*i*) solus adfuit Francus, nomine *Lanius Gaiso*, aut, ut alii legunt *Laniogaisus*. Quin & Hieronymus (*k*) Ammiani synchronus, Franci cujusdam, apud eundem Constantium Candidati, accurate meminit: quem ait ingenti cum honore & aulicorum comitatu in Palæstinam ad Hilarionem a Constantio Augusto valetudinis causa missum; & viro Consulari, illis in locis, singulariter fuisse commendatum. Sed ipsa Hieronymi verba adscribenda sunt, *quæ ita habent:* Candidatus Constantii imperatoris, rutilus coma, & candore corporis indicans provinciam (inter Saxones quippe & Alamannos gens ejus non tam lata, quam valida, apud Historicos Germania, nunc vero Francia vocatur) ab antiquo, h. e. ab infantia possessus a dæmone, secreto ab imperatore evectionem petiit, causam ei simpliciter indicans. Et acceptis ad Consularem quoque Palæstinæ literis, cum ingenti comitatu & honore, Gazam deductus est. Qui cum a decurionibus illius loci quæsisset, ubi habitaret Hilarion monachus, territi Gazenses, & putantes eum ab imperatore missum, ad monasterium adduxerunt, ut & honorem commendato exhiberent, & si quid ex præteritis injuriis in Hilarionem esset offensi, novis officiis deleretur. Deambulabat tunc senex in arenis mollibus, & secum de psalmis nescio quid submurmurabat, vidensque tantum turbam venientem, substitit. Et resalu-

CCCXLIX

Morienti Constantio solus fidus est Lanius Gaiso natione Francus.

De hoc Franco quidam Hieronymi locus accipiendus videtur.

M 3

(*h*) Aurel. Victor. (*i*) lib. 15. Histor. (*k*) in vita Hilarion.

salutatis omnibus, manuque eis benedicens, post horam cæteros abire præcepit, illum vero cum servis & apparatoribus remanere. Ex oculis enim ejus & ex vultu cur venissent, cognovit. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, vix terram pedibus tangens, & immane rugiens, Syro, quod interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore barbaro, & qui Francam tantum & Latinam linguam noverat, Syra ad purum verba resonare. *Et post pauca:* Cumque curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit: audiens, quod qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent. *Hactenus Hieronymus.* Nec dubitaverim, quin & hic Francus, & plerique, ex Alamannis, sive Suevis, jam hoc seculo Christianam religionem amplexi fuerint. Ut ferme credam, movet me Hieronymus (*l*) cujus hæc verba: *Vere in nobis Apostolicus & Propheticus sermo completus est. In omnes terras exivit sonus eorum. Quis hoc crederet, ut Barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus Græcis, ipsa Germania Spiritus Sancti eloquia scrutaretur.*

Hieronymi ævo, multi ex Germanis, speciatim e Suevis Christiani fuisse videntur.

§. XVIII.

Circa annum Christi, trecentesimum & septimum supra quinquagesimum sub Imperatore Juliano, innotescere primitus cœperunt Salii, ad Francos pertinentes, Zozimus (*m*) instar omnium fuerit, qui *ita per interpretem:* SAXONES omnium eas regiones incolentium Barbarorum, & animis & corporum viribus & laborum in præliis tolerantia fortissimi habiti, Quados nationis suæ partem, in solum a Romanis occupatum emittunt. Sed finitimis Francis eos transitu prohibentibus, qui

Salii ad Francos pertinentes quando innotescere cœperint?

(*l*) In Epistola ad Suinam. (*m*) lib. 3. Hist.

qui metuerent, ne justam Cæsari causam præberent, se rursus invadendi, 40. navibus constructis, Rheno prætervecti, parentem Francorum imperio regionem, in Romani juris solum contenderunt: & adpulsis ad Bataviam navibus, quam divisus Rhenus insulam effecit, quavis insula fluminea majorem, Saliorum nationem, Francorum a parte profectam, & vi Saxonum in hanc insulam suis e sedibus rejectam, expulerunt. Hæc insula, prius Romanis in universum parens, a Saliis hoc tempore possidebatur. Cæsar ea re cognita, Quados ille quidem vicissim aggrediebatur, sed jusso prius exercitu cum Quadis acriter dimicare, Saliorum neminem occidere, nec prohibere, quo minus in Romanorum fines illi transirent; Quod non ut hostes Romanam regionem peterent, sed per vim & coactionem a Quadis pellerentur. Hac animadversa Cæsaris humanitate, Salii, partim ex insula, cum rege suo Romanum in solum transiiciebant, partim ad limites, inita fuga, se conferebant; Omnes Cæsari supplices facti, sponte sua se cum rebus suis ejus fidei committebant. Cæsar non jam ad bellum gerendum promptos & audentes barbaros amplius (Quados scilicet) videns, sed clandestinis incursionibus, & latrociniis intentos, haud levibus inde malis ac detrimentis, regionem adficere: Quid ageret dubius, hanc artem Barbarorum prudenti strategemate vicissim ultus est. &c. Id facere non desinebat, donec Quadi, maximas ad angustias redacti, deque multis pauci facti, cum Duce suo Cæsari se dederent. &c. His rebus ita constitutis, & Salios Cæsar, & Quadorum partem, & quosdam incolentes insulam Batavi- am, legionibus adscripsit: quorum ordines nostro quoque tempore superstites esse videntur. *Huc usque Zosimus.* Scilicet, cum Salii essent nobilissimi Francorum,

atque

Julianus Cæsar Salios a Quadis oppressos liberat: idē Quados in ordinem redigit.

atque a Quadis ejecti avitis possessionibus, adierunt Cæsarem Julianum, ut vellet sibi terras, quas inhabitarent concedere, quas & impetrarunt. Unde Julianus ipse (n) ὑπεδεξάμην μὲν μοῖραν τῶ Σαλίων ἔθνους, χαμάβους δὲ ἐξήλασα. *In deditionem quidem accepi eam Francorum partem, quæ est Saliorum populus: Chamavos vero* (Quados illos Zozimi) *expuli*. Quæ Imperatoris verba a Zozimo explicari, quivis cognoscet, cui libuerit, inter se componere. Hanc ipsam historiam respiciens Ammianus Marcellinus, (o) de eadem Juliani expeditione sic loquitur: *Quibus paratis petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam habitacula sibi figere prælicenter. Qui cum Tungros venisset, occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hibernis, pacem sub hac lege prætendens, ut quiescentes eos, tanquam in suis nec lacesseret quisquam, nec vexaret. Hos legatos, negotio plene digesto, oppositaque conditionum perplexitate, ut in iisdem tractibus moraturus, dum redeunt, muneratos absolvit, Dictoque citius secutus profectos, Severo Duce missa, per ripam subito aggressus, tanquam fulminis turbo perculit. Jamque precantes potius, quam resistentes, in oportunam clementiæ partem effectu victoriæ flexo, dedentes se cum opibus liberisque suscepit. Chamavos itidem, ausos similia, adortus, eadem celeritate partim cecidit, partim*

(n) Julianus in Epist. ad Athenienses (o) Ammian. Marcellinus lib. 17. Hist.

tim acriter repugnantes, vivosque captos, compegit in vincula: alios præcipiti fuga trepidantes, ad sua, ne milites spatio defatigaret, abire interim permisit innocuos: quorum legatis paulo postea missis, precatum consultumque rebus suis, humi prostratis, sub obtutibus ejus, pacem, hoc tribuit pacto, ut ad sua redirent incolumes. Observatu vero dignum, quod Ammianus dicit, Francos omnium primos, per consuetudinem dictos fuisse Salios: eoque hoc nomen non respexit aut omnes Francos, aut specialem illorum gentem, sed in gente Francorum, certos homines, qui a vitæ ordine, consuetudine, & dignitate, inter suos Salii, vel Salidi vocabantur a voce *Sala*, quæ juxta vetustam Francorum linguam erat Palatium, Regia, seu nobilis domus: adeo ut Salii nihil aliud fuerint, quam Regis sui ministri honoratiores, sive nobiles Palatini, non absimiles Julii Cæsaris Solduriis (*p*) *Atque ea in re omnium nostrum intentis animis, alia ex parte oppidi Adcantuannus, qui summam imperii tenebat, cum DC. devotis, quos illi Soldurios appellant, quorum hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis, una cum his fruantur, quorum amicitiæ se dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoria repertus quisquam, qui, eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret.*

Non omnes Franci Salii dicti fuerunt, sed quidam honoratiores inter illos. Unde nomen habeant?

N §. XIX.

(*p*) Jul. Cæs. de B. Gal. l. 3. cap. 22.

§. XIX.

Qua occasione Julianus Cæsar constitutus fuerit?

Sed, ut ad propositum redeamus, Fl. Claudius Julianus biennio ante, mense Novembri Mediolani a Constantino II. consors imperii, atque Cæsar constitutus fuerat. Qua de re hunc in modum *Zozimus*: (q) His in Gallum Cæsarem perpetratis, (Gallus hic, Juliani Frater, a Constantio Orienti Cæsar datus, jussu ejusdem occisus est, juxta Eutropium (r) *vir natura ferus & ad tyrannidem pronior, si suo jure imperare licuisset*) e Pannonia Constantius in Italiam transiit. Cum autem videret, omnes Romanis subditas provincias, barbaricis incursionibus interceptas: *Francos, Alamannos, & Saxones jam 40. sitas ad Rhenum urbes cepisse prorsus, easdem devastasse, cives & incolas infinitæ multitudinis, cum innumerabili spoliorum copia secum abduxisse; Quados cum Sarmatis magna licentia & securitate per Pannoniam perque Mysiam superiorem grassari*; Persas Orienti molestos esse non desinere, licet antea quievissent, veriti, ne Gallus Cæsar eos adoriretur: his igitur omnibus ad animum revocatis, & quid faceret, ambigens, solum quidem se minime sufficere putabat, ut afflictis adeo rebus & laborantibus opem ferret: imperii vero consortem deligere non audebat, cum ob imperandi libidinem nimiam, tum quod omnes suspectos haberet, ac neminem prorsus sibi fidum fore duceret. Has ob res, admodum inops erat consilii. Cumque in maximo Romanum imperium periculo positum esset, Eusebia Constantii Conjux, quæ summa præstabat eruditione

(q) lib. 3. Hist. (r) lib. 10. Histor.

tione Doctrinæ, supraque muliebrem sexum prudens erat, consilium ei suggerit: hortata ut trans-Alpinis populis Julianum Cæsarem præficeret, Germanum Galli fratrem & ejus Constantii nepotem e filio, qui a Diocletiano Cæsar fuerat appellatus. Et quoniam norat Eusebia, Constantium Imperatorem cognatos omnes habere suspectos, maritum hoc quodam modo circumvenit: Juvenis est, inquit, & simplicis ingenii, studiisque doctrinæ per omnem vitam vacavit, & rerum omnium plane rudis & imperitus, quovis alio nobis aptior erit. Nam sive fortuna prospera rebus gerendis utetur, faciet, ut imperatori felices successus ad scribantur: sive qua parte impigerit, morietur; nec illum postea Constantius habebit, qui, velut ex imperatoria familia, natus, ad summam rerum administrationem vocabitur: *Huc usque iterum Zozimus.* CCCLX.

§. XX.

Insignis admodum fuit Juliani Imperatoris victoria adversus Chonodomarium Alemannorum regem; quam, priusquam exhibemus operæ pretium fuerit ex Ammiano Marcellino *didicisse* (*s*) Germanorum, inter quos primarii Suevi) vires & apparatum: Alemannorum reges (*inquit*) Chonodomarius & Vestralpus, Urius, quin etiam & Ursicinus, cum Serapione & Suomario & Hortario, in unum robore virium suarum omni collecto, consedere prope urbem Argentoratum, extrema metuentem Cæsarem arbitrati retrocessisse, cum ille etiam perficiendi munimenti studio stringeretur. Erexit autem confidentiam, caput altius attollentem scutarius perfuga: qui commissi criminis metuens pœnam, trans-

De ingenti Alemannorum & Suevorum apparatu, adversus Romanos, tempore Juliani Imperatoris.

(*s*) lib. 16. Histor.

transgressus ad eos, post Ducis fugati discessum, armatorum tredecim tantum millia remansisse cum Juliano docebat. Is enim numerus sequebatur. Barbara feritate certaminum rabiem undique concitante. Cujus asseveratione eadem subinde replicantis ad majora stimulati fiducia, missis legatis, satis pro imperio Cæsari mandaverunt, ut terris abscederet, virtute sibi quæsitis & ferro. Qui ignarus pavendi, nec ira nec dolore perculsus, sed fastus barbaricos ridens, retentis legatis ad usque perfectum opus castrorum, in eodem gradu constantiæ stetit immobilis. Agitabat autem, miscebatque omnia sine modo, ubique sese diffunditans, & princeps audendi periculosa rex Chonodomarius, ardua subrigens supercilia, ut sæpe secundis rebus elatus. Nam & Decentium Cæsarem superavit æquo Marte congressus, & civitates erutas multas vastavit & opulentas, licentiusque diu nullo refragante Gallias persultavit. *Hæc Ammianus.* His tamen neglectis, prœlio eos Julianus aggressus est, certatumque diu fuit, ancipiti Marte, atque ab Alamannis fotissime. Nam ut iterum utar verbit *ejusdem Autoris*: Propilabantur missilia, & properantes cito, quam considerato cursu Germani, telaque dextris explicantes, involavere nostrorum equitum turmas, frendentes immania, eorumque, ultra solitum sævientium, comæ fluentes horrebant, & elucebat quidam furor ex oculis: quos contra pertinax miles scutorum obicibus vertices tegens, ejectansque gladios, vel tela concrispans mortem minantia, perterrebat: Quumque in ipso prœliorum articulo, eques se fortiter conturmaret, & muniret latera sua firmius, pedes frontem arctissimis conserens parmis, erigebantur crassi pulveris nubes: variique fuere discursus, nunc resistentibus nunc cedentibus nostris:, & obnixis genibus

bus quidam barbari, peritissimi bellatores hostem propellere laborabant, sed destinatione nimia dextræ dextris miscebantur, & umbo trudebat umbonem: Cælumque exultantium cadentiumque resonabat vocibus magnis, &, cum cornu sinistrum, altius gradiens, urgentium tot agmina Germanorum, vi nimia propulisset, iretque in barbaros fremens; equites nostri cornu tenentes dextrum, præter spem incondite discesserunt. Dumque primi fugientium postremos impediunt, gremio legionum protecti, fixerunt integrato prœlio gradum, hoc autem exinde acciderat, quod dum ordinum restituitur series, cataphracti equites viso rectore suo, leviter vulnerato, & consorte quodam, per cervicem equi labentis, pondere armorum oppresso, dilapsi, qua quisque poterat, peditesque calcando cuncta turbassent, ni conferti illi, sibique vicissim innixi stetissent *immobiles.* Eventus prælii hic fuit: Cæsar postquam diu victoria dubia fuisset, Alamannos in fugam convertit; ultra sex millia cadaverum humi reperta sunt, plures Rhenus hausit, rex Chonodomarius captus, & ad Julianum deductus est, qui (verba sunt ejusdem Ammiani) *primo curvatus, deinde humi suppliciter fusus, gentilique pace veniam poscens, bono animo esse, est jussus. Et diebus post ea paucis, ductus ad comitatum Imperatoris, missusque exinde Romam, in castris peregrinis, quæ in monte sunt Cælio, morbo veterni consumptus est.*

Ut ut fortiter vero Alamanni præliarentur, ad extremum tamen victi a Juliano.

Chonodomarius Suevorũ Rex captus fuit. Quis exitus illius fuerit?

§. XXI.

CCCLX.


Anno sexagesimo supra trecentesimum, Julianus (licet reluctaretur multum diuque) cum Germaniaci (t) exer-

Postea studio militum, maxime illorum qui Germanico bello

(t) Marcell. lib. 16.

interfuerant. Julianus Augustus salutatus fuit. Diu posthac non superfuit; CCCLXIII. occubuit enim in Oriente

exercitus a Galliarum præsidio tollerentur, consensu militum factus Augustus est: interjectoque anno, ad Illyricum obtinendum profectus est, Constantio Parthicis bellis occupato: quibus rebus cognitis ad bellum civile conversus, in itinere obiit, inter Ciliciam Cappadociamque anno imperii octavo & XXX. ætatis quinto & XL. Nec Julianus, solus jam Augustus, diu superfuit, nam (ut loquitur idem scriptor) *cum ingenti apparatu Parthis bellum intulisset, aliquot & castella Persarum in deditionem accepisset, vel vi oppugnasset, Asiamque populatus, apud Ctesiphontem stativa aliquamdiu habuisset, remeans victor, dum se inconsultius præliis inserit, hostili manu interfectus est, sexto Kal. Julias, imperii anno septimo, ætatis altero & trigesimo.* De Juliano judicium nostrum non interponimus, quod ab instituto alienum sit. Singulari eruditione excultus, multisque dotibus conspicuus fuit, suoque merito optimis Principibus accenseri potuisset, nisi odio in Christum, illiusque sectatores excœcatus fuisset, sero edoctus, illum, quem per contemptum Galilæum & fabri filium vocare solet, æterni Dei æternum & omnipotentem Filium esse. In Juliano autem Constantini magni stirps defecit.



LIBER



LIBER TERTIUS.

HISTORIÆ MARCHIÆ

Antiquæ.

EPITOME EIUSDEM.

§. I.

JULIANUM in imperio secutus fuit Jovinianus: cœterum haud diu illud obtinuit. §. II. *Eum Valentinianus & Valens exceperunt, quorum ille Orthodoxis hic Arrianis favit. Duce Rhandone rege, Alamanni Moguntiam occupant.* §. III. *Romani fraude proprii ministri Vithicalium opprimunt.* §. IV. V. *Valentinianus cum Gratiano difficillimis itineri-*

muliebrem sexum cum supellectile non parva indefensum abduxit.

§. III.

Romani, fraude proprii Ministri, Vithicalium opprimunt.

Parvo inde post intervallo, inopina rei Romanæ spes lætiorum effulsit. Cum enim Vithicalius Rex, Vadomarii filius, specie quidem molliculus & morbosus, sed audax & fortis ardores sæpe in nos accenderet bellicosos, opera navatur impensior, ut qualibet occideret strage: & quia attentatus aliquoties, nullo genere potuit superari, vel prodi fraude, citerioris vitæ ministri studio, sollicitante nostrorum, occubuit. Cujus post necem, aliquatenus hostiles torpuere discursus: interfector tamen præ metu pœnarum, quas verebatur, si patuisset negotium, ad Romanum se celeri transtulit gradu. Parabatur posthæc lentioribus curis, & per copias multiformes, in Alemannos expeditio, solitis gravior, destinatius id publica tutela poscente: quia irreparabilis gentis motus timebatur, infido milite nihilominus accenso: cui ob suspectos eorum mores tunc infirmorum & supplicium, paulo post ultima minitantium, nullæ quiescendi dabantur induciæ.

§. IV.

Valentinianus cum Gratiano difficillimis itineribus ad Alemannos tendit.

Contra igitur undique mole maxima catervarum, armis & subsidiis rei cibariæ diligenter instructa, accitoque Sebastiano comite, cum Illyricis & Italicis numeris, quos regebat, anni tempore jam recente, Valentinianus cum Gratiano Rhenum transgressus, indivisis agminibus quadratis ipse medius incedebat, Joviano & Severo magistris rei castrensis altrinsecus ordinum latera servantibus, ne repentino invaderentur assultu. Protinusque inde ductantibus itinerum callidis, explora-

tis

tis accessibus, longo itinere porrectis, sensim gradiens miles irritatior ad pugnandum, velut repertis barbaris, minaciter infrendebat. Et quoniam diebus aliquot emensis, nullus potuit, qui resisteret, inveniri, cuncta satorum & tectorum, quæ visebantur, injecta cohortium manu vorax flamma vastabat, præter alimenta, quæ colligi dubius rerum eventus adigebat & custodiri. Post hæc leniori gressu princeps ulterius tendens, cum prope locum venisset, cui Solicinio nomen est, velut quodam obice stetit, doctus procursantium relatione verissima, barbaros longe conspectos. Qui nullam ad salutem viam superesse cernentes, nisi se celeri defendissent occursu, locorum gnaritate confisi, unum spirantibus animis montem occupavere præcelsum, per confragosos colles undisque præruptum & invium, absque Septentrionali latere, unde facilem habet devexitatem & mollem, signis ilico fixis, ex more cum undique ad arma conclamarent, imperio principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillum operiens extollendum, quod erat oportune subeundæ indicium pugnæ. Ergo quia spatium deliberandi aut exiguum dabatur aut nullum, hinc impatientia militis perterrente, inde horrenda circumsonantibus Alemannis, id consilium ratio celeritatis admisit, ut arctoam montium partem, quam clementer diximus esse proclivem, Sebastianus cum suis occuparet, fugientes Germanos, si fors ita tulisset, levi negotio confossurus: quod haud placuit Maturato, Gratianoque apud signa Jovianorum retro detento, cujus ætas erat etiam tum prœliorum impatiens & laborum. Valentinianus, ut dux cunctator, & tutus, centurias & manipulos capite intecto consalutans (nullo potentium in conscientiam arcani adhibito, remota multitudine stipatorum) speculatum radices aggerum avolavit, cum pau-

Hi præcelsum montem occuparunt, ex eo vim hostilem propulsaturi.

Quem cum subiisset Valentinianus, loco, ubi non expectabatur, tandem Alemannos post acre aliquamdiu atque

anceps prælium, fudit fugavitque, multis quoque, ex Romanis desideratis.

paucis, quorum industriam norat & fidem: prædicans (ut erat arrogans sui æstimator) inveniri posse aliam viam, ducentem ad arduos clivos, præter eam quam inspexere procursatores: per ignota itaque & palustres uligines devius tendens, insidiatricis manus, locatæ per abrupta, subito oppetiisset adcursu, ni necessitatis adjumento postremo, per labilem limum incitato jumento digressus, legionum se gremiis immersisset, post abruptum periculum, cui adeo proximus fuit, ut galeam ejus cubicularius ferens, auro lapillisque distinctam, cum ipso tegmine penitus interiret, nec postea vivus reperiretur, aut interfectus.

§. V.

Proinde quiete reficiendis corporibus data, signoque erecto, quod solet ad pugnam hortari, tubarum minacium accendente clangore, fidentissimo impetu, acies motas prompte ante alios præiere duo juvenes, lecti in principiis adeundi discriminis, Salvius & Lipitinus, scutarius unus, alterè schola gentilium, fragore terribili concitantes: hastasque crispando, cum ad rupium objecta venissent, trudentibusque Alemannis evadere ad celsiora conarentur, advenit huc omne pondus armorum. Iis denique antesignanis per loca dumis aspera, magno virium nisu in editas sublimitates erupit miles. Acri igitur partium spiritu, conflictus cuspidibus tentatur infestis: & hinc arte belli doctior miles, inde licet feroces, sed incauti barbari dexteris coiere collatis: quos latius sese pandens exercitus, infusus utrinque cornibus afflictabat, per fremitus territos, & equorum hinnitus, & tubas: nihilominus tamen ipsi assumpta fiducia restiterunt. Æquataque parumper prœliorum sorte, haud parva manu

certatum est, dum turmarum funeribus mutuis res gerebatur. Disjecti denique Romanorum ardore, metuque turbati, miscentur ultimis primi: dumque in pedes versi discedunt, verutis hostilibus forabantur, & pilis. Postremo dum anheli currunt & fessi, pandebant sequentibus poplites & suras & dorsa. Stratis denique multis, lapsorum partem Sebastianus, cum subsidiali manu locatus post montium terga, trucidavit; ex incauto latere circumventam: Dispersi cæteri, sylvarum se latebris amandarunt. In hac dimicatione nostri quoque oppetiere non contemnendi. Inter quos Valerianus fuit domesticorum omnium primus, & natus spado quidam scutarius, exercitus ita bellator ut Sicinio veteri compararetur & Sergio. Hisque tali casuum diversitate peractis, milites ad hyberna, Imperatores Treveros reverterunt. *Et hæc quidem Marcellinus.*

§. VI.

Nec tamen Romanorum jugo assuescere poterant Alemanni.

Cum vero animadverteret Valentinianus, Alemannos, victos licet, ad ingenium identidem redire, rationem iniit, quomodo imperium firmare, atque barbaricarum irruptionum securum reddere posset, eoque (a) *Rhenum omnem a Rhetiarum exordio ad usque fretalem Oceanum, magnis molibus, communivit, castra extollens altius & castella, turresque assiduas per habiles locos & oportunos, qua Galliarum extenditur longitudo, nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis positis, subradens barbaros fines. Denique cum reputaret, munimentum celsum & tutum, quod ipse a primis fundarat auspiciis, præterlabente Nicro nomine fluvio,* Pau-

CCCLXIX. Valentianus ad Rhenum validas muniones extruxit.

P

(a) Amm. Macell. libr. 28.

paulatim subverti posse undarum pulsu immani, meatum ipsum aliorsum vertere cogitavit: &, quæsitis artificibus, peritis aquariæ rei, copiosaque militis manu, arduum est opus aggressus. Per multos enim dies compaginata formæ e roboribus, conjectæque in alveum, fixis refixisque aliquoties prope ingentibus stylis, fluctibus erectis confundebantur, avulsaque vi gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris vehementior cura, & morigeri militis labor, mento tenus, dum operantur, sæpe demersi: tandemque non sine quorundam discrimine, castra præsidiaria inquietudine, errantis ingentis amnis exempta, nunc valida sunt. &c. Ratusque, aptissimum ad id, quod deliberabat implendum, trans Rhenum in monte Piri, qui barbaricus locus est, munimentum extruere, deposuit raptim.

§. VII.

Quæ tamē iis frenandis non suffecerunt animum identidem illis addente Macriano rege.

Ne vero in futurum imperio graves forent Alemanni, Valentinianus plura alia animo agitavit, ex quibus non est reticendum (b) quod idem scriptor *sequentibus verbis refert:* Valentinianus versando sententias multiformes anxia sollicitudine stringebatur: reputans multa & circumspiciens, quibus commentis Alemannorum & *Macriani regis* frangeret fastus, sine fine vel modo rem Romanam inquietis motibus confundentes. Immanis enim natio; jam inde ab incunabilis primis varietate casuum imminuta, ita sæpius adolescit, ut fuisse longis seculis existimetur intacta. Seditque, consilia alia post alia, Imperatori probanti, Burgundios in eorum excitari perniciem, bellicosos & turbæ immensæ viri-

(b) Marcell. lib. 28.

viribus affluentes, ideoque metuendos finitimis universis, scribebatque frequenter ad eorum reges, per taciturnos quosdam & fidos, ut iisdem, tempore præstituto, supervenirent, pollicitus ipse quoque, transito cum Romanis agminibus Rheno, occurrere pavidis, pondus armorum vitantibus insperatum. Gratanter ratione gemina Principis acceptæ sunt literæ; prima quod jam inde temporibus priscis, sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt, dein quod salinarum finiumque causa, cum Alemannis sæpe jurgabant; catervas misere lectissimas, quæ antequam miles congregaretur, in unum, ad usque ripas Rheni progressæ, Imperatore ad extruenda munimenta districto, terrori nostris fuere vel maximo. Igitur paulisper morati, cum neque Valentinianus ut spoponderat, die prædicto venisset nec promissorum aliquid adverterent factum, ad comitatum misere legatos, poscentes adminicula sibi dari, redituris ad sua, ne nuda hostibus exponerent terga. Quod ubi negari per ambages sentirent & moras necti, mœsti exinde discesserunt & indignati. Hocque comperto, reges, ut ludibrio habiti, sævientes, captivis omnibus interfectis, genitales repetunt terras. *Hæc Marcellinus.*

Contra Alemannos postea sollicitavit Burgundios.

At Valentinianus (licet cum justo exercitu ad dictum diem Burgundorum reges se sisterent) eorum auxiliis uti noluit; quare indignabundi discesserunt.

§. VIII.

Quid vero moverit Valentinianum Augustum, ut contra Alemannos non uteretur auxiliis a se sollicitatis, non liquet, nec tutum dubiis conjecturis indulgere. Profuit tamen Burgundiones sollicitavisse adversus Alemannos: nam eos gentis (c) *antedictæ metu dispersos aggressus per Rhetias Theodosius, ea tempestate magister equitum, pluri-*

Burgundiorum tamen adventus terrorem Alemannis incussit, quos postea citra majorem difficultatem Theodosius equitum

(c) Marcell. lib. 28.

Magister cecidit. *pluribus cæsis, quoscunque cepit ad Italiam jussu principis misit, ubi, fertilibus pagis acceptis, tributarii circum Padum coluerunt.* Contra Saxones, anno proxime sequenti, felicius rem gessit idem Augustus. Ita enim Orosius: (*d*) *Valentinianus Saxones, gentem in Oceani litteribus & paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit.* Si Ammiano credimus (*e*) *eruperit Saxonum multitudo Augustis ter Coss.* sive, anno a nobis indicato. Hieronymus tamen hoc refert ad annum Domini 374. Cassiodorus autem qui Hieronymi Chronicon exscripsit, in Consulatum IV. Valentiniani & Valentis, qui annus fuit 373. Natalis Dominici. Sed Marcellino, cui hæc diligentius investigare propositum fuit, assentiri malim. Saxones hos a Suevis, seu Alemannis nostris, sedes discretas habuisse, dubitare non licet: atque intra fines ipsorum, utramqun Frisiam, simul Borealem Hollandiam fuisse. Quod vero postea Suevorum regionem invaserint, iisque permixti fuerint, non potuimus non hujus cladis meminisse.

CCCLXX. Valentinianus Saxones devicit.

CCCLXXV. Ingens Barbarorum multitudo cis Danubium effusa Romano Imperio magnum periculum procuravit.

§. IX.

Valentiniano anno trecentesimo septuagesimo quinto vita functo; exitiabile consilium, quo Romanum imperium jam diu nutans præcipiti ruina concideret, sub Valente & Gratiano erupit: recepta cis Danubium, innumerabili barbararum gentium multitudine, atque a Marcomannis & Quadis, longissimo terrarum tractu ad Pontum usque deducta, tanta deprehensa fuit, ut illius numerum comprehendere ill ipsi, qui transvexere, sæpe

(*d*) lib. 8. (*e*) lib. 28.

sæpe licet conati, nunquam potuerint, ut ut diligens opera navaretur (uti graviter Ammianus (f) queritur. Patriis ea pulsa sedibus, agrum per legatos petebat, quietam & innoxiam pace vitam, bello fortem & utilem inter auxilia operam pollicita. Imposuit ignaviæ speratum laborum sumptuumque compendium, & speciosus visus inertibus color, civium sanguini parcere, stipendia lucri facere, bella hostium & periculo, & in utrumque casum damno, conficere: verum res, gliscentibus barbarorum viribus, atque proinde audacia, in Romanorum perniciem brevi vertit, Romanos quos defensum venerant, novi ipsi accolæ exuere agris, urbibus & præsidiis, & totis denique pellere provinciis. Solatio fuit, quod anno dicto (g) *Alemannorum XXX. circiter millia apud Argentariam, oppidum Galliarum, ab exercitu Gratiani cæsa sunt.*

Solatio ex parte cessit Valentiniani de Alemannis victoria.

§. X.

Mortuo Valentiniano seniore, imperium fuit penes Valentem & Gratianum filium Valentiniani: ac Valens (h) Gratiani patruus, cum Gothis lacrymabili prælio commisso (quos ipse in Thraciam traduxerat) sagittis saucius in casam deportatur vilissimam, ubi, supervenientibus Gothis, ignique supposito, incendio concrematus est: trepidantibus interim Constantinopolitanis, ad quorum portas Gothi omnia prædati, proruerant. Cum paulo ante Valentinianus II. senioris ex Flavia Justina filius, vix quadrimus auctore Equitio ac Merobande, Imperator salutatus esset. At, cum Gratianus videret; parum sibi præsidii fore in fratre puero, provido consilio Theodosium, tum temporis in Hispania degentem, socium imperii, licet reluctantem, asci-

CCCLXXVII

CCCLXXIX Valente a Gothis occiso Constantinopoli trepidatur.

Gratianus consortem imperii magnum Theodosium asciscit.

(f) lib. 31. (g) lib. 31. (h) Aurel Victor.

Qui contra Gothos rē præclare gerit.

ascivit, ejque bellum adversus Gothos commisit, quos (i) per Modarem Scytham oppressos, partim in gratiam recepit, partim in Thracia collocavit, partim in Ægyptum transmisit, partim, ut in patrias terras remearent, concessit. Cum vero iidem, sparsa de morbo Theodosii fama, Pannoniam aggrederentur, & alii, quos Valens obsidum loco in Asiam traduxerat, clade parentum audita, de vastandis urbibus deliberarent; illos quidem per Baudonem ex Macedonia in Thraciam repulit, per Vitalianum vero & Fritigerum, ex Achaia & Epiro; Alatheum & Saphracem Pannonia ejecit: hi vero præventi sunt dolo educatoris sui Julli, qui contractos in unum velut munerum accipiendorum causa, per dispositos antea milites ex improviso interemit.

§. XI.

Quem Franci & Suevi præ aliis juverunt.

Strenuam contra Gothos, operam præ aliis navarunt Franci, quibus & Suevi immixti erant. Unde Ausonius Idyllio VIII. quod scripsit prid. kal. Januarii ita canit:

Jane veni, novus anne veni, renovate veni Sol,
Hostibus edomitis, quæ Francia mixta Suevis
Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis:
Qua vaga Sauromates, sibi junxerat agmina Chunis,
Quaque Getis sociis Histrorum assultabat Alanus,
Hoc mihi præpetibus victoria nunciat alis.

Nec tamen imperio licuit esse securo, ab excursionibus Barbaricarum nationum.

Nec tamen securo licuit esse imperio a pluribus excursionibus nationum barbaricarum, adeoque ad hæc tempora pertinent illa quæ Hieronymus habet in Epistola ad Helio-

(i) Zosimus lib. 4

Heliodorum (*k*) *Viginti* (inquit) *& eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim & Alpes Julias, quotidie Romanus sangvis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt.* Quanquam scio hæc ab aliis ad ulteriora tempora extendi. Quod vero Francorum potissimum virtute labascens imperium sustentaretur, primoribus inter illos duodecim fasces committi cœperunt. Nam in Fastis anno a CH. N. 377. & 383. occurrit Fl. Merobandes; anno 384. Fl. Ricimer, & anno 385. Bauto. Qui omnes natione Franci fuere. Nec dubitare licet, quin & Suevis, qui Francis immixti erant, debitus honos delatus fuerit. Non tamen Franci in fide perpetuo manserunt, soliti insidiari occasionibus: eoque (*l*) distentis in Italia Imperatoribus, Genebaldo & Marcomiro ducibus, Rheno superato, inferiorem Germaniam depopulati, dum Coloniæ etiam Agrippinæ terrorem incutere volunt, a Nannieno & Quinto magistris militiæ, collatis ad Carbonariam signis, internecioni dati sunt. Quintinus vero, circa Novesium castellum, Rheno superato, saltum primo, dein palustres campos ingressos, in insidias ita præcipitavit, ut omnes fere militum ductores trucidarentur. Arbogastes dein Sunonis Marconici odio, sæviente hyeme Rhenum transgressus, Bructeros ripæ proximos, & Chamavorus pagum Aetiam, nemine occurrente vastavit. Interea dum Gratianus (*m*) exercitus negligeret, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat vete-

Ex Francis propter bene merita in Imp. ab hoc tempore consules creari cœperunt.

Nec tamen Franci in fide perpetuo manserunt, Romanorum fines incursantes, sed suo malo: Cæsi enim sunt a legatis imp.

Gratianus Imp. dum despectui habet Romanos exercitus, a Maximo,

(*k*) Epist. 3. (*l*) Sigon. lib. 9. Hist. Occid. Imperii. (*m*) Diac. l. 2. cap. 9. qui habet illa ex Sulpicio Alexandr.

qui Imp. lectus erat, interficitur.

veterano eique Romano militi anteferret, concitavit contra se milites; etenim Maximus in Britannia invitus ab exercitu Imperator creatus, in Galliam transiit, atque a Gratiani legionibus exceptus, eundem subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolo interfecit. Sed nec Valentinianus II. diu superfuit, Viennæ ab Arbogasto, conscio Eugenio strangulatus, quod in Francos movere decrevisset: Arbogastus autem, (*n*) creato Eugenio Imperatore, cum Alemannorum & Francorum regibus fœdus percussit. Simul unus Theodosius Augustus remansit.

Nec multo post Valentinianus II. ab Arbogasto.

§. XII.

Longobardi superant Vandalos.

Circa hæc tempora, aut, ut aliis placet, (*o*) aliquot annis ante, Longobardi ab extremis Germaniæ finibus Oceanique littore, ipsaque Scandia insula egressi, atque novas sedes quærentes Ibore & Aione ducibus Vandalos superant. Cum postea Longobardorum sæpius facienda fuerit mentio, hoc loco, de illis, utpote ad Suevos pertinentibus, aliquanto distinctis agendum videtur. Non est vero existimadum, gentem Longobardorum, hoc seculo demum enatam, & imperio innotuisse: Antiqua est, atque ipsi Tacito (*p*) cognita, quando de Suevis agit: Similiter Paterculo (*q*) qui signanter mores quoque indicans: *Fracti* (inquit) *Longobardi; gens Germana feritate ferocior;* Nec non Straboni (*r*) cujus verba iterum adducenda: *Maxima quidem Suevorum natio: nam & a Rheno ad Albim usque pertingit, & trans Albim habitat pars eorum, ut Hermunduri, & Longobardi, atque nunc quidem fuga facta in ulteriorem regionem,* se

De eorum nomine & origine.

(*n*) Gregor, Turonensis. (*o*) Prosper in Chronico. (*p*) lib. de Morib, German, cap. 40. (*q*) libr. 2, cap. 106. (*r*) lib. 7, Geograph.

ſe conjecerunt. Agnoſcit quoque illos, ut Suevicum genus, Ptolemæus lib. 2. cap. 11. Tacitus, enumeraturus, gentes, quæ a Maroboduo ad Arminium defecerant, (*s*) *Sed e regno etiam Marobodui Sueva gentes, Semnones ac Longobardi defecere ad eum.* Cenſentur nomen habere a longis barbis, quas non conſueverint radere. Paulus Diaconus. (*t*) *Certum tamen eſt Longobardos ab intacta ferro barba longitudine, cum primitus* VVinuli *dicti fuerint, ita poſtmodum nominatos. Nam juxta illorum linguam* Lang, *longam:* Bart *barbam ſignificat.* Guntherus (*u*)

Dicitur a Longis ea Longobardia barbis.

Quomodo & Straboni (*x*) in Aſia referuntur μακροπώγονες, dubio procul ab augmento longarum barbarum ſic appellati, ſi vero hi noſtri Longobardi a longis barbis nomen habuerint antiquiſſimis etiam temporibus, occaſionem atque cauſam nominis fuiſſe putarim eandem, quam Tacitus (*y*) Chattis, maxime ſuo ævo adſcribit, his verbis: *Et aliis Germanorum populis uſurpatum, rara & privata cujuſque audentia apud Chattos in conſenſum vertit, ut primum adoleverint crinem, barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte caeſo, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.*

§. XIII.

Quanquam, ut aliis quoque (*z*) obſervatum fuit, puto aliam originationis cauſam, quæ conditioni regionis

Q

(*s*) lib. 2. cap. 44. (*t*) lib. 1. cap. 9. (*u*) lib. 2 Ligurini. (*x*) lib. 11. Geograph. (*y*) lib. de Morib. Germ. cap. 31. (*z*) Angelus lib. 1. Chron. Brandenb. & apud illum Spangenbergius.

nis responderit, reddi posse: nempe ut Longobardi, seu Langobardi (quomodo scribitur in variis Mss. Codd. Pauli Diaconi) dicantur nomen habuisse a **Langbart**, hoc est, a longa planitie, seu planis agris, quos ad Albim coluerint: in diœcesi scil. Magdeburgensi, quæ adhuc hodie agros similis indolis exhibet. Antiqua vero lingua Saxonia **ein Borde** est margo, sive planicies. His suis agris ejecti Longobardi, usque ad Scandiam (sub qua plures regiones Septentrionales, speciatim Norvagiam & Suediam complecti convenit) penetrarunt, ubi adeo potentes extiterunt, ut præcipui adjutores fuerint Itali, Cheruscorum imperium affectantis: (a) sed postea finibus suis egredientes, primitus occuparunt Rugiorum regionem. Unde Paulus Diaconus: (b) *Tunc Longobardi suis de finibus egressi, venerunt in Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur, atque in ea, quia erat solo fertilis, aliquantis commorati sunt annis.* Dein, tempore dicto, redierunt in patriam, expulsisque Vandalis, qui illam possidebant, feliciter occuparunt. Quo traho ejusdem Diaconi verba: (c) *Egressi Longobardi de* Rugiland, *habitarunt in campis patentibus, qui sermone barbarico* **Feldt** *vocantur.* Ut ut sit, ad Suevos pertinuerunt Longobardi; iisque immixtos fuisse, plurimos ex illis Suevis, quos Marchiæ nostræ jam antea vindicavimus, ambigere haud licet.

Ad antiquos Suevos pertinuerunt.

§. XIV.

Quæ Religio Suevorum fuerit sub imp. Theodosio: CCCXCII.

Quæ vero religio fuerit sub Theodosio, Suevorum aliorumque Germaniæ populorum, qui ex illis originem trahunt, patet ex singulari historia, quam refert *Pauli-*

(a) Tacit. libr. II. Annal. cap. 17. (b) libr. I. cap. 19. (c) libr. I. cap. 22.

Paulinus: (*d*) Ergo anno post Christum natum trecentesimo nonagesimo sexto, quod Ambrosius Mediolani Episcopus, insigni sanctimoniæ laude floreret, fama universum terrarum orbem pervagata, ad Marcomannos pertigit. Horum regina tunc Fritigil, cum Christianum hominem ex Italia profectum, de eo narrantem audivisset, insolitæ virtutis admiratione capta, Deum, cui vir tantus serviret, sibi colendum statuit, missisque Mediolanensi ecclesiæ muneribus, rectæ fidei formulam, ad quam se componeret, ab Episcopo petiit. Ambrosius copiosa epistola, quæ hodie non extat, rescripsit tum fidei, quæ petebantur, capita prosecutus, tum hortatus reginam, marito pacem cum Romanis persuaderet, quod illa diligenter effectum dedit; Sequenti anno doctorem suum coram visura, Mediolanum adiit, quo priusquam illa perveniret, is rebus humanis exemptus est. *Hæc ille.* Paulinus vero Ambrosii vitæ scriptor Fritigilis maritum, sese populumque suum Romanis tradidisse prodit: credo, quod trajecto Danubio, acceptis aliorum exemplo agris, Romanam ripam coluerit, nam id, institutæ a regina Mediolanensi profectioni, est consentiens. Putaverim hanc Fritigelem ut & maritum e gente Suevorum fuisse: Nam, jam olim Marcomannis hi permixti, Rhætiæproximi fuerunt, ad Marcianum videlicet nemus, quod Hercyniæ Sylvæ pars est, prope Danubii fontem, cui Ausonius aliquot post seculis (*e*) hæc verba sacravit:

Fontem mediis effundo Suevis.

§. XV.

Ad historiam ut redeamus, extincta cum Gratia-

(*d*) In vita Amprosii. (*e*) Auson. ep. 4.

Extincta Valentiniani prosapia solus Theodosius imperavit.

no & Valentiniano II. familia Valentiniani I. solus Theodosius cognomento Magnus successit, qui postremus Romanum imperium in Oriente & Occidente integrum tenuit anno CCCXCIII. dignus equidem qui optimis principibus accenseatur. Panegyristes ipsum laudat a debellatis Saxonibus (*f*) *Attritam* (inquit) *pedestribus proeliis Bataviam referam? Saxo consumptus bellis navalibus efferetur. Addit: Saxonicum dici posse, sicut & Sarmaticum & Alemanicum.* Dein contra Eugenium & Arbogastem necem Valentiniani ulcisci parans, illos in Alpibus superavit. Qua victoria potitus duos filios imperii consortes fecit, Arcadium Orienti, Honorium Occidenti præficiens: & quoniam ætate minores erant, duces illis attribuit; Arcadio Ruffinum, Honorio Stiliconem: neque multo post Mediolani vitam finivit.

Qui, consortes imperii adoptavit filios suos Honorium & Arcadium. CCCXCV.

Ab illius morte imp. Roman. titubare cœpit.

§. XVI.

Post Theodosii excessum Romanum imperium titubare cœpit, eidemque exitium inde improperatum est, unde salus sperabatur. (*g*) Principium a Stilicone fuit. Hic Ruffinum munere suo exuere contendit, &, quo citius Constantinopolim advolaret, Rheni limitem, facta cum Francis pace, in tuto collocare studuit: Ruffinus (*h*) horum gnarus, cum aliter sibi prospicere non posset; Alaricum Gothorum Regem e Thracia excivit, eundemque ad invadendam Græciam compulit. Unde magnæ clades exortæ sunt. Alaricus enim Gothorum rex, occupatis Thermopylis, quas Antiochus & Gerontius, Ruffino fidissimi, specie transitus prohibendi, insederant: in Bœotia omniapræter Thebas

(*f*) Pacatus in Paneg. Theod. dicto. (*g*) Zosimus lib. 5. (*h*) Sozom lib. 8. cap. 1.

bas expugnavit; Peloponesum ingressus, Corinthum, Argos & Lacedæmonem occupavit: Solis Athenis Minervæ & Achillis specie territus, pepercit; quo Alarici successu audito ex Italia in Peloponesum se contulit, & tantum Alarico metum, ut se, seu vallo & castris muniret, seu in Pholöen Arcadiæ oppidum concluderet, incussit, atque ad incitas redegisset, ni Rufinus metuens, ne victor sibi exitium accerseret, Arcadio, ut ipsum abscedere & exercitum mittere juberet, persuasisset: Et exercitus quidem duce Gaina rediit: Sed Rufinus obviam cum Arcadio procedens, a militibus interfectus est, simul dextra ejus per urbem circumlata.

§. XVII.

Haut melior Rufino Eutropius Eunuchus. Hic enim postquam honoratissimum quemque ex aula removisset, vel in exilium misisset, Stiliconem eo ipso anno, quo Alaricus Epiro vastata, Græciam tanta atrocitate vexabat, ut multi exteras regiones salutis causa quærerent, hostem a Senatu judicari curavit, &, ut Africam Honorio eriperet, Gildonem Comitem ad studia sua convertit, Quod, cum Gaina indigne ferret, Tribigildum Barbarorum in Phrygia ducem, ad Asiam occupandam concitavit, atque contra ipsum missus, magnitudine hostilis exercitus in majus aucta, Arcadio, ut intolerabiles conditiones, inter quas & Eutropii deditio erat, reciperet, persuasit. Eutropius ergo in Cyprum deportatus: mox inde retractus Chalcedone trucidatus est. Sed nec sub Gaina dispar Arcadii conditio. Nam & is imperio ipsum excussurus, Constantinopolim astu occupare conatus est. Re detecta, & Gothis, qui in urbem immissi erant, trucidatis, licet hostis

Arcadii Imp. quodnam fatum fuerit?

hostis proclamatus esset, Asiam occupare voluit: ast, ibi a Frevitta maris præfecto victus cum in Scythiam fugiens, Istrum transmittere vellet, ab Hudino Hunnorum principe memorabili prœlio interfectus est. Arcadius vero varie jactatus decimo imperii anno mortuus est.

§. XVIII.

CCCCVIII. Godegisilus, Rex Vandalorum, instructus copiis Suevorum, longe lateque Germaniam depopulatur.

Anno ferme ante, quam ad plures Arcadius discederet, Godegisilus Rex Vandalorum, qui in Scythia ad Mæotidem erant, junctis Alanis ex Scythia digressus (i) Vandalos a Constantino in Pannonia locatos assumpsit. Inde Germaniam inivit, atque tractis secum Marcomannis, Herulis, Turcilingis, Suevis, Saxonibus, & Burgundionibus, frustra se opponentibus Francis & Honorii præfectis, ad Rhenum processit, quem & superavit. Tum ergo Moguntiacum eversum; Vangiones ad deditionem adacti; Rhemi, Ambiani, Atrebates, Morini, Nemetes, Argentoratum direpta sunt. Quo referenda, quæ habet Hieronymus: (k) *Innumerabiles*, (inquit) *& fortissimæ nationes universas Gallias occuparunt: Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rhodano includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & hostes Pannonii vastarunt: Moguntiacum, nobilis quondam civitas capta ac subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti: Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, translati in Germaniam, &c.* Ipsi vero Romæ, ab Athalarico Gothorum

Dum Alaricus Romam obsi-

(i) Zosim. libr. 5. (k) Ep. 1.

rum rege illud procuratum, quod antea semel duntaxat eidem acciderat. Urbem enim obsedit, & expugnavit. Unius Orosii verba ut captæ urbis facies repræsentetur, (l) exhibuisse suffecerit. *Adest Athalaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto prius, ut, si qui in sancta loca, præcipueque in sanctorum Apostolorum Petri & Pauli basilicas confugissent, hos in primis inviolatos securosque esse sinerent. Tum deinde in quantum possent, prædæ inhiantes, a sanguine temperarent, &c. Tertia die barbari, quam ingressi urbem fuerant, sponte discedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, sed ne tanto quidem, quantum septingentesimo ejus conditionis anno, casus effecerant. Nam, si exhibitam Neronis Imperatoris sui spectaculis inflammationem recenseam, procul dubio nulla comparatione æquiparabitur secundum id, quod excitaverat lascivia principis, hoc quod nunc intulit ira victoris. Neque vero Gallorum meminisse in hujusmodi collatione debeo, qui continuo pene anni spatio, incensæ eversæque urbis attritos cineres possederunt.*

det & occupat. CCCCX.

§. XIX.

Ferme circa hoc quoque tempus, (m) Vandali, Alani, & Suevi relicta Gallia, quam vastaverant, Hispaniam invaserunt: atque securi patriæ suæ, eam ab aliis, ut deinde dicetur, occupari passi sunt, Hispaniam quoque inter se partiti fuerunt, cessitque Gallicia Suevis: qua vero occasione in Hispaniam penetrarint, distincte refert idem Orosius (n) *sic loquens:* Ante biennium Romanæ irruptionis, excitatæ per Stiliconem, gen-

Quo ferme tempore, Suevi multi, patriæ quasi valedicentes.

(l) libr. 7. cap. 39. (m) Zosim. libr. 5. (n) libr. 7. cap. 40.

atque a Stilicone cum aliis acciti, ut per illos filium Eucherium ad imperiale fastigium subveheret in Hispaniam transierunt.

gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ; Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias invadunt, directoque impetu Pyrenæum usque perveniunt: cujus obice ad tempus repulsæ, per cumjacentes provincias refunduntur. His per Gallias bacchantibus, apud Britannias Gratianus, municeps ejusdem insulæ, tyrannus creatur & occiditur. Hujus loco Constantinus ex infami militia, propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur, qui continuo ut invasit imperium, in Gallias transiit. Ibi sæpe a barbaris incertis fœderibus illusus, detrimento magis reipubl. fuit. Misit vero in Hispaniam judices, quos cum provinciæ obedienter accepissent, duo fratres, Juvenes nobiles & locupletes, Didynus & Verinianus non assumsere: nec adversus tyrannum quidem tyrannidem, sed Imperatorem justum; adversus tyrannum & barbaros tueri, patriamque suam moliti sunt: Quod ex ipso gestæ rei ordine patuit. Nam tyrannidem, nemo, nisi celeriter maturatam, secreto invadit, & publice armat, cujus summa est, assumpto diademate, ac purpura, videri antequam sciri. Hi vero plurimo tempore servulos tantum suos, ex propriis colligentes, ac vernaculis alentes sumptibus, nec, dissimulato proposito, absque cujusquam inquietudine, ad Pyrenæi claustra tendebant. Adversus hos Constantinus Constantem filium suum, proh dolor! ex monacho Cæsarem factum; cum barbaris quibusdam, qui quondam in fœdus recepti, atque in militiam allecti Honoriaci vocabantur, in Hispanias misit. Hinc apud Hispanias prima mali labes. Nam interfectis illis fratribus, qui tutari privato præsidio Pyrenæi Alpes moliebantur, his barbaris quasi in precium victoriæ, primum prædandi in Palatinis campis licentia data, dehinc

hinc suprá dicti montis claustrorumque ejus cura permissa est, remota rusticanorum fideli & utili custodia. Igitur Honoriaci imbuti præda, & illecti abundantia, quo magis scelus impunitum foret, atque ipsis sceleris plus liceret, prodita Pyrenæi custodia, claustrisque patefactis, cunctas gentes, quæ per Gallias vagabantur & Hispaniam, provinciis immittunt: iisdemque ipsi adjunguntur, ubi, actis aliquandiu magnis cruentisque discursibus, post graves rerum atque hominum vastationes, quarum ipsos quoque modo pœnitet, habita sorte, & distributa usque ad nunc possessione, consistunt. *Hæc Orosius.*

§. XX.

Acciverat vero Stilico Suevos, & alias nationes ex interiori quoque Germania, ut filium suum Eucherium ad imperium promoveret: totam rem narrat *idem Orosius:* (o) Comes Stilico (*inquit*) Vandalorum imbellis, avaræ perfidæ & dolosæ gentis genere editus, parvi pendens quod sub Imperatore imperabat, Eucherium filium suum, sicut a plerisque traditur, jam inde Christianorum persecutionenem a puero privatoque meditantem, in imperio quoquo modo sustinere nitebatur. Quamobrem Alaricum, cunctamque Gothorum gentem, pro pace optima & quibuscunque sedibus suppliciter ac simpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publice autem & pacis & belli copia negata, ad terendam, terrendamque rempubl. reservavit. Præterea gentes alias, copia viribusque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hispaniarumque provinciæ premuntur, h. e. Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipsoque simul

(o) libr. 7. cap. 38.

mul motu impulsorum, Burgundionum; ultro in arma solicitans, deterso semel Romani nominis metu, suscitavit: eas interim ripas Rheni quatere, & pulsare Gallias voluit, sperans miser, sub hac necessitatis circumstantia, quia & extorquere imperium genero posset in filium; & gentes barbaræ tam facile comprimi, quam commoveri valerent. Itaque, ubi Imperatori Honorio, exercituique Romano, hæc tantorum scelerum scena patefacta est, commoto justissime exercitu, occisus est Stilico: qui, ut unum puerum purpura indueret, totius generis humani sanguinem dedit. Occisus est & Eucherius, qui ad conciliandum sibi favorem Paganorum, restitutione templorum & eversione Ecclesiarum, imbuturum se regni primordia minabatur, pauci cum iisdem satellites tantarum molitionum puniti sunt. *Hæc iterum Orosius.* Suevorum vero opera, præ cæteris Stilico uti voluit, quod sciret fortitudine & belli experimentis præstare: quare illos vicisse magni quid habitum fuit. Claudianus lib. 1. in Eutropium:

Arduus & flavis signabat jura Süevis.

atque paulo post:

Ante pedes humili Franco, tristique Süevo perfruor.

§. XXI.

CCCCXCIX. Clodovæus Francorum Rex, Alemannos fudit.

Anno autem quadringentesimo nonagesimo nono (Sigeberti Gemblacensis Chronicon sequimur) Clodovæus Francus, Alemannorum rege cæso, gentem (Alemannorum scil. sive Suevorum) difficili & admodum cruenta pugna vicit, cum rebus suis inclinatis, aciem illustri voto nuncupato restituisset: Christo enim, quem Clo-

Clothildis uxor colebat, victor nomen dare pollicitus, Christi præsentem opem expertus fuit. Neque tamen omnes Alemanni victoriæ cessere, nam, vel ex solo Procopio (p) constat, Justiniani adhuc ætate, liberos fuisse. Quod tamen de aliquibus duntaxat, non vero de omnibus, accipiendum est. Etenim eo ipso tempore, quo tanta victoria Clodovæus potitus fuit, Theoderico Gothorum regi paruere, qui Rhætiam incolebant, & fortassis illi quoque, qui prope Danubium sedes suas habebant: atque, si conjecturæ in rebus dubiis locus concedi mereatur, qui cis Rhenum in Gallia Argentoratensem tractum occupaverant; (cujus rei indicia multa supersunt) tum illi, qui proximam Thuringis oram tenebant, quam Franconiæ inde nomen accepisse credimus: haud nescii interim quas fabulas nugatorum primipilus Hunibaldus, hujus, vocabuli occasione, obtrudat; cum antiquæ Sueviæ, sive Alemanniæ, pars fuerit.

Illos Theodericus Gothorum Rex partim domuit, partim limitibus quibusdam circumscripsit: vetando, ne illos excederent. Controversia quædam historicæ enodantur.

§. XXII.

Inter utriusque autem regis ditionem, prioris libertatis reliquiæ superesse potuerunt. Notatu digna sunt Agathiæ verba, (q) *Hos* (nimirum Alemannos) *Theodericus olim Gothorum Rex, cum Italiæ potiretur imperio, tributarios fecerat, & gentem hanc subegerat universam.* At isti rursus in duplici differentia. Partim ultro se in Gothorum clientelam dedere, quo a Francis horum patrocinio tuti agerent. Quod ex Theoderici ad Clodovæum epistola perspicuum. (r) *Jure gratiæ* (inquit) *merentur evadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respi-*

Suevi sedibus suis exciti, per varias orbis partes dispersi fuerunt.

(p) libr. 1. (q) libr. 1. Hist. (r) Apud Cassiod. libr. 2. ep. 41.

respicitis confugisse. Estote illis remissi, qui nostris finibus celantur exterriti. Et mox: *Et meis petitionibus satisfecisse videamini, nec sitis solliciti ex illa parte, quam ad nos cognoscitis pertinere.* Partim cum hostilem impressionem fecissent, bello victi in Italiam translati sunt. Quod Cassiodorus & Ennodius ostendunt. Sic enim ille: (s) *Additur Alemannorum nuper fugata surreptio, qua in primis conatibus suis sic probatur oppressa, ut, simul adventum suum junxisset & exitum, quasi salutaris ferri executione purgata: quatenus & male præsumentium vindicaretur excessus & subjectorum non omnino grassaretur interitus:* Ita vero Ennodius (t) *Quid, quod a te Alemanniæ generalitas, in Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est? Cui evenit habere regem, postquam meruit perdidisse. Tactus est Latiaris custos imperii, semper nostrorum populatione grassata. Cui feliciter cessit, fugisse patriam suam, nam sic adepta est soli nostri opulentiam: adquisita est ius tellus, quæ noverit legionibus adquiescere:* Atque hanc irruptionem & victoriam in annum Dn. incidisse videtur, quo numerabatur Indictio XV. aliusquoque Cassiodori locus (u) persuadere videtur: *Illis* (inquit) *Suevorum incursione vastatis, fiscum decima quinta Indictionis severitas Regalis indulsit.* Alemannos, in Italiam translatos, per Noricos iter tenuisse, Theoderici ad Noricos edictum docet: (x) *Præsentibus* (inquit) *decrevimus institutis, ut Alemannorum boves, qui videntur pretiosiores propter corporis granditatem, sed, itineris longinquitate defecti sunt, commutari vobiscum lice-*

(s) lib. 12. Epist. ult. (t) in Panegyr. (u) lib. 12. Var. Epist. ep. 7. (x) Cassiod. lib. 3. Var. Epist. 50.

liceat, minores quidem membris, sed idoneos ad labores; ut & illorum profectio sanioribus animalibus adjuvetur, & vestri agri armentis grandioribus instruantur.

§. XXIII.

Alias Alemanni, tempore Theoderici (ut jam diximus) in Alpibus sedes suas statuerunt. Testis est Jornandes, (y) cum enim Suevos & Alemannos (distinguit per errorem illos, qui unius populi rationem habebant) a Theoderico Gothorum rege inopinata irruptione victos commemoret, his eos quoque lineis circumscribit: *Regio illa Suevorum ab Oriente barbaros habet, ab Occidente Francos, a Meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos. Quibus Suevis tunc juncti Alemanni etiam aderant, ipsique Alpes erectas omnino regentes, unde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum sono vergentia.* Non quidem negaverim; Alemannos, aliquot annis ante Alpium Rhæticarum partem occupasse, & fortassis sub Attila transitum occupasse, stabilemque ibidem sedem fixisse; at non occurrit mihi Auctor assiduus, vetustior Jornande, per quem illud probem. Interim dubitare non licet, quin Theodericus Alemanniam, sive Sueviam, a Rhætiis distinxerit. Quanquam certo dicere non possum, quibus limitibus? si conjecturæ locus esse posset, dicerem, Sueviam, aut Snaviam, ut plerique Codd. habent, appellasse tum quicquid illius regionis, quod in Germania magna possidebat, tum portionem aliquam Rhæticæ provinciæ, quam circa Danubii fontes simul in Alpibus Alemanni invaserant: Id liquido constat, Theodericum diversos Rhætiæ & Sueviæ Re-

Eos, qui in Germania remanserant, atque partem Rhætiæ occuparant, Theoderico Gothorum Regi paruisse probatur,

 ctores

(y) de rebus Gethicis cap. 55.

ctores præfecisse; (z) nam scribens, *universis provincialibus & capillatis, defensoribus, & curialibus in Suevia consistentibus*, Fridilandum eis quendam præfecit; *Universis* item *possessoribus in Suavia constitutis*, Severinum, aut, ut alii Codices legunt, Severianum. Alibi quoque Comitis Gothorum in Suevia & Vice Domini (a) meminit. Sed ex formula Comitivæ intelligamus, hos Comites Gothos tantum spectasse, ut inter duos Gothos soli jus dicerent; inter Gothum & Romanum Collega Romano adjuncto, cæteroquin in provinciales imperium non haberent. Ex præcedentibus patet, Sueviam antiquis & vernaculis suis inquilinis magnam partem exhaustam fuisse: quod ipsi æternas sibi sedes quærentes, partim in Pannoniam, partim in Hispaniam transierint, a Theoderico quoque in Italiam translati fuerint: suspicari aliquis posset, magnam quoque eorum partem in Italiam commigrasse, cum Longobardi, tempore Justini II. Imperatoris, sub rege Alboino a Narsete evocati, relicta Hunnis & Avaris certis conditionibus Pannonia, quam antea suam fecerant, Italiam terram invaderent: nisi obstaret Pauli Diaconi auctoritas, qui solos Saxones, Longobardis suppetias tulisse, expresse scribit. Verba illius sunt: (b) *Alboin vero ad Italiam cum Longobardis profecturus, ab amicis suis, vetulis Saxonibus, auxilium petit, quatenus spatiosam Italiam cum pluribus, possessuri intrarent. Ad quem Saxones, plus quam viginti millia virorum cum uxoribus simul & parvulis, ut cum eo ad Italiam, pergerent, juxta ejus voluntatem venerunt.*

qui illis quoque Comites Gothos præfecit.

Non migraverunt tamen Suevicum Longobardis in Italiam.

Illis soli Saxones in expeditione Italica adjuncti fuerunt.

§. XXIV.

(z) Cassiod. lib. 4. var. Epist. 40. & libr. 5. ep. 14. 15. (a) libr. 7. Var. Epist. 3. (b) lib. 3. de Gestis Longobardorum cap. 18. 19.

§. XXIV.

Ipsos vero Suevos hoc tempore, quos hactenus præ aliis attendimus, avitis sedibus exclusos fuisse, atque in illis anguste, ob novos inquilinos habitasse, idem Diaconus nos docet, quando sequentia proxime subjicit: *Hoc audientes Chlotarius, & Sigisbertus Reges Francorum, Suavos, aliasque gentes, in locis, de quibus iidem Saxones exierant, posuerunt.* Scilicet Suevi, ipsis Francis, inter quos vivebant, graves erant, adeoque Francorum reges colonias ex illis conscripserunt, quas in terram Saxonum traduxerunt. Quod multi ex Suevis quoque in Italiam per Theodericum deducti essent, quo tempore Longobardi rerum ibi potiebantur, iis immisceri cœperunt, velut antiquitus suis vicinis & cognatis. Exemplo potest esse celebratissimus ille Droctulf. De quo ex re fuerit audire *Paulum Diaconum:* (c) His ita gestis (*inquit*) Authari Rex, Brexillum civitatem, super Padi marginem sitam, expugnare aggressus est, in quam Droctulf Dux a Longobardis confugerat, seque partibus Imperatoris tradens, sociatus militibus Longobardorum, exercitui fortiter resistebat. Ipse ex Suavorum, hoc est Alemannorum gente oriundus (*agnoscit Diaconus Suevos & Alemannos eosdem fuisse, prout jam antea ostendimus*) inter Longobardos creverat, &, quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed cum occasionem ulscisendæ suæ captivitatis reperit, contra Longobardorum gentem ilico in arma surrexit. Adversus quem Longobardi gravia bella gesserunt, tandemque eum cum militibus, quos juvabat, exuperantes, Ravennam cedere compulerunt. &c. Hujus sane

In Saxonum autem terram a Francorū regibus Suevi translati fuerunt.

Suevi tamen a Theoderico, Gothorum Rege, in Italiam translati Longobardis permisceri cœperunt.

Historia nobilissimi Droctulf, natione Suevi.

(c) Libr. 3. de Gestis Longobardorum cap. 18. 19.

sane Droctulf, de quo præmisimus, adminiculo, Ravennatium milites, adversus Longobardos dimicarunt. Exstructaque classe, Longobardos, qui classe urbem tenebant, hoc adjuvante, pepulerunt. Cui, cum vitæ explesset terminum, honorabile sepulcrum, ante limina beati Vitalis Martyris tribuentes, tali ejus laudes epitaphio extulerunt:

Clauditur hoc tumulo, tantum sed corpore, Droctolf:
Nam meritis tota vivit in urbe suis.
Cum Bardis fuit ipse quidem, nam gente Süavus;
Omnibus & populis inde su avis erat.
Terribilis visu facies, sed mente benignus,
Longaque robusto pectore barba fuit.
Hic & amans semper Romana & publica signa,
Vastator gentis adfuit ipse suæ.
Contempsit caros, dum nos amat, ille parentes,
Hanc patriam reputans esse Ravenna suam.
Hujus prima fuit Brexelli gloria capta;
Quo residens cunctis hostibus horror erat:
Qui Romana potens valuit post signa juvare,
Vexillum primum Christus habere dedit.
Inde etiam retinet dum classem fraude Feroaldus,
Vindicet ut classem, classibus arma parat.
Puppibus exiguis decertans amne Badrino
Bardorum innumeras vicit & ipse manus,
Rursus & in terris Avarem superavit Eois,
Conquirens dominis, maxima palma suis.

Marty-

Martyris auxilio Vitalis fultus ad istos
Pervenit, victos sæpe triumphat ovans.
Cujus & in templis petiit sua membra jacere,
Hac loca post mortem bustis habere juvat.
Ipse sacerdotem moriens petit ista Johannem,
His rediit terris cujus amore pio.

Hactenus Paulus VVarnefridus, dictus Diaconus.

§. XXV.

Ergo Suevi, aliis gentibus extra solum patrium immixti, prout fieri solet, cum illis paulatim coaluerunt. At, quos antea diximus Hispaniam ingressos fuisse, per multos quoque annos imperium ibidem obtinuerunt. Historiam paucis complexus fuit *Isidorus*, hoc loco necessario *exhibendus:* Suevi (*dicit:*) duce Hermerico rege cum Alanis & Vandalis simul Hispanias ingressi sunt ERA. CCCCXVII. Hi Galliciam cum Wandalis occupant. Wandalis autem transeuntibus in Africam, Galliciam soli Suevi sortiti sunt; quibus præfuit Emericus annis quatuordecim. Gallicii autem in parte provinciæ, regno suo utebantur: quos Emericus assidua vastatione deprædans, tandem ob morbi dolorem, eis pacem dedit: quo morbo diutissime, per annos septem oppressus, interiit. Postquam Riccila filius ejus successit, & regnavit annos octo. Hic, jubente patre, ab eo missus, Undebotum Romanæ militiæ ducem, cum suis omnibus copiis, ad Singilium Beticæ fluvium inito bello prostravit, magnis ejus auri argentique copiis occupatis. Post obitum autem patris suscepto regno, Hispania ab eo obtenta cum Betica,

Quamdiu Suevi Hispaniam obtinuerint.

Quos Reges in Gallicia habuerint?

S Car-

Cartaginenses provincias quoque in suam redegit potestatem. Quo defuncto, Rectiarius succedit in regnum annis novem. Hic accepta in conjugio Theodorici Regis Gothorum filia, initio regni sui, mox ad Theodericum socerum suum profectus, Cæsaraugustanam regionem, cum auxilio Gothorum rediens, deprædatur, irruptaque per dolum Ilerdensi urbe, egit ibi magnam captivitatem. Ad ultimum, dum Theodericus rex, Hispaniam ingrederetur, inito prœlio adversus eum, primo fugatus, deinde captus, occiditur.

§. XXVI.

Occiso Rectiario, Suevi bifarie divisi: pars Fratan, pars Masdram sibi regem constituunt. Masdras autem cum manu Suevorum, statim Lusitaniam deprædatur, acta illic Romanorum cæde, prædisque contractis. Civitas etiam Olisepona, sub specie pacis, intratur. Nec mora, Fratan mortuo, Suevi, qui cum eo fuerant, ad Masdram revertuntur, regionem Galliciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Masdras autem, peracto tertio anno regni sui, jugulatur. Quo extincto, inter Frumarium & Remismundum Masdræ filium, oritur de regni potestate dissensio. Sed Frumarius, cum manu quam habebat, Flaviensem civitatem grandi evertit excidio. Remismundus vicina sibi pariter, Arigensium loca & Lucensis conventus maritime populatur. Frumario autem mortuo, Remismundus omnes Suevos in suam ditionem revocat, pacem cum Gallliciis reformat, legatos fœderis mittit ad Theodoricum regem Gothorum, a quo etiam per legatos, & arma, & conjugem, quam haberet, accepit. Tertio regni anno, ad Lusitaniam transiit, Coimbricam pace deceptam diripit. Olisipona quoque ab eo occupa-

cupa-

cupatur: cives vero, qui illic præerant, custodiendos tradidit Lusidio. Hujus tempore Alax, natione Galata, effectus apostata, & Arrianus, inter Suevos regis sui auxilio, fidei Catholicæ hostis emersit. Cujus seductione Suevi, a fide Catholica recedentes in Arrianum dogma declinant. Sub Remismundo Rege, Arriana hæresi infecti fuerunt.

§. XXVII.

Post multos deinde reges, regnum Suevorum suscepit Theudemirus, qui fidem Catholicam adeptus Arrianæ impietatis errore destructo, Suevos unitati fidei reddidit. Hujus temporibus, Martianus Monasterii Dumiensis Episcopus, fide & scientia claruit. Cujus studio & pax ecclesiæ reddita est, & multa monasteria condita. Post Theudemirum, Miro Suevorum princeps efficitur, & regnavit annis XIII. Hic bellum secundo regni sui anno, contra Roccones intulit: Deinde in auxilium Leuvigildi, Gothorum regis, adversus rebellem filium ad expugnandam Hispalim pergit, ibique vitæ terminum clausit. Cui Ebaricus filius in regnum succedit. Quem, adolescentem, Acidicas, assumpta tyrannide, regno privat, & monachum factum, in monasterio damnat, pro quo non dilata est sententia. Mox enim Linriguldus Gothorum rex, Suevis bellum inferens, obtento eodem regno, audaciam dejecit, atque, detonso eo, post regni honorem, presbyterii officio consecravit. Sic enim oportuit, ut quod regi suo fecerat, rursum idem ab alio congrua meriti vicissitudine pateretur. Regnum autem Suevorum deletum, in Gothos transfertur, quod mansit annis centum XX. sex. *Hæc Isidorus:* cujus narrationem, cum Johannes Vasæus ad lineas Chronologicas redegerit,

gerit, (d) opere pretium fuerit, sequentem ex illo tabellam exhibuisse. A. N. C.

	CCCCVIII.
Hermericus regnavit annis. XXXII.	CCCCXL.
Rechila an. VII. - - - -	CCCCXLVIII.
Rectiarius an. IX. - - -	CCCCLVII.
Masdras. an. III. - - - -	CCCCLX.
Fumarius. an. IV. - - -	CCCCLXIV.

Remismundus cum tota gente Arriana hæresi infectus fuit, in quo etiam errore, gens illa per annos propemodum centum perseveravit, nec temporis illius ulli reges reperiuntur, indigna quippe, quorum nomina in animis hominum superessent.

Theodimirus Catholicus an. VI. -	DLXIII.
Ebaricus annis II. - - -	DLXIX.
Miro an. XIII. - - - -	DLXXXII.
Acidicas Tyrannus. - - -	DLXXXIV.

Suevorum regnum deletum est tempore Leonigildi Gothorum regis; postquam in Hispania regnassent annis centum & septuaginta septem, *Hactenus quoque Vasæus.*

§. XXVIII.

Suevi antequam in Hispaniam venirent, ultra Danubium in Pannoniam penetraverunt, ubi proprios duces imo Reges habuerunt.

Postremo de antiquis hisce Suevis, circa quos hactenus occupamur, observetur, eos, antequam in Hispaniam quoque commigrarent, Danubium transiisse, Pannoniam ipsam ingressos fuisse, atque occupasse illas sedes, quas hodie ex parte incolunt. Lubet adferre quædam ex Anonymi Scriptoris fragmento: (e) *Suevi venientes ad Danubium, transierunt illum: deinde paludes ejusdem fluminis ingenti labore transeuntes, in campo amœnissimo ac*

(d) In Chronico Hispaniæ cap. 14.

(e) Editus est a Goldasto, cum aliis rerum Suevicarum Scriptoribus.

at latissimo, Suuabenua ab eadem gente modo nuncupato, sese diffuderunt, ut illic aliquandiu pausantes, liberius transcenderent Penninas Alpes. Decreverant enim in Longobardiam ire, ac illam provinciam inhabitare, Erant autem ex uno latere campi, & Danubius, ex altero vero amplissimum nemus. Eo tempore Wilzbi, Alpherum, filium Rorstaini de Wilzin, in ipsa regione creaverant Ducem pro rege. Non diffiteri quidem ausim, Suevis, qui in Germania remanserunt, aliquando ducem præ Rege placuisse: Interim si fides aliqua deferri debeat Sigonio, (*f*) Scriptorum antiquorum, mediique ævi vestigiis inhærenti; Hunnimundus Suevorum Rex in Pannonia, instigante Genserico, Pannonias, trans Istrum, Dalmatiam usque, populatus fuerit. A. C. N. CCCCLXX. Quomodo ex Sigeberti quoque Chronico (*g*) constat, Theodomirum Gothorum regem, Danubium conglaciatum transiisse, atque, frustra obnitente Rege Suevorum Hunnimundo, cum ampla præda domum rediisse.

§. XXIX.

Tantum dixisse sufficiat de Suevis & Alemannis primis Marchiæ atque vicinarum regionum incolis, quos armis præ omnibus aliis gentibus inclytos fuisse, patuit ex longinquis expeditionibus, quas susceperunt, quæ licet semper ex voto non successerint, variisque casibus affecti Suevi subinde fuerint, totum tamen terrarum orbem terruerunt: nec solum Romanum imperium attriverunt, sed ad interiorem quoque Græciam penetrarunt, ipsis quoque Scythis vincere solitis, formidabiles: Quæ de moribus ipsorum, quibus a reliquis Germanis distin-

(*f*) lib. 2, de Italiæ Regno, (*g*) Sigeb. Gembl. in Chron, ad annum Christi, 472.

ſtincti fuerunt, annotem, cæſariem ſi excipias, nihil occurrit, quam quomodo & nutrire & comere ſoliti fuerint, Tacitus docet. (*h*) *Inſigne gentis* (inquit) *obliquare crines: nodoque ſubſtringere. Sic Suevi a cæteris Germanis: ſic Suevorum ingenui a ſervis ſeparantur. Sic in aliis gentibus ſeu cognatione aliqua Suevorum, ſeu (quod ſæpe accidit) imitatione, rarum & intra juventa ſpatium: apud Suevos uſque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant principes, & ornatiorem habent. Ea cura formæ, ſed innoxia. Neque enim ut ament amenturve: in altitudinem quandam & terrorem adituri bella comti ut hoſtium oculis, ornantur.* Quæ verba Romani ſcriptoris, quomodo ſecundum Comam a Suevis peculiari ratione nutritam intelligi debeant, præ aliis diligentiſſime maximus Salmaſius (*i*) expendit.

§. XXX.

Suevi in Germania hodie celebres, quas regiones incolant?

Hiſtoriam Suevorum, quantum inſtituti noſtri ratio permiſit, deduximus ad extrema eorundem in Hiſpania, ubi, regali dignitae conſpicui deſierunt: nec tamen exſtimandum eſt, eos plene deletos fuiſſe. Quidam ad illam gentem pertinentes in Germania remanſerant, diviſi tamen ab illis Suevis, quos cum Semnonibus, (qui præcipui Marchiæ noſtræ inquilini fuerunt) longinquas extra Germaniam expeditiones ſuſcepiſſe oſtendimus. Dubito tamen an admittere debeam, Sueviæ diviſionem, quam habet felix Fabri, Monachus Ulmenſis: (*k*) Apud quem ſequentia lego: *Eſt duplex Suevia, inferior ſcilicet, quæ protenditur contra Rhenum; ſuperior, quæ con-*

(*h*) de Morib. German. cap. 38. (*i*) Epiſt. de Coma. p. 75. & ſeq. (*k*) lib. I. Hiſt. Suev. cap. I.

contra Alpes porrigitur. Utraque est terra bona, fructifera, vinifera, habetque centum pagos, secundum Isidorum, & civitates munitissimas, oppida, castella, castra, villas, campestria & montana, amnes & flumina, nemora multa, prata, & pascua, silvas ingentes, ferarum & bestiarum utilium greges, de cujus montibus metalla fodiantur, & de ejus aquis sales coquuntur. Estque terra illa populosa, fortis, audax, gens bellicosissima, procera corpore, flavo crine, venusta facie, & decora specie, diserta eloquentia, synonymis utens & dictionibus ac verbis præ aliis Teutonicis abundans, voce clara, & jubatis sonans cantibus, gaudiis cum parcitate victus vacans, splendida veste & frequentibus balneis utens. Monacho angustiis claustri sui concluso, ignosci quadantenus debet. Certe Sueviam antiquam, cum illa, quam suo seculo offendebat, confudit; atque nullis adductis testibus antiquioribus, ostendit divisionem Sueviæ, in inferiorem & superiorem non esse considerandam secundum tempora Julii Cæsaris, Ptolemæi, reliquorumque Scriptorum Romanorum, sed suam ætatem. Sueviam enim latissime olim patuisse, atque ipsam nostram Marchiam, speciatim Semnones, qui in illa præcipue erant, ambitu suo comprehendisse, abunde supra probatum fuit. Cæterum Suevis magnam partem ex finibus suis digressis, alii remotiores ad illos pertinentes, etiam juxta antiquorum scriptorum judicium, in terra Germanica remanserunt, & soli Suevorum nomen retinuerunt, quod in locum eorum, qui sedibus suis excesserant, novi inquilini migrassent.

§. XXXI.

Inter illos, qui in Germania manserunt, Ducatus quo-

De Sueviæ Comitatu quid existimandum?

quoque constitutus fuit sub Theodorico Gothorum rege: & quidem eo tempore, quo Ludovicus, qui socer fuit Theoderici, Suevos in Germania reliquos, Franciæ regno addidit: quod contigisse videtur ferme circa annum quingentesimum a Christo nato, ut patet ex iis, quæ modo de Theoderico memoravimus: nam Ludovicus hic, si nobis non imponat Volateranus, successerit patri Chilperico defuncto, circa annum 488. Hunibaldus circa Francos lepidas fabulas proponere solitus, hæc valde implicat, & densam incertarum narrationum caliginem circumfundit. Ego, omnibus quam diligenter inter se comparatis, existimem hæc vero propiora esse, nempe, Ludovicum, (qui cognomentum *Magni* tulit, & alias Clodovæus dictus fuit) circa annum ferme quingentesimum, cum Alemannis, qui & Suevi sunt, difficillimo & ancipiti prælio congressum fuisse, atque cum videretur fere succumbere, vovisse se Christianum futurum esse, si victoria potiretur. Voti igitur damnatum & insigni victoria potitum, qua etiam rex Alemannorum cecidit, a Vedasto, qui postea factus est Episcopus Atrebatensis in capitibus religionis Christianæ institutum. & Rhemos ad famigeratissimum Remigium profectum, ibique cum tribus hominum millibus sacro lavacro tinctum fuisse, gratulante ipsi hanc victoriam, potissimum conversionem ad Christum, Theoderico genero: postea gravi servitutis jugo pressisse Alemannos, sive Suevos, nec non Boios, sive Bavaros, eorumque regnis in Ducatum versis, Ducibus suis adjunxisse comites, & his suos centuriones. Quæ forma regiminis multis annis post inter Francos obtinuit. Perinde enim ut apud Romanos, Proconsules, Præsides, Quæstores, Procuratores; ita in Francorum regno, Duces, Comites, & qui Cameræ nuncii dicebantur, alienæ functionis potestatem

gere-

gerebant. Duces vei maxime militari intenti erant, quod e Germanico ipsorum nomine, hodie quoque durante discimus, Hertzog enim Exercitus ducem significat. Comites autem & eis inferiores *Centenarii* seu *Centuriones* aliique vicarii Principis, justitiæ administrandæ, vindicandisque criminibus, & publicæ tranquillitati retinendæ, tanquam Præsides invigilabant. *Cameræ nuncii*, per Franciam & Alemanniam, sive Sueviam redituum regiorum & fiscalis pecuniæ rationes exigebant. Missi ipsi quater in anno causis cognoscendis præsidebant. Hyeme quidem mense Januario, vere Aprili, æstate Junio, Autumno Octobri. Quorum hodie certa adhuc vestigia extare videntur in judicio illo publico apud Rotivilam, cui fere Comes præsidet, sed finibus tamen jurisdictionis latius, quam pro veteri more, prorogatis. Pauciorem enim in numerum contractis veteribus cognitionibus, necessum fuit limites conventuum proferri, quod paucis jam in locis ageretur, quod antea in pluribus actum erat. Quæ cum ex pluribus auctoribus probari possent, instar omnium fuerit Anegisus Abbas Lobiensis. (*l*)

§. XXXII.

Quoniam Suevos in suis reliquiis, quæ in Germania remanserunt, consideramus (quum qui Marchiam quondam incolebant, in exteris nationibus, si non obliterati fuerint, cum iis saltem coaluerint) de utrorumque originationibus, quod fabulæ multæ circumferantur, illas obiter quoque hic expendemus, ut simul alia consideratione non indigna, proponere liceat. Annius, qui per suppositios scriptores, a se, titulo antiquorum editos, Suevi in communi considerati, unde nomen habeant?

T

(*l*) lib. 2. cap. 6. & 28. & lib. 2. cap. 80.

editos, multis amplam fabulandi materiam suppeditavit, fingit eos nomen habere a Suevo quodam, Germanorum Rege, qui Gambrivii filius fuerit, & regnaverit apud Tuiscones tempore Balæi Junioris, sive XI. Regis Assyriorum, sive præter propter a mundo condito, anno MM. CC X. Tacitus (*m*) Deo Tuistone eos ortos affirmat, quando sic loquitur: *Quidam licentia vetustatis, plureis Deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant.* Aliam Etymologiam Felix Fabri exhibet, (*n*) *Suevia* (inquit) *pars magna Germaniæ, sic nominata a Suevis populis, de Suevo monte in eam regionem, quæ nunc Suevia dicitur, progressis. Est autem Suevus ab ortu solis Germaniæ initium faciens, &, cum permaximus sit, Cymbrorum usque promontorium protenditur, & ab hoc Suevi nuncupati sunt: Hic mons non est moles singularis, sed condependet cathenæ mundi, &c. Sicut & nostræ Alpes, Carpathus mons, & Riphæi montes & Hyperborei. Æstimo autem hunc montem partem esse Carpathi, qui respicit uno cornu Pannoniam, alio vero Pontum Euxinum, vel cohæret monti Venetico, qui contra Sarmaticum Oceanum protenditur, cujus Oceani sinus e diverso montis protensus, Veneticus dicitur, & populi Venetici, juxta habitantes vicini Suevis. Vel forte erat unus populus istius differentiæ, quod habitantes juxta Veneticum sinum, dicebantur Suevi. Nec*

(*m*) lib. de Germ. cap. 2. (*n*) lib. 1. Hist. Suev. c. 10.

Nec existimet quis, montem Suevum propinquum esse Suevia, sed remotissimum, ad Orientem retro Hungariam in Scythia Europa. Vetustissimis autem temporibus, dum terra adhuc non esset repleta habitatoribus, in locis, ubi homines abundabant, conveniebant in unum, qui singulares sedes habere optabant, & a suo natali solo emigrabant. Sic Suevi a monte Suevo recesserunt, & hanc regionem desertam reperientes, eamque Sueviam nominaverunt a se. At, quisquis per omnia non est hospes in Geographia, facile perspicit, hunc montem Suevum æque fabelosum esse, atque multa ad meras fabulas referenda, hic de monte Carpatho, (Carpathus insula mihi duntaxat nota est) monte Venetico, & populis Venetis narrantur, admittenda duntaxat ab illis, qui nimium quam creduli existunt.

§. XXXIII.

Existimarim, Etymologiam Suevorum, æque obscuram esse, atque plerorumque populorum, regionum & urbium: adeoque æquo scrupulosius in eam, quod certi aliquid erui vix possit, inquirendum non esse: Neutiquam vero dixerim, Suevos nomen habere a fluvio Suevo, qui quasi Spreæ respondeat. Quantulacunque enim pars gentis, quæ longe lateque se extendebat, ad Spream sedes suas figere potuerit? Quanquam admodum ambigo, an Suevus, dubio procul ad gentem Suevicam antiquam pertinens, idem cum Sprea haberi debeat. Hoc certum, Ptolomæum in suis tabulis, quæ ad antiquos Suevos referri possunt, meminisse quatuor flumi-

Quid existimandum de fluvio Suevo, & an idem sit cum Sprea?

fluminum, quasi conterminorum, atque ad eandem gentem referendorum; nempe Chalusi, Suevi, Viadri, atque Vistulæ: Singulorum quoque ostia, secundum latitudinem & longitudinem distincte exhibere, prout patet ex subsequenti schemate, ab aliis quoque in hac controversia exhibito. Ergo longitudinis atque latitudinis ratione habita, patuerit ostii ratione,

Chalusus in Long. gr.	37.	Latitud. gr. 56.
Suevus - -	39. 30.	- - 56.
Viadrus - - -	42. 10.	- - 56.
Vistula - - -	45.	- - - 56.

Quæ omnia si diligenter expendantur, atque inter se componantur, prout factum est a diligentissimo & Sacrorum horum callentissimo Cluverio, (quem plures alii sequuntur) statuendum videtur, Ptolemæum minus accurate edoctum fuisse per illos, qui has regiones quoque lustrarant, de fontibus & ostiis horum fluviorum: quos, si quis ratione procursus sui consideraverit, intricatos & contortos admodum esse, atque Ptolemæum in definienda mensura eorundem, non uno nomine falsum fuisse, deprehendet.

§. XXXIV.

An Viadrus idem cum Odera sit?

Probatur, Viadrum eundem cũ Suevo esse.

Eoque, cum Cluverio non invitus illis accesserim, qui Suevum & Viadrum unum eundemque fluvium esse opinantur. Primaria ratio, qua illi moventur, &, quæ me quoque movet, est hæc, quod verum Viadri ostium inter duas insulas *Usedom* & *Wollin* vulgari vocabulo *Suine*, & variante dialecto, *Suene* vocetur: cumque


que *Sueones* ex una eademque origine nomen suum acceperint cum universis Suevis, flumen hoc dici potuerit *Suueve*, Latine *Suevus*, & variato postmodum vocabulo *Suine*, quemadmodum Tacito *Sueones* etiam *Suiones* dicuntur. Argumento huic inde robur accedit, quod certo constet, Suevorum vetustissimos, Semnones, ad utramque Viadri ripam olim longe lateque coluisse. Dato igitur, Viadrum fluvium, nomen quoque Suevi tulisse, distinctio forte, quod ad ostia, occurrerit etiam a parte nominis Suevi & Viadri: prout distincte & operose probare laborat (o) Micrælius. Atque, ut tandem Suevos primos antiquissimosque Marchiæ nostræ incolas missos faciamus, ex Tacito (p) obiter ostendere convenit, quam late eorundem fines patuerint. Sequentia vero ex illo *contrahere licet*: Dirimit, scinditque Sueviam (*inquit*) continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt. Ex quibus lætissime patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Trans Lygios Gothones regnantur, paulo jam addictius, quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemovii, omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, & erga reges obsequium. Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, præter viros armaque classibus valent. Trans Suionas aliud mare immotum. Suionibus Sitonum gentes continuantur, cætera similes, imo differunt, quod fæmina dominatur. Hic Sueviæ finis. Ergo jam dextro Suevici maris littore Æstiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicæ propior. Rarus

 ferri,


(o) lib. 1. Hist. Pomer. p. 29. & seqq.

(p) lib. de Germ. par. c. 43. & seq.

ferri, frequens fuſtium uſus: frumenta cœteroſque fructus patientius, quam pro ſolita Germanorum ſolertia laborant. Sed, & mare ſcrutantur: ac ſoli omnium, ſuccinum, quod ipſi Gleſſum vocant, inter undas atque ipſo in littore legunt. Peucinorum, quos quidam Baſternas vocant, Venedorumque atque Finnorum nationes, Germanis an Sarmatis adſcribam, dubito. *Hactenus Tacitus*: ex quibus colligere cuivis in proclivi eſt, modernam Sueviam, quam antea juxta Felicem Fabrum limitibus ſuis circumſcripſimus, neutiquam componendam eſſe, cum antiqua, quæ Danos, Suedos, & Norvagos quoque complectebatur.



LIBER



LIBER QUARTUS.

HISTORIÆ MARCHIÆ Antiquæ.

EPITOME EIUSDEM.

I.

S*UCCINCTUM Exordium sequentium illustrationi serviens.* §. II. *Rhadagisus Scytharum Imperator, Suevorum fines ingressus fuit, antequam ipsi illis excessissent. Verisimile est, aliquos e Scythis hic remansisse.* §. III. *Attila, præter multas alias nationes, Suevos quoque subegit.* §. IV. *Attila ex Kreinhilde Hungarica genuit filium Aladaricum, qui cum Chaba majori natu fratre, matre Germana nata, de regno paterno diu contendit, donec ambo se attererent. Aladaricus hic non debet confundi cum Theoderico Gothorum rege, tertio libro sæpius commemorato. Dum Aladaricus cum fratre de Principatu contendit, mul-*

ta

tæ gentes resiliunt a jugo, quod Attila imposuerat. Ermanaricus Gothorum Rex, a multis cum Alexandro Magno comparatus, longe lateque per ipsam Germaniam regnavit: dein Venetos seu Henetos sedibus suis ejecit, qui domo profugi Suevorum patriam occuparunt. Quando hoc acciderit? Quales hi Heneti fuerint? Accenseri debent gentibus Sarmaticis, non vero Germanis. Eoque Ptolemæo, præ Tacito fides habenda est. Videntur diversi tamen esse, ab illis, qui Venetias condiderunt. Quare exteræ hæ nationes adeo facile Suevorum regionem occupare potuerunt? Venedi hi iidem sunt cum Winulis & Slavis: nec confundendi cum antiquis Vandalis, qui Germanicæ originis sunt. Quamvis transiisse quoque in eorundem nomen, quod sedes occupassent. Unde Slavi nomen habeant? Arguuntur Crantzius, & alii, qui confuderunt eos cum antiquis Vandalis. Slavorum fines quousque olim patuerint, ex diversis auctoribus ostenditur? Item, in quot gentes dividi consueverint? Obotriti & Wagrii peculiariter dicti fuerunt Wendi. Quorum olim celebratissima civitas fuit Winneta, & post illam Rhetre. Wilsnack & Pritswalck Slavorum linguam exhibent. Slavorum imperium in Marchia initio abjectum admodum & invalidum fuit. Cum iis in unum coaluerunt, qui ex Suevis remanserant. De oppido Schuuinfurt. Suevi & alii Germaniæ populi, imo gentes illis remotiores, jam Hieronymi ævo, Christianæ religionis cognitione imbuti fuerunt. Speciatim Scythæ & Sauromatæ, ad quos Slavos referre licet. Hi tamen Paganicos ritus & superstitiones diu adhuc retinuerunt. Quæ caussa fuerit?

Per


Per indicem referuntur Idola Slavorum. Quid acciderit illis Suevis, qui in Saxoniam a Clothario Francorum rege traducti erant? Postquam diu restitissent, tandem a Saxonibus ex Italia, relictis ibidem Longobardis, reducibus; tota Saxonia non sine infamia ejecti fuerunt: Ut fuse ex Crantzio refertur. Occasione Saxonum, breviter proponitur, quomodo Angli, qui Saxonibus oriundi esse putantur, in Britanniam trajecerint, eamque subegerint. Ut pateat, quodnam Slavorum robur & quaenam potentia fuerit, quaedam extra temporum seriem referuntur. Slavi sub Justiniano Imp. Istrum transierunt, & majorem Graeciae partem occuparunt. Omnia igni ferroque, usque ad Constantinopolin depopulantes, donec ab Imperatoris exercitu vincerentur. Sub Mauritio Imp. Chagano, Hunnorum regi sociati, per totam Thraciam nominis sui terrorem diffuderunt. Mauritii injusta avaritia, negantis captivos medio nummo redimere, quos Chaganus occidit, provocatus, ut praetexebat, a Samone quondam Slavorum duce. Mauritius Imp. per ducem suum Priscum Slavos graviter afflixit. Infelix Slavorum expeditio in Italiam, quae tamen felicior extitit, postquam se Chagano iterum sociassent. Thassilo Bojorum rex Slavos graviter affligit. Thassilo ante hanc victoriam Bojorum rex erat. Boii iterum suscepta expeditione adversus Slavos, per Chaganum internecione occiduntur. Garibaldi Thassilonis filii res gesta adversus Slavos. Dagobertus Francorum Rex quomodo cum Bulgaris egerit? Slavorum, qui Marchiam incolebant, expeditio in Thuringiam Francis parentem: Illiusque successus.

U *De*

De Muhamedis incunabilis, & primis progressibus. Franciæ reges jam olim per Majores domus, regni negotia expedire solent: dum ipsi torpescunt, & voluptatibus vacant. Hac occasione potens factus fuit Carolomannus. Quibus artibus Pipinus Carolomanni filius Franciæ regnum invaserit, detruso in Monasterium Childerico. Bonifacius non est agnoscendus Apostolus Germaniæ. Germanos diu antea imbutos Christiana religione, laboravit componere ad Ecclesiæ Romanæ normam, & Papæ subjicere. Quinam intelligendi sint per Gentiles, quos vulgo convertisse creditur? Pipinus Alemannos (sive Suevos) novi quid molientes compescuit. Contra Utilonem Boiorum ducem exercitum quoque Pipinus duxit. Utilo, quod Francos non æstimaret pro ducis titulo Regis assumpsit. Victus tamen a Pipino fuit, totumque exercitum amisit. Carolus Magnus non est natus in Bavaria. Dubium est, quonam in loco natus fuerit. Thassilo II. Pipino admodum charus fuit. Mors Pipini. Reliquit duos filios, quorum alter Carolomannus brevis ævi fuit, ac Carolo totum Imperium paternum reliquit. Summa rerum a Carolo (qui postea Magni cognomen promeruit) gestarum. Quænam speciatim contra Slavos gesserit. Slavos Wilzos in ordinem redegit, per Slavos Obotritos: quorum rex Witzan commemoratur. Witzan a Carolo contra Saxones missus, ab iis interemptus fuit. Dubium est, an Carolus Brandenburgum civitatem occupaverit. Duplex hæc: Nova & vetus. An utraque civitas eundem conditorem habuerit? Quinam fuerint illi Harelingi; quos in Marchiam Carolus transtulit? Witzani quis successerit, dubium

bium. Thrasico constitutus fuit Slavorum Obotritorum rex, Rex Daniæ a Wilzis contra Slavos Obotritos evocatur. Cæterum hi, quibus Imp. Carolus, auxilia miserat, hostes superant. Thrasico Obotritorum Rex occiditur. Carolus a Leone III. Papa Romæ Imperator coronatur. Carolus præclare admodum de Germania meritus fuit, quam ad cultiores mores composuit, extirpando amplius reliquias Paganicæ superstitionis. In Germania octo Episcopatus fundavit, sive, secundum alios, decem. Plurimas quoque synodos convocavit, at suo nomine, non vero Pontificis Romani. Ipso urgente, condemnata est Hæresis Elipandi Archiepiscopi Toletani. Quænam potissimum decreta fuerint in Synodo Francofurtensi, quæ condemnavit Synodum Nicænam II. & abrogavit venerationem imaginum, De libro Caroli Magni, contra Imagines scripto: Ex quo quædam exhibentur. Caroli utiles constitutiones de Episcopis: Scholarum diligentem curam gessit: quod probatur per varias illius constitutiones. Caroli M. mors. Quantus ille vir & Imperator fuerit? An Brandenburgo & Perlenbergæ in Marchia jus statua Rulandina donaverit? Quid de Rulando & statua Rulandina existimandum sit? De Rulandi statua, erecta Brandeburgi. Rulandus non fuit Gigantææ molis, prout vulgo circumfertur.

)o(



LIBER QUARTUS.
HISTORIÆ MARCHIÆ
ANTIQUÆ.



§. I.

Brevis præfatio sequentiũ illustrationi serviens.

HACTENUS primos Marchiæ incolas, Suevos, nationis Germanicæ populum, consideravimus ad illa usque tempora quibus avitis sedibus exterminari, ac partim per Hispaniam & Italiam, partim per Galliam & Pannoniam, partim etiam per vicinam patriæ suæ Saxoniam, dispersos discedere contigit. Hoc libro & sequen-

sequentibus agere decretum, de novis hospitibus, qui ex Scythia usque atque ultimis ad septentrionem terris se in has regiones, incolis vacuas, effuderunt. Quod nec uno eodemque tempore contigit, incertum tamen quibus seculis, nedum quibus cujusque seculi annis. Profiteor lubens, Historicam veritatem sectantem, conjecturas suas posteritati proponere non debere; extra culpam tamen esse contendo, quando de rebus antiquissimis scripturo, desunt testes coætanei, qui ad liquidum rem ratione perduxerint.

§. II.

Rhadagisus Scytharum imperator Suevorum fines ingressus fuit, antequam ipsi illis excessissent.

Quæ præfatus, existimem, multos peregrinos Suevorum regionem, licet Suevis omnibus nondum destitutam, ingressos fuisse, a quo tempore Rhadagisus Scytharum Imperator Romanum imperium non modo lacessere, verum etiam affligere ausus fuit, sub Imperatoribus Arcadio atque Honorio, ut solas conjecturas non videar relaturus esse, Zosimum per interpretem loquentem *exhibeo:* (q) Rhadagisus (*inquit*) ex Trans Istrianis & Transrhenanis Celticis Germanicisque nationibus, collectis hominum quadringentis millibus, ad transeundum in Italiam se parat. Qua re nunciata, cunctos mirifice prima fama percussit. Cumque desperassent urbes, & ipsa Roma jam in extremo periculo turbata esset; Stilico sumptis secum universis copiis, Ticino Liguriæ impositis (erant autem numero militum triginta millia) cum aliis sociorum auxiliis, quæ ab Alanis & Hunnis impetrare potuerat, hostium adventu non exspectato, trans Istrum ipse transiit; & barbaros, nec opi-

(q) lib. 5. Hist.

opinantes adgressus, universas hostium copias ad internecionem cecidit, adeo quidem ut horum prope nullus incolumis evaderet: exceptis paucissimis, quos ipse Romanis auxiliis adscripsit. *Hactenus eo loco Zosimus.* Reliquias Scythicas Transistrianorumque, non adscripserit, dubio procul, copiis suis Stilico, nisi pariter assignatis sedibus, velut Coloniis, quas cum Suevorum patria, ab incolis suis magnam partem deserta offerret, incidere merito in hanc suspicionem possum, ex Scythis, & Transistrianis, quosdam in Suevia mansisse: maxime, quod Olympiodorus apud Photium (r) testetur, illos sibi Stiliconem associasse.

Verisimile est aliquos ex Scythis hic remansisse CCCCXLIV.

§. III.

At anno post Christum natum quadringentesimo, quadragesimo quarto, cum Hunni Attilæ & Bledæ fratrum, (s) quibus pater Mundizizus fuit, imperio regerentur: Attila impatiens consortis, fratrem dolo necat, &, regno solus potitus, homo animo vasto & ingenio violento, horrido corporis habitu, truculenta facie, voce terribili: in exitium generis humani natus certe ei castigando ab infesto Numine manifesto immissus (quod nec ipse dissimulabat) efferatæ crudelitatis per pleramque Europæ partem, ferro, flammis, populorum, maximarumque civitatum subversionibus, usque adeo lugubria vestigia impressit, ut infausti nominis memoria, in vulgus etiam nunc cum dira execratione perduret. Numerabantur in subjectis nationibus præter (t) Hunnos, Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli, Tur-

Attila præter multas alias nationes Suevos quoque subegit.

(r) Photius in Excerptis. (s) Prosper. in Chron. (t) Jornand. de Bell. Get. cap. 49.

Turcilingi, Gothi, Gepidæ & Alani, quosque Sidonius adjungit (*w*) Rugi, Geloni, Scoti, Burgundiones, Bellonoti, Neuri, Basternæ, Bructeri, Franci, insumma (ut censet Jornandes (*x*) omnia Germaniæ regna; magnarum ex se virium, & celebratæ potentiæ populi, ut fides sit militari carmini, funebri de cursione ad mortui cadaver jactato, solum Attilam, inaudito ad eum diem exemplo possessionem Germanicorum, Scythicorumque regnorum conjunxisse.

§. IV.

Ungarorum annales, *Kreinbildem*, Bojorum reguli filiam in magna numerosi conjugii licentia, ei uxorem fuisse memorant, ex eo matrimonio Aladaricum natum, egregiæ indolis juvenem, qui Chabam majorem natu fratrem regno dejicere aggressus fuerit (*y*) Mortuo enim Attila anno post Christum natum quadringentesimo quadragesimo quarto, ingentes bellorum motus secuti sunt, cum inter tot filios, quorum incredibilis numerus, nemo de hercifcunda hæreditate cogitaret, singuli solidam vellent cernere. Eminuere principes: hinc Chabas (Jornandes (*z*) Ellacum credo nominat) inde Aladaricus. Chabæ favere Hunni Fratrum maximo, quem pater in eam spem destinasse credebatur. Aladarico, in maternæ originis memoriam, Germanici populi; erat hic imprimis fama inclytus: annales Detrico nomen faciunt, ego Adoricum Gepidam interpretor, quem Jornandes tum gloria, tum fide & auctoritate vivo etiam patre Attila, floruisse


Attila ex Kreinhilde Hungarica genuit filium Aladaricum qui cum Chaba majori na- CCCCLIV. tu fratre, matre Germana nato, de regno paterno diu contendit, donec ambo se attererent.

(*w*) Sidon. Carm. 7. sive, in Paneg. ad Avitum. (*x*) Jornandes. l. d. seu, cap. 49. de rebus Geticis. (*y*) Videtur Nicolaus Olaus in Attila cap. 17. (*z*) Jornandes de rebus Geticis capite 50.

Aladaricus hic non debet confundi cum Theodorico Gothorum Rege, tertio libro sæpius commemorato.


Dum Aladaricus cũ fratre de Principatu contendit, multæ gentes resiliunt a jugo, quod Attila imposuerat.

isse scripsit: Plerique cum Theodorico Gotho, Italiæ postmodum victore, confundunt, at nimis absurde, quum Attila jam defuncto demum natus sit. Prælium inter duos hos fratres commissum est in campis prope Danubium, tanto utrinque ardore, & per quindecim dies pertinacia, ut Danubium cæsorum sanguine tinctum annales rubuisse prodiderint. Neutra acies læta abiit, Aladaricus fortiter pugnans, armatus cecidit. Chaba aliquandiu Victor, mox & ipse a Denico, sive Arderico fusus fugatusque, hoc solo fratre felicior, an infelicior fuit, quod suis cladibus superstes, diutius in Fortunæ ludibrium oberravit. Quanquam non convenit inter scriptores. Ungari Chabam effugisse credunt: Jornandes Ellacum, quem eundem videri diximus in pugna periisse. Hoc habet, fractis eo prælio Aladarici potissimum virtute, Hunnorum viribus, gentes tristi servitio subditæ, importuno jugo excusso se in pristinum libertatis splendorem vindicavere: Primus in libertatem ab Hunnis (a) se vindicavit.



III.

(a) Sigebertus in Chronico ad annum 455.



III.

CHRISTOPHORUS HENDREICH Gedano oriundus, Francofurti ad Viadrum Professor Historiarum constitutus, per duos tantum annos hoc munus sustinuit. Elector enim Brandenburgicus FRIDERICUS WILHELMUS M. eum A. MDCLXVI. Berolinum accersivit, ipsiqve Dignitate Consiliarii ornato curam Bibliothecæ Electoralis demandavit. Inter assiduum laborem, quem digerendæ Bibliothecæ, ejusqve catalogo conficiendo, impendit, maximæ ipsi curæ fuit Historiam Gentis Brandenburgicæ scriptis illustrare & ornare. Edidit itaqve compendium Historiæ Marchicæ, eximium cunctisque probatum in vernacula lingua, quod insignitur Entwurff derer die Marck zu Brandenburg betreffenden Sachen. Erster und anderer Theil 1682. Hoc non contentus, aliud & majus moliebatur opus, Annales nimirum Marchiæ Brandenburgicæ, quos edere in Forma maxima, & ejusmodi inscribere constituerat.

RERUM MARCHIÆ BRANDENBURGICÆ SCRIPTORES ALIQVOT.

Quorum

I. *Est quidam CULTOR HISTORIARUM, qui præmisso regionis & incolarum antiquo statu, gesta orditur a tempore dispersionis gentium post Diluvium ad An. Æra Chr. 1022., quo Heneti, occiso Marchione Theoderico, Provinciam fecerunt.*

II. *ZACHARIAS GARCÆUS Pritzwalcensis quondam Patriæ Scholæ Rector & Urbis Consul, ex cujus autographo inde ad An. 1500. pars, nunquam antea edita, subjungitur.*

III. *NICOLAUS LEUTHINGERUS A. L. Magister, Poëta Laureatus, Historicus Brandenburgicus, nec non Pastor Landesbergensis, qui ordiens ab Anno 1500. ad 1600. Commentarios suos producit. Cujus opuscula antea quidem sparsim edita, nunc quotquot ob summam penuriam haberi poterant, hac compage exhibentur. Subnectitur ejusdem Auctoris Topographia Marchiæ Brand.*

IV. *OTTO BOTTICHERUS quondam Archiater Brandenburgicus, cujus Genealogia familiæ Zollerano-Brandenburgica emandatur, & ad A. C. 1680. continuatur.*

V. *Claudent hæc tum fragmenta, instrumenta publica, &c. rerum Marchicarum, quæ nunquam antea lucem publicum videre, tum centuria aliquot Auctorum, ex quibus Historia Brandenburgica corrigi, locupletari, imo concinnari possit.*

Operi huic eum in modum præfari decreverat.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

Vitio mihi, ut spero, non vertes, si ad conservandam Regionis & Gentis inclytissimæ memoriam, hos qualescunque Auctores, donec meliores prodierint, edidero. Horum.

I. *Est quidam CULTOR HISTORIARUM qui opus suum, majori, ut apparet, quam alii, molimine, idqve exercitii tantum gratia, aggressus est. Ego illius de se judicium addo: In magnis etiam voluisse sat est.*

II. *Est*

II. *Eſt ZACHARIAS GARCÆUS, qui ſi majorem ſubſidiorum & temporis nactus fuiſſet copiam, forſan his majora præſtitiſſet.*

III. *Eſt NICOLAUS LEUTINGERUS, cujus Studium partium, penuria adminiculorum & alii nævi, &c. etſi legenti paſſim ſeſe offerant, addere tamen volui, tum ob continuationem tum ob Exemplarium inopiam: Adde & anſam, quam ad indagandam veritatem ſcripturo exactam Hiſtoriam March. Brandenb. præbere poteſt.*

IV. *OTTO BOTTICHERUS, iisdem mediis deſtitutus, in plurimis, ut infra patebit, lapſus. Quicquid ſit, loquar, in ſimili negotio cum Octavio Auguſto. Contenti ſimus hoc Catone. Forſan hoc erit aliis calcar ad Hiſtoriam March. majori cum fructu & gloria vel emendandam, vel componendam. Quem etiam in finem Centurias aliquot ſubjeci. Ceterum antequam finiam, monitum Te velim L. B. hæc, quæ vides publica auctoritate, nec antea, nec in præſens edita eſſe: ideoqve illis abuti noli ad March. Brand. gloriam vel ſalutem oppugnandam vel lædendum. Si operam meam non ingratam fore videro, Idiomate Germanico exaratos rerum March. Brand. ſcriptores tum iterato prelo, tum etiam hactenus inter Manuſcriptos latitantes, prodire faciam. Vale, & ſi quæ habes, quæ Marchia Hiſtoria augeri poſſit, confer, ſin minus, hiſce mecum utere, fruere.*

Opusvero illud HENDREICH Noſter, ob ætatem jam ingraveſcentem & affectam valetudinem perficere non potuit, ſed Initium ejus, quod jam ſequitur, tantum in lucem prodiit, quodve Cl. KUSTERUS in *Collectione Opuſculorum Hiſt. March. Illuſtr. Faſc. VI.* recudendum curavit. Idem

quoqve de HENDREICH ejusqve Scriptis in dicta *Collect. Fasc. VII.* commentatus refert, in Archivo Regio ejusdem Beschreibung des Märckischen Adels in MSto adservari. Caussa, ob quam hunc locum Hendreichii Fragmento tribuimus, supra pag. 9. jam dicta est.

Ceterum non possumus non laudare HENDREICHI animum modestum ab omni prorsus vanitate & arrogantia alienum, dum Auctor hujus operis sub nomine *Cultoris Historiarum* latere, nec in fronte Compendii, de quo supra mentionem fecimus, nomen suum profiteri voluerit.



III.



III.

CHRISTOPHORI HENDREICH

ANNALIUM MARCHIÆ BRANDEN-BURGICÆ,

LIBER I.



Archiæ, Marchicorumque res traditurus, sortem generis humani, ceu brevi tabella, me exhibiturum reor. Magnum certe illud, & ineffabile Numen, cujus (1) lege immobilis mortalium ordo seritur, utriusque fortunæ amphitheatrum & arenas effecit Marchiam. Quam immensis laboribus & victoriis culmen attigisse, eandem mox lapsu Ratio operis.

COMMENTARIUS.

(1) *Livius* 25. 6. 7.

lapsu graviori deturbatam, sæpius videbat & mirabatur Orbis. Ut scias, nihil magnum & durabile (2) præter se, universi moderatorem (3) esse voluisse. Freto, Alpibus Pyrenæisque montibus clausa & a reliqua natura sacro quodam horrore disjuncta, superarunt Marchici, fines suos hasta gladioque terminaturi; cum domi ne libertatem quidem invenirent. Vicerunt plurimos, ut plurimum perirent, extremamque mox subirent fortunam. Romanorum Hispanorumque quondam victores, Barbarorum rabie conculcati; rebus conversis, clade majores in præsens sub Augusto Principe ad pristinam assurgunt Majestatem.

Tam illustre ambigui fati exemplum describere aggredior, onusque subeo, cui impares hæ sint vires, nisi de publico bene merendi studium conatus excitaret simul & excusaret.

Priora belli pacisque tempora incerta, casibus turbata, hostes Romani pro arbitrio notavere: tum Nostratium plerique scriptores, vanis & incompertis rumoribus, ut quæque partium studio vulgabantur, credulitatem legentium decepere: novissimi patriarum rerum negligentes, vel librorum, publicorumque monumentorum copia destituti, pauca reliquere. Nos magis adversus Marchiam ingrati posterorumque commodis invidi teneremur, si, quæ tanto propius datum cognoscere, exactiori memoria fraudaremus. Quæ igitur ad fami-

(2) V. Declamatorem apud *Senecam* Rhetorem: Nunquam in solido stetit superba felicitas. &c. (3) *Cic.* l. 1. *Tusc.* & 2. de Nat. Deorum. De crebra mutatione status in Marchia V. plura apud scriptores nostros. Unde hic versus: Mutavit Dominos Marchia sæpe suos.

familiam usque Zolleranam gesta, utpote minus certa, Annalium, inde Historiarum libris complecti, bono cum Deo, est animus.

Hoc ingressurus argumentum operæ pretium arbitror me facturum, si regionis ipsius situm, gentisque originem a primordio rerum accersivero. Hac quippe ratione antiquitatis memoriæ consulturum, facemque recentioribus me prælaturum spero.

Veteres, non satis (1) cognitas habentes eas partes, quas ab inventoribus Americam (2) & Magellanicam (3) dicimus, terræ orbem (4) universum adinstar **Græcos & Latinos antiquiss. Germanorum**

(1) Quidam putant, Americam cognitam fuisse Antiquis, idque colligunt ex *Platonis Timaeo*, *Diodori* Siculi libro V. Solon de ea re librum scripsit, teste *Strabone* l. 1. Autor libelli de mundo, qui ab aliis *Aristoteli*, ab aliis *Theophrasto* adscribitur, versio vero ejus Latina *Apulejo*. Pluribus vide apud recentiores, qui hanc materiam accurarunt, & inter hos *A. Costam* Hist. nat. & mor. Indiæ. *Lescarbotum* Hist Nov. *Franc. Bremevodum* disquis. L. L. & Rel. *Grotium* dissert. duabus de Orig. gent. Americ. Lætum ad dissert. *Grotii* de hoc argum. *Hornium* de Orig. gent. Americ & alios. (2) Ab *Americo Vesputio*, *Florentino*, qui *Emanuelis*, Portugalliæ Regis, auspiciis primus (quantum memoriæ proditum) ex Europa A. C. 1497. eam ingressus est. Quanquam hoc prior *Christophorus Columbus* Genuensis, A. C. 1462. insulas Americæ, Hispaniam, Cubam & Jamaicam adierit: Post hos frequentes in eam navigarunt Hispani, Galli, Angli, quorum alii aliis inibi regionibus detectis nomina sua quique lingua imposerunt. (3) Quia a Magellano primum conspecta. Alias dicitur terra del Fuogo: i. e. ignis terra. Pro tertia mundi parte æstimatur a nonnulis Geographis. (4) Ita communiter Geographi vocant, & inter hos anti-

& Marchicorum cognitionem habuisse.

star immensæ unius (5) Insulæ, Oceano (6) undique circumdari, suspicari & scribere sunt ausi. Cognitam vero sibi tellurem varie diviserunt, alii duas ejus constituerunt parteis, idque bifariam. Pars Asiam & Europam (7) sub hujus nomine Africam comprehendentes; pars (8) a freto Gaditano ad Danaim amnem hinc Europam inde Asiam; huic annectentes Africam. Aliis

quissimus *Eratosthenes.* (5) *Dionysius* Afer:

Memorabo Oceanum profunde fluentem, illo enim
Tota tellus, tanquam Insula immensa, vincta est.

(6) Præivit ad hanc opinionem omnibus Orpheus in hymnis: post hunc Aristoteles de mundo ad Alexandrum. Q. *Cecilius Metellus*, *Cornelius Nep.* apud *Pompon. Melam* l. 3. c. 5. *Strabo* l. 1. *Seneca* in Oedipo, in fine Chori, Actu II. *Manilius* l. III. Astronom, Oceanus; quod complexu suo videatur *Tellurem* continere; *Cyrillo* terræ involucrum dicitur: Nonnullis mundi *Balteus.* (7) Sub Europa locant Africam, præter *Isocratem* in panegyrico incertiores apud *Sallustium* in bello Jugurthino. *Lucanus* l. IX. belli *Pharsali.* *Augustin.* de civ. Dei l. 16. c. 17. *Orosius.* Episc. Frisingensis initio Annalium. Apud *Ausonium Pontius Paulinus.* Videntes enim Hispaniam ab Africa haut ita magno separari freto, Calpen illius, Abylam hujus montes, antea contiguos, vi procellarum scissos, aut ut volunt Poëtæ, ab Hercule perfossos, ut exclusa ante maria in mediterraneas terras, aquarum indigas admitterent, Europam Africæ conjunxerant. Videndi hac de re præter alios *Plinius* l. 3. *Pomp. Mela* l. 1. ubi de Mauritania, & l. 2. ubi de Hispania: *Diodorus* Siculus l. qui addit, Herculem fretum tam angustum reliquisse, ne grandia Cete intrarent. (8) Africam sub Asia complectuntur scriptor antiquissimus *Eratosthenes*, de quo *Marc. Ter. Varro* l. 1. de R. R. C. II. & ipse *Varro* l. 1. de L. L. *Silius Italicus* l. 1.

Aliis (9) tria placuerunt membra, Europa, Asia, huic Ægyptum tribuentes, & Africa vel Libya. Fuerunt etiam qui quatuor fecere sectiones, Europam, Asiam, Aegyptum & Africam. Novissimi, (10) sinum Arabicum statuentes terminum inter Asiam & Africam, Aegyptum Africae adjecerunt.

Vetustissimis, primisque Græcorum scriptoribus, alia quædam placuit divisio. Nam extra suam Græciam atque Italiam, omne reliquum in duo nomina, duasque distinxerunt parteis. Quicquid versus septentriones, ultra Emaum, Emodumque monteis, mare Caspium, Caucasia juga, pontum Euxinum, Istrum amnem, Alpes, mareque internum situm est, uno nomine Scythiam, & incolas Scythias, vel (11) Nomades: reliquam partem, huic a meridie adversam, Æthiopiam (12) dixere. Septentrionem autem omnem tribus gentium assignarunt generibus, Arimaspiis puta, Sarmatis & Hy-

Belli Pun. (9) Videndi *Aristoteles* variis locis. *Plinius* cum alibi, tum libri III. Procemio. *Ptolomaus*, *Strabo* initio L. XI. *Mela* l. 1. c. 1. *Orosius* l. 1. c. 11. *Festus Avienus* in orbis terræ descriptione & plurimi alii. Tripartitam hanc terræ distributionem primum per Chorographiam ostendisse Augustum Imperat. scribit incertus Auctor libri de mensura orbis terræ. (10) *Orosius* l. 1. c. 2. (11) *Nomades* dicti sunt *ἀπὸ τοῦ νέμειν* h. e. a pascendo, quod pastionibus præcipue vacarent, herbisque uno loco depastis, mapalia sua aliorsum promoverent. V. etiam *Plin.* l. 5. c. 5. & *Sallust.* in Jugurtha. *Theodoretus* Græc. affect. 9. quoque Saracenos, seu Ismaelitas, Nomades vocavit, ab uno agresti & vago populo ad alterum translatione. Adde *Ammian.* lib. 31. (12) Multa hanc in rem veterum testimonia afferri possent: Sufficiat

& Hyperboreis. Horum Arimaspios ad fauces Caspii maris posuere, his proximos, versus occasum, Sarmatas: post hos, ad Oceanum usque Atlanticum, & fretum Gaditanum, Hyperboreos; sub quibus Illyrii, Germani, Galli, Hispani, Britannicarumque Insularum populi comprehendebantur. Post antiquissimos autem illos Græcorum Auctores, alii omneis Aquilonarios, tam in Europa, quam in Asia, Scythas: Recentiores Scytharum quosdam Celto-Scythas, nempe Europæos omnes, adpellaverunt. Mox alii, quum diversum Scytharum genus, a gente Celtarum intelligerent, omnes, ad Europæ usque fines, Celtas (13) vocarunt. Simulac vero Sarmatarum quoque natio in Europa penitius aliquanto Græcis innotuit, aliumque a Celtis intellectum, segregati a Celtico nomine Sarmatæ, (14) sub Scy-

hic *Strabonis* l. 1. his verbis, quæ per interpretem sic sonant. De priscorum Græcorum sententia hoc dico: quod, sicut notæ versus Aquilonem gentes uno nomine *Scythæ*, vel *Nomades*, ut *Homero*, adpellatæ fuerunt: postea vero, cognitis etiam occiduis regionibus Celtæ atque Iberi, aut mixtis vocabulis Celtiberi, & Celto Scythæ dici cœperunt, sub uno nomine singulis diversisque gentibus obignorantiam comprehensis: ita, quæ versus meridiem ad Oceanum sita sunt, omnia Æthiopiæ appellatione fuere notata. V. etiam eundem L. XI. *Velserum* in Annal. *Boicis* l. 1. *Cluverium* Germ. antiquæ L. 1. c. 2. *Albinum* in comment. de Misnia c. 2. (13) *Ptolomaeus* operis quadrip. l. 11. & *Plin.* L. VI. c. XIII. Celticæ finem fecit, ex veterum traditione, ad Obii fluminis Ostium. Adde *Velserum* in Annal. Boicis l. 1. *Beutherum* animad. c. 17. *Albinum* in Misnia d l. (14) *Diod.* Sic. L. VI. Celtarum, i. e. Gallorum ac Germanorum, quos Galatas vocat, nomen ad Scythiam usque profert. *Strabo* sub initium libri 1. *Plin.* L. VIII. cap. 15. Germaniam Scythiæ conterminam facit. V.

Scytharum vocabulo constituerunt, Celtæque soli dicti fuere Hispani. Illyrii, Britanni, Germani & Galli. (15) Tandem Vox Celtica in unis tantum Gallis atque Germanis, idque perpetuo, posterioribus etiam temporibus, hæsit, quum jam dudum utrasque gentes, distincte Galatas, Germanosque nuncupassent. (16) Barbari quoque Græcis, deinde etiam Latinis fuerunt, omnes universi terrarum Orbis populi, quibus illorum (17) linguæ inusitatæ.

Græcis igitur Latinisque Germani, & inter hos Marchici, sub Scytharum, Nomadum, Hyperboreorum, Celto Scytharum, Celtarum, Barbarorumque adpellatione noti fuerunt. Crediderim tamen, Græcorum antiquissimos scriptores, qui ante Romanos soli post Judæos historiam condiderunt, pauca de Germanis observasse, occupatos rebus Asiæ, Patriæque illustrandis, vel quod verissimum est, (1) populi contemtu. (2) Post- **Magis recentioribus**

etiam *Solinum* C. 23. qui hoc ex *Aristotelis* l. 8. Histor. Animal. hausisse videtur. (15) Pluribus hoc argumentum deducit *Cluverius* Germ. antiq. l. 1. c. 2. & seq. (16) V. *Cluverium* d. l. *Dionem Coccejanum* l. 39. & alios. (17) V. *Strabonem*, l. 14, *Festum*, *Ovidium* in Ponto. 1. Cor. 14. v. 11. *Cluver.* Germ. antiq. l. 2. c. 12. *Schotanum* ad Sulpit. Sever. ætate II. a Chaldæis ad Græcos hæc vox manavit, quibus Bar, & quidem duplicatum, admodum extraneum notat.

(1) *Tacit.* Annal. 2. in Elogio Arminii: canitur Arminius adhue barbaras apud gentes. Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur. V. pluribus *Henricum Bebelium* C. X. de veteribus Germanis. (2) Quod autem quidam opinantur, *Ulyssem* longo illo errore, in Oceanum Germanicum delatum, Germaniæ terras adiisse, Asciburgiumque,

Atque primum occasione succini.

Posteaquam vero luxuria, expulsis antiquis moribus, Orientem Latiumque occupavit, Græci, pariterque Latini, majorem Marchiæ, vicinarumque gentium notitiam nacti. Ubi enim Glesi, Electri, vel Succini, sive color, sive multiplex in Medicina (3) usus, certe raritas, sui pretium supra aurum & gemmas (4) fere extulit, cupidum novitatis humanum genus, illud in Borussiæ Pomeraniæque penetralibus rimari non (5) timuit. An-

quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque: aram quin etiam *Ulissi* consecratam, adjecto *Laerta* patris nomine, eodem loco repertam; monumentaque & tumulos quosdam Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ Rhætiæque *Taciti* ævo adhuc extitisse, falsissimum est. *Ulyssem* enim in Oceano non errasse, *Homerum* legenti, apparebit. *Polybius* certe gravissimus scriptor id falsum esse tradit. V. *Tacitum* de moribus Germ. c. 3. *Homerum* Odyss. 2. *Virgil.* in Æneid. *Joannem Bocatium* l. 11. c. 37. de geneal. Deorum, *Althamerum* & *Willichium* ad *Taciti* Germaniam. *Simsonem* in Chronol. parte 2. (3) V. *Plinium* hist. nat. passim. (4) Eundem l. 37. c. 11. (5) *Tacitus* de moribus Germ. c. 45. 6. de Æstiis, sed & mare, inquit, scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Nec quæ natura, quæve ratio gignat, ut Barbaris, quæsitum compertumve diu, quin etiam inter cætera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Quamvis autem succinum etiam ad Hispaniæ, Britanniæ, aliarumque terrarum littora olim legebatur, nuncque etiam legatur, semper tamen id æstimatum fuit parvum, ignobile & nullius pretii: Ita, ut omnis nobilitas ac fama uni soli Prussiaco omni ævo manserit. Unde etiam *Tacitus*, & ex eo Theodoricus, Rex Gothorum, solos

Antiquissimus Historicorum, (6) qui hodie extant, indeque Historiæ parens (7) Herodotus (8) suo jam ævo ab Eridano, hodie Radaun, (9) Borussiæ fluvio, allatum fuisse electrum meminit. Pytheas Massiliensis, (10) CCL. annis, Herodoto junior majorem notitiam Marchiæ vicinarumque regionum nactus, loca, ubi succinum gignitur, accuratius indicasse, & descripsisse memoratur.

Exinde (1) nunquam defuerunt mercatores, qui succinum Romanis detulerunt. Iam Julii Cæsaris ævo Suevi, (2) Marchiæ incolæ & accolæ, Italis liberum concessere aditum & transitum. Sed hæc notitia vaga hactenus fuit. Cœpit tandem Germania primum reliquo orbi, sub eodem C. Jul. Cæsare agnosci, lustrari, accuratiusque describi. Anno enim ab urbe condita DCCX. missi sunt a senatu, qui orbis universi mensuram caperent, insumptis, ut ait Mela, (3) in eam rem annis XXI. mensibus V. diebus LX. Zenodoxo omnis Oriens dimensus est: Septentrionalis pars Theodoto; meridiana

omnium hominum Æstios, seu Borussos, id legere pronunciarunt. V. *Cassiodorum*, qui variarum lect. lib. 5. habet Epistolam *Theodorici*, Gothorum in Italia regis hac de re. (6) *Vossius* de Historicis Græcis. (7) Ita eum vocat *Cicero* de LL. (8) Lib. III. (9) Eridanum hunc esse Radaune fluvium Dantiscum adluentem. multis probat *Cluverius* Germ. antiq. l. 3. c. 34. & 44. *Micræl.* in Chron. Pomer. l. 1. (10) *Plin.* l. 37. c. 2. & 11. Ab Artemidoro Ephesio in epitome inter vet. Geographos edita numeratur Pytheas in illis, qui periplum orbis scripsere.

(1) *Plinius* l. 1. 37. c. 3. (2) *Cæsar* passim in Commentariis. (3) lib. 1. & *Æthicus* initio Cosmogr. V. etiam *Photium* in Bibl.

na Polycleto. Neque dubitare licet, quin Theodotus, Marchiæ vicinas partes, celebritate Electri inductus, investigaverit, & ad Senatum retulerit. Has observationes parietibus porticum (4) auspiciis Augusti Cæsaris appingi curavit Marcus Agrippa. Notatæ sunt etiam res Germaniæ a C. Jul. Cæsare, qui illam bello aperuerat, cumque bellicis victoriarum laudibus literarum quoque studia adjunxisset, scribenda fecit, factaque scripsit. Ab hujus temporibus, quicquid terrarum nationumque inter Rhenum, Albim, Salam atque Danubium flumina situm fuit, Romani armis præsidiisque perlustrarunt. Albim etsi non transierint; ei tamen proxima ex adcolis sciscitando cognoscere poterant. Dein, quicquid Albis, Danubius, Vistula amnes complectebantur, in certiore Authore Maroboduo, harum terrarum, sub Augusto & Tiberio, ut in tempore referam, Rege, postea vero XVIII. per annos Ravennæ in Italia: tum a Catualdo, Gothonicæ ad Vistulæ ostia nationis Principe, in Gallia fori Julii, exulantibus horumque comitibus pernoscere quiverunt. (5) Nec defuerunt posterioribus temporibus decora ingenia, quæ res

Cod. CCL. p. m. 1359. ex Agatarchide. (4) *Plinius* lib. 3. c. 2. (5) Cimbrorum quoque lagati ex sua peninsula ad Augustum Cæsarem missi sunt teste *Strabone* lib. 7. Et Nerone imperante, eques quidam Romanus missus, ad succinum comparandum a Juliano, curante Gladiatorum munus Neronis Principis; hic ob commercia Vistulæ ostia, & litora Æstiorum, qui nunc dicuntur Prussi perlustravit teste *Plinio* lib. 37. c. 3. Quin & ipsos Gothones, horumque conterminos Æstios, succinum in Pannoniam, & ad Italiæ usque confinium, non modo *Plinii*, *Taciti* temporibus, sed jam *Herodoti* ævo, solitos fuisse deferre, *Cluverius* passim in Ger-

res Germanorum annotarunt. Scripsit equidem T. Livius, (6) Asinius Quadratus, (7) C. quoque Plinius (8) de Germania: at illorum nihil, præter titulos, reliquum habemus.

Supersunt Strabonis, Melæ, Plinii, Ptolomæi monumenta. Quorum laboribus, ut multum deferendum; ita plurimis scatere erroribus docti ostenderunt, nostraque, quam meditamur, Marchia indicabit. Solus antiquorum C. Corn. Tacitus, de situ ac populis Germaniæ, deque origine ac moribus gentis tam accurate, tamque diligenter librum nobis reliquit, uti nullam regionem nullamque nationem æque descriptam ab ullo vet. Autorum habeamus. Imo adfirmare ausim, quicquid nobis Germaniæ adeoque Marchiæ antiquæ, majorumque nostrorum innotuit, id omne uni Tacito, acceptum debere ferri. Quippe hoc si careremus in reliquis quoque Authoribus, vix quicquam eorum intelligeremus, quæ vel ante ejus ætatem vel posterioribus seculis de gente nostra (1) tradita sunt. Illo igitur præeunte hunc Marchiæ veteris situm assignamus.

Germania Taciti ævo fuit gemina, Transrhenana, & Cisrhenana, in Gallico solo sita. Illam tres fluvii insigniores in totidem diviserant partes. Harum prima

mania antiqua ostendit. (6) Ut liquet ex ejus Epitomatore. (7) Testibus *Strabone*, lib. 4. & *Agathia* lib. 1. de terra Germaniæ scripsisse fertur (8) V. *Tacitum* annal. 1. *Plin.* junior. Epist. lib. 3. Item *Symmachum* Epist. lib IV. qui tradunt bellorum Germaniæ libros XX. reliquisse.

(1) Pluribus tractat hoc argumentum Cluverius in Germa-

ma est inter Rhenum, Salam, & Albim, amneis; Oceanum Germanicum & mare Suevicum, seu sinum Codanum. (2) Alteram, quæ inter Salam, Albim, Vistulam, Danubium flumina, & mare Septentrionale exporrigebatur, uno nomine Sueviam (3) adpellat. Tertia est ultra Vistulam, & illum, quem ante memoravi, sinum, ad Sarmatarum usque confinia.

Suevia nostri est argumenti. In hac, quicquid ab occasu Saxones; à Septentrione Cimbri, Mechlenburgenses, Pomerani; ab Oriente Poloni; à Meridie Lusati cingunt, Marchia Brandenburgensis hodie dicitur. Quatuor fluvii, Albis puta, Viadrus, Sprea, Ucarus, in totidem regiones, aut, si mavis veteri Germanorum more, Pagos dividunt. Horum pars a finibus Luneburgiorum, & Brunsuigorum, ad Albim usque, urbes septem, quorum caput Stendalia, totidem oppida, arces quatuordecim, cœnobia principalia quinque, cum nobilium familiis quinquaginta, & pagis tercentis sexaginta quinque continens, Vetus seu Transalbina appellatur. Alteram quæ inter Albim & Viadrum, in longitudinem & latitudinem ultra milliaria quatuor & triginta extenditur Mediam, seu Cisalbinam vocant. Primarias habet urbes Brandenburgum, Berlinum, Francofur-

nia antiqua, quem vide sis. Ut & Albinum in Misnia. (2) *Plinio* ac Melæ, nunc vulgo die Ost-See audit. Germaniæ divisionem V. etiam apud B. *Rhenanum* l. 1. & commentatores in *Tacitum*. Adde *Bilibaldi Pirckeimeri* Germaniam, *Conr. Celten* de situ & moribus Germ. *Wimpfelingum*, &c. (3) de Suevia & Suevis pluribus V. *Cisneri* Orationem, *Reineccii* Historiam Juliam, & Chron. Brand. *Curai* Silesiam, *Chytræi* Saxoniam.

cofurtum, præter oppida, arces, pagos numerofos; Episcopatus tres, & totidem Comitatus. Tertia trans Viadrum, nova dicta, per milliaria viginti quatuor ad fines usque Cassubiorum, Polonorum, Bohemorum, exporrecta, multis nominibus commendanda venit. Caput olim Soldinum fuit, hodie Custrinum est, inter omnes Marchiæ civitates opera & loco longe munitissimum, & unde in subditos regimen derivatur. Quarta est Ucaria, & in ea Metropolis Primislavia, ad Ucarum in finibus Pomeraniæ. His Prignitium, in quo est Perlebergum; Comitatum Ruppinensem, Ducatum Crosnensem, in quo Crosna: partem Lusatiæ inferioris, cujus caput Cotbusium: Sternebergensem, Bescanam, & Storcoviensem, ditiones hodie annumerant. Hisce limitibus Marchia Brandenburgensis includitur & describitur: ut dierum octo iter expeditum sit Longitudo, & septem (1) latitudo.

Marchiæ nomen, etsi variis, varie accersere placuerit; (2) usu tamen, apud omnes

(1) *Sabinus* & *Gaxeaus* assentiuntur. Etsi a *Tilemanno* Stella longitudo ejus ab ortu in occasum major describatur. (2) Quibusdam a mari, quasi marica vel marina: Ita voluere plerique interpretes ad cap. I. quis dicatur Dux 2. F. 10. v. ult. 1. Feud. 4. n. 14. *Limnaeus* Juris publici 4. 4. 22. ex *Faucheti* l. 1. c. 3. videatur etiam *Hermes* in jure publ. c. 29. invita licet experientia, quæ in meditullio plurimas ostendit *Marcas*. Qui Francorum *Originem* a Trojanis accersunt, Marchionem, & Marcomirnm Francos, antiquitati ignotos, nominis faciunt authores. V. *Limnaeum* d. l. 44. 23. & *Irenic.* l. 3. exeg. German. c. 102. Nec satis ad rem, qui a Marcomannis equitatu pollentibus populis dicunt. V. *Limn.* d. l. *Justum* in Chorogr. Brandenb. p. m. 7. & in descriptione Fran-

(3) fere invaluit, imo obtinuit (vocis origine & scopo eo collimantibus) ut Marchiæ a Marcis, seu limitibus di-

ci

cofurti p. m. 9. *Schefferum* in Chorogr. Brandenb. p. m. 7. 8. *Sabinum* de appellat. &c. Marchiæ p. m. 76. *Lazium* de migratione gent. p. m. 506. 513. 514. Etsi enim extra omne sit dubium Marchias antiquis Celtis equos fuisse, quod ex Pausania & veteri Salica lege discimus, & pluribus persequitur *Pasquierus* lib 6. des *Recherches* c. 4. *Alciatus* de Duellis c. 32. Lyclama 5. membr. eclog. 9. *Joh. Oldendorp.* Class. 7. Vero tamen propius a Marcis, seu limitibus dictos, cum vocis usus etiam apud illos, qui equestri arte minus celebres, ad fines autem hostium positi, usurpetur. Utrumque de omnibus Marchiis haud dixeris, utpote, quæ pedestri tantum militia præstabant, & procul ab hostico sitæ erant. V. *Meibomium* in opusculis p. m. 484. *Speidelium* in Spec. p. 838. *Alciatum* lib. 1. parerg. jur. c. 27. V. etiam *Dietericum*, de imperatoribus Saxonicis in Henrico Aucupe. (3) *Cluten* Sylloge rerum quotid. Conc. 26. Lit. F. *Limnæus* jur. publ. L. 4. c. 4. & addit. 1. *Loyseau* tractatu des Seigneuries c. 5. n. 24. *Carolus Sigonius* de Carolo M. *Crantz.* L. 3. c. 16. *Vandal. & Sax.* L. 3. c. 18. *Aimoin.* L. 4. c. 118. *Rhegino.* 2. Chron. L. 4. leg. *Franc.* c. 43. *Baro*, L. 2. de feudis, c. 3. *Besoldus* de Monarchia. *Reinking* de regim. L. 1. cl. 4. c. 13. Quodsi tamen fatalem illam gentium, Germanarum inprimis, & Græcarum, mixturam consideremus, ambigere licebit, utrum a Græcorum voce Nomarchia, provinciam, vel a Germanica limitem significante vox promanarit? quicquid sit, ex mente utriusque gentis provincia erit limitanea. Ex urbe Constantinopolitana vocem una cum dignitate limitanea circa Exarchatus tempora profluxisse reor. Nam traslata imperii sede, nomina Magistratuum latina in Græca quoque transiverunt. Qui antea consul Romanus, tum novo & inusitato vocabulo urbis Dux appellatus est. Vicarius imperatoris in Italia Exarchus: Provinciæ item, quæ olim consulares, & prætoriæ erant, dici cœperunt Duca-

ci putentur: quam vocem exteri a Longobardis, Francis, vel Gothis, nacti, in suum usum, eadem in significatione, transferre non dubitarunt.

tus, Nomarchiæ, Toparchiæ, aut Catapanatæ. Ea deinde nomina, inclinante mox imperio, corrupta sunt. Idem malum & Marchiæ vox experta, unde, qui antea finium regundorum præpositi Marchesii dicebantur, postea horum nomen ad alia, officia est adhibitum, dictique, teste *Nicephoro Gregora* Hist. L. 7. *Marchesii*, qui vexillum Imperatorium in exercitu gestabant. Deinde omnes fere Romanæ provinciæ nativæ significationi vocem, multo ante, quam in ipsa Germania usurparetur restituerunt. Constat enim, Longobardos Italiam in sex Satrapias seu Præfecturas distribuisse: quarum duas Markias, cæteras Ducatus nominarunt, cum nulla adhuc Marchia esset in tota Germania. V. *Merulam* in Cosmogr. Tom III. de Italia p. m. 247. V. etiam *Dietericum* de Imperatoribus Saxonicis in Henrico Aucupe. *Mylerum* in Archologia c. 6. n. 10. *Lehmannum* in Chron Spir. l. 2. c. 17. lit. D. Ac primum circa tempora Caroli M. & Successorum Marchia Bajoariæ & Saxoniæ notatæ. Annales Francorum a Frehero editi ad annum 778. V. etiam *Wolffg. Lazium* L. 1. de R. P. Rom. & *Meibomium* in opusculis p. m. 481. & *Goldastum* Tom. 2. Constit. In annalibus *Eginhardi* An. 828. Marchiones Saxoniæ cum Comitibus referuntur. Et *Hincmarus* ex *Adalhardi*, Abbatis Corbejensis libello, quo describitur ordo palatii, & status regni, inde a Carolo M. §. 30. Marchesios nominat, ita ut vanus sit *Crantzius*, qui asserit, tempore Henrici Marchionum nomen primum auditum fuisse. Postea Henricus Auceps, provincias Germaniæ in Brandenburgensem, Slesvicensem, Austriacam Marchias divisit. Cæteræ Marchiæ, quæ in Germania numerantur, sub Imperatoribus Otthone II, Friderico I. Ludovico Bavaro & Carolo IV. exortæ sunt. V. pluribus hac de re Authorem Anonymum, natione Saxo-

Cæterum, cum regionis descriptionem aliud tempus sibi vindicaturum sit, gentium qui, Marchiam habue-

nem, a Theodorico Niemensi editum. Velserum in rebus Boieis, & alios.

Harum Marearum Præfectos, Latinis Liminarchas (L. numerum civ. ff. de muner. & honor. L. quas Deo. C. de offic. præf. Afr. L. liminarchæ C. de servis fugitivis. L. non ideo C. de liberali causa) quia non solum curam finium habebant, verum etiam populis, quos armis contra hostes defendebant, jura dabant, Marcarum Gravios, seu judices posterioris ævi, Marchiones vocarunt.

De vocis Grave etymologia varia congessit *Ioannes Goropius* L. 2. antiq. Antverp. Limnæus in jure publ. 4. 4. 14. sed verissima est sententia statuentium, Graf veteri Germanorum lingua judicem significare. Quo sensu pluribus in locis Germaniæ hodie usurpatur. V. *Limnæum* in jur. publ. L. 1. 4. 4. §. 10. 11. & addit 1. p. m. 402. *Speidel.* in Sylloge voce Grave.

De Marchionibus pluribus apud *Hotomannum* in Lexico feudali, verbo Marchiones, & *Lehmannum* in der Speierischen Chronic. L. 4. c. 4. adde *Reink.* de Regim. L. 1. Clas. 4. c. 13. Quamvis autem ab initio Marchiones finium custodes fuerint, postea tamen etiam in Mediterraneis imperii regionibus, de Marchia investiti, Marchiones dicti. V. *Reinkingium* d. l. Et ita nomen Marchionum habent multi, etiamsi non sint limitum defensores.

Nomen dignitatis, quamvis apud Italos & Gallos multum ab antiquo splendore remiserit in Germania tamen solis principibus datur. V. *Reinking* d. l. *Hermes* jus publ. c. 29. *Lansium* in Orat. contra Italiam.

buerunt, Originem, resque gestas a prima rerum Origine enarrandas existimo.

Annus labebatur a condito mundo sexcentesimus (1) quinquagesimus septimus supra millesimum, quo lustratus (2) expiatusque est aquis terrarum Orbis. Flagrantem nimirum ubique libidinem, ac sui contemptum, Numen totius (3) Universi inundatione, justissima pœna extinxerat. Tandem tamen, ubi satis justitiæ & Ultioni litatum, egressus (4) arca, seu, navi, Noës (5) cum tribus filiis, novi (6) mundi seminio, Armeniam, Asiamque initio coluit. Sobolescente postmodum prole, cum illam patria nec capere, nec alere posset, jubente Deo, ut propagandi generis, præcaven-

(1) Maxima Græcis cum Hebræis intercedit controversia de numero annorum a condito mundo ad Diluvium: illi enim 2243. hi 1656. numerant. V. pluribus apud *Schotanum* ad *Sulpit. Severum* in principio *Hornium* ad eundem Hebræorum codicum lectionem in annis Patriarcharum ante diluvium, diluviique ipsius defendit contra *Isaacum*, *Vossium Schotanus* ad *Sulpit. Sev.* ætat. 1. *Baillius* in opere historico L. I. c. 24. Impugnarunt textum Hebraicum *Ludov Capellus. Joannes Morinus*, *Waltonus* & alii. (2) Utraque voce utitur *Florus* L. I. c. 13. ubi de incendio loquitur, quo Romam Galli in cineres redegerunt. (3) Author de *Præ Adamitis* statuit, diluvium Noë non fuisse universale, sed terræ Judæorum peculiare tantum. Hunc refutat *Schotanus* ad *Sulpit. Severum* ætat. 1. (4) Antiqui hac voce usi in hacce Materia. (5) Græci & Latini veteres aliter non scribunt. (6) Novum dum voco mundum, non foveo opinionem *Josephi Antonii Gonzales* de *Salas*, qui statuit terram continentem, quæ ante diluvium fuit, aquis fuisse deletam, mersamque profundo, aliam autem Noë posteris cataclysmo, quam extu-

dæ dissensionis & communionis cum improbis gratia, colonias deducerent, totamque excolerent terram, stulti homines non paruerunt. (7) Tum Nimrodus, (8) Chami ex Chuso nepos, reliquos mortales venatoris instar (9) agere, rapere, persequi, suam in potestatem trahere; urbemque (10) condere & munire ad securitatem suam cœpit. Imo, summæ altitudinis turrim, fortitudinis & prudentiæ monumentum, novi imperii & idololatriæ sedem, moliri ausus. (11) Procedente opere, contemptor Numinis animus ad cœlum perducere fastigium speravit. Unde Græcis deinceps fabulandi occasio, Gigantes (12) cœlum occupare aggressos, Superbis mortalium conatibus divina obstitit manus. Repente una, qua hactenus usi fuerant, lingua in tot, quot erant familiæ, quarum singulas Deus in unam coalescere voluit coloniam, divisa est.

Communis vero illa, & primigenia, quia in Heberi posteris hæsit, Hebraicæ nomen est adepta. (1) Urbs inchoata, ex linguarum operisque confusione Babel

lerat ex undis Deus, cultui concessam esse. Novum hic pro renovato fumo. (7) Verba *Josephi* Antiq. L. 1. V. etiam *Pererium* ad Geneseos hunc locum. (8) Vel *Namrod*, non *Nemrod* scribi debere. V. *S hotanum* ad *Sulpit. Sev.* & eundem *Hornium*. (9) Gen. X. v. 8. & seq. Venatorum verbo non raro latrones, & homines scelerati apud Authores indigitantur. V. *Aristotelem* in Politicis. (10) Gen. X. 10. (11) de consilio vanissimi moliminis fuse & sane differit *Bochartus* in Phaleg. (12) *Philo* in exordio libri de confusione linguarum.

(1) Peculiarem hac de re sententiam *Cluverii* V. L. 1. German. Antiq. c. 8. quam refutat. *Schotanus* ad *Sulpit. Severum* ætate

bel (2) Hebræis, Græcis vero Latinisque deinde Babylon dicta est. Sublato sermonis commercio, abrumpitur ædificatio; ædificantes, quo quamque familiam fatum tulit, per orbem disperguntur. Universam itaque tellurem, puta nostram, cujus Pars Asia, Europa, atque Africa, pro numero filiorum Noës, in tres partes providentia divina divisit. Schemo omnem (3) Orientem cum dimidio Septentrionis in Orientem converso: Chamo Meridiem, (4) Japheto Occidentem, (5) cum altera Septentrionis parte, cessisse, haud inscite ex sacris

2. p. m. 82. *Goropius Becanus* Saxonicam, seu Brabanticam primævam fuisse putat, quod allegasse, est refutasse. Magis vero accidit, primam in terris linguam fuisse Hebræam, in quod Judæi & Christiani consentiunt. V. *Rivetum*, *Nic. Fullerum*, *Mercerum*, *Pererium* in Genesin lib. 16. *Bellarmin.* 2. de verbo Dei c. 1. camerar. hor. subcis. 3. c. 62. (2) Turris erat hoc nomine, & regio quoque Turris proprie Babel vocatur, urbs Babylon, & regio Babilonia. Sed confundi scias. A turri, ut credo, urbs appellata. Aut simul nomen acceperunt a confusione linguarum. V. *Cyrillum* contra *Julianum* lib. 4. *Eustath.* Fol. 247. & 230. ubi de turri Babilon. *Jan. Drusium* ad loca difficil. Gen. c. 33. (3) *Hieronym.* quæst. in Genes. Filii Sem ab Euphrate fluvio usque ad Indicum Oceanum tendebant. (4) Seu regiones inter Orientem & Occidentem, ut sunt Arabia, Syria. Ægyptus, totaque adeo Africa, quæ Austrum respicit: quam & Lybiam veteres vocarunt. (5) Europam & Asiæ partem, quæ vergit ad Occidentem. V. *Hieronym.* quæst. in Genesin. De hac divisione pluribus tractarunt, *Sibotanus* ad *Sulpit. Severum*, ætate 2. pag. 100. *Crusius* annal. Suevic. L. 1. *Cluverius* in Germ. Antiq. L. 1. c. 4. *Simson* in Chronic. Cathol. *Merula* parte I. lib. III. c. 14. Cosmogr. *Bailius* in opere Chronol. lib. 1. c. 3. *Rupertus* ad *Besoldi* Synopsin. *Albinus* in

cris profanisque colligitur auctoribus. Atque hæc quidem universæ terræ in tres partes divisio semper postea obtinuit: Ita, ut Schemi portio Asia, Japheti Europa, Ghami Lybia, seu Africa, vocabulis, unde nescio, quæsitis, vocitatæ fuerint. Antiqui tamen illi, primique termini, sive imperiorum ratione, sive lubitu Geographorum, postmodum commutati fuerunt, ita, ut nonnullæ Europæ & Africæ regiones, Asiæ nomini finibusque accesserint.

Japheti posteri sunt Europæi.

Quicquid igitur versus Occidentem, Septentrionemque terrarum fuit, id tres Japheti ex Gomero nepotes; Thogarma, Riphat, & Aschenazes tenuere. Horum Aschenazes, quantum sub variis nominibus Illyrici, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ & Britannicarum Insularum, ad Hyperboreum usque mare, qua id Lappiam ac Norvegiam perfundit, & ad Oceanum Atlanticum porrigitur, quanquam terrarum spatiis vastissimum, tamen quia omnium remotissimum, unus solus occupavit.

Aschenazes est pater Celtarum.

Aschenazes itaque parens atque conditor est omnium Celtarum. (1) Ab hoc omnes: quas ante memoravi,

Chron. Misn. *Reinerus Reineccius* in Comment. de Misnia *Jonstonus* in Polyhist. *Bochartus* in Geograph. S. *Philippus Melanchthon* Chron. L. 1. & orat. de mutatione & migratione gent. *Micrælius* in Syntagmate. *Photius* in Bibl *Anonymus* in Chronol. qui sub Alexandro *S.vero*, Rom. Imp. vixit, apud *Labbeum* in Biblioth. Msct. *Otto Frisingensis* initio Annal. *Nauclerus* in Chronogr. vol. *Aventinus* annal. *Bojor* lib. 1. Et commentatores in Genesin communiter.

(1) Adde *Velserum* rerum *Boicarum* L. 1. p. 4.

vi, Europæ regiones Celticæ sunt vocatæ: quod universis pariter ac singulis a vetustissimis Scriptorum fuisse tributum, supra ostendimus. Communem genitorem habuisse, communis, qua usi sunt lingua, arguit. Unde, multa populorum; hominum, oppidorum, vicorum, compluriumque rerum vocabula, idem fere iisdem gentibus adhuc hodie significant, (2) pluriumque Auctorum comprobant testimonia. Et quia Celtæ cujusdam liberos Illyrium, (3) & Britannum (4) partium gentis Celtarum conditores tradiderunt antiqui: Ipsum Celtam fuisse Aschenazem, unde progenies & nomen Celtarum, manifestissimo colligitur argumento.

Celtæ autem vocem, quia Græcam originem non arguit, facile crediderim peregrinam, vel ab ipsa gente Celtarum, vel a gentis conditore, ipso Aschenaze, mox initio transmigrationis in Occidentem, una cum nova lingua, quod ex Cæsare (5) & Pausa- Celtarum Vox.

A a nia

(2) V. etiam *Velserum* rerum *Boicarum* lib. 1. p. m. 4. Pluribus tractat hoc argumentum *Cluverius* Germ. antiq. lib. 1. c. 5. 6. 7. 8. V. etiam *Besoldum* de natura populorum. *Cæsar* testatur, eandem linguam antiquissimis temporibus, per Hispanias, Gallias, Britanniam, Germaniam & Illyrium fuisse. Judæorum scriptores gentem Germanorum antiqua illa, ex primi conditoris nomine desumpta adpellatione nuncupant Askenazim: & Chaldæus interpres apud Ezechielem c. 27. Thogarma exponit Germania. V. etiam *Bupertum* ad *Besoldi* Historiam. *Paulum Merulam* Cosmogr. parte I. lib. 3. c. 14. *Abrahamum Ortelium* in Thesauro Cosmogr. in Aschanaki. (3) *Appianus* in Illyricis. (4) Etymologicum Magnum Græcum. (5) Commentar. de bello Gallico lib. 1. Tertiam Galliæ partem incolunt, qui ipsorum lingua

nia (6) suspicari licet, inventam. Ac forte, in novo Celtarum sermone in confusione Babylonica nato, Celta idem, quod vel primæva illa, vel Hebræorum Aschenaz (7) significavit.

Aschenazes liberi partiuntur inter se Europam.

Cæterum, quam diu Aschenazes liberos suos omneis patrio jure ac potestate rexit, tamdiu commune nomen genti communi mansisse videtur. At ubi maximus illorum numerus, sive natura locorum, sive Principum libidine, in plures partes distractus; quælibet peculiarem sibi indidit, vel invenit adpellationem.

Complures ei, cum forent filii, & nepotes longo serie, quinque filiis natu majoribus, omnem Celticam in hæreditatem reliquisse reor. Unde in quinque potissimum gentes, & quinque adpellationes, Occidens fere omnis divisus fuit. Primam facio, quæ mari interno, Oceano Atlantico ac Septentrionali, Pyrenæisque inclusa montibus, Hispania postea dicta fuit. Altera Celtarum pars inter Alpeis, mare internum Pyrenæosque montes, & Oceanum, Rhenumque amnem posita Gallia vocata. Tertiam Celtarum partem, in Insulis Celticæ, nomen Britannorum, vel Britonum (utrumque enim antiquis usurpatur) a Britanno, Celtæ vel Aschenazis filio sor-

Celtæ, nostra Galli, adpellantur. (6) in Atticis. Celtæ cum a se ipsis antiq. temporibus, tum ab aliis vocati sunt. V. etiam *Velser.* rerum *Boic.* L. 1. p. 5. (7) *Crusium* V. annal *Suevic.* L. 1. part. 1. p. m. 3. V. etiam *Velserum* rerum *Boic.* L. 1. p. m. 4. 5.

ſortitam credibile. Quarta portio, inter Danubium & Alpes, mareque Adriaticum ſita ab Illyrico, Celtæ filio, Illyriorum voce notata. Ultimi tandem Celtarum trans Rhenum amnem, ad glacialem usque Oceanum & Sarmatarum confinia colentes, etſi ab eodem Aſchenaze orſa trahant, tamen, præter originem illam, quam divini libri tradunt, a vicinis auctarium accepiſſe, præſertim in tot gentium commixtionibus, & migrationibus, facile crediderim. Quod vero nomen, mox poſt Celticæ diviſionem, habuerint, oppido quam difficile eſt diſpectu!

Germanorum adpellatio, cum ſerius (1) genti a Gallis indita, antiquam, veram atque genuinam dixerim, quam ex Tuiſtone Deo tantopere carminibus celebrato, variante pronunciatione de Duytſchen, Dudſchen, Dudeſchen die **Teutſche**, de Tydsker ipſi in ſe derivarunt. (2) De tempore, quando id primum Germani adſumſerint, nihil certum habeo quod affirmem. Multis annis, antequam Romani, Julii Cæſaris ductu, Rhenum transgreſſi, Teutiſcos ſuis in ſedibus noſſe cœperunt, in uſu id apud eos fuiſſe, ex carminibus illis antiquis, quibus Tuiſtonis Dei, & ſine dubio Teutiſcorum nomen, gens ipſa tempore Taciti celebrabat, colligere **Germani antiquiſſimi.**

Aa 2

(1) *Corn. Tacitus*: Recens illud nomen Germanorum Romanis fuiſſe, & nuper auditum teſtatur. (2) De hac Etymologia, *Cluverius* in Germania antiqua L. 1. *M. Velſerus* rerum *Boicarum* lib. 3. p. m. 148. *Meibomius* ad Wittechindum. *Micralius* Chron. Pomer. L. 2. *Albinus* in com-

re datur. Mansisse hæc nationis adpellatio videtur usque ad illa tempora (3) quibus primi Germanorum Rhenum, Galliæ, Germaniæ, quæ terminum transgressi Gallos agris expulerunt. Factum id esse intra Tarquinii Prisci & Julii Cæsaris ætatem, (4) si, ejusdem Cæsaris cum Livii (5) & Taciti (6) narratione conjunxeris, deprehendes. Primum itaque Germanorum nomen a Gallis in Gallia, in eis Teutiscis, qui primi Rhenum transgressi erant, deinvero in Transrhenanis quoque omnibus usurpatum fuit. A Gallis id postmodum habuere Romani, a Romanis Græci. Vocem autem Germanorum unde composuerint, meris nititur (7) conjecturis.

Teutones primi Marchiæ incolæ.

Fuerunt itaque primi Marchiæ incolæ Teutones illi antiqui, qui ex Asia nomen & genus nulla peregrina

ment. de Misnia c. 2. *Goldasti* Scriptores Suevici. (3) De hac transmigratione & nominis mutatione V. *Cluverium* Germ. Antiq. L. 1. *B. Rhenanum* in German. L. 1. *Glareanum* ad *Taciti* German. *Albinum* commentar. de Misnia c. 2. (4) Comment. de bello Gall. l. 2. (5) lib. 5. (6) de moribus Germanorum. (7) Consule *Vorburgium* in principio demonstrat. p. m. 34. *Boxhorn.* Hist. Univ. p. m. 70. *Bertium* in Germania. *Micralium* in Syntagmate p. 117. *Cluverium* in Germ. Antiq. L. 1. c. 10. L. 2. c. 20. *Colerum* ad *Taciti* Germ. *Albinum* in Comment. de Misnia c. 2. *Althamerum* ad *Taciti* Germ. *Cuntadum Celtem.* Æn. Sylvium *Piccolomineum* in Germania. *Bebelium* de laude Germanorum. *B. Rhenani* Germaniam. *Beutherum* in animad. c. XI. *Goldasti* script. rerum Suev. p. m. 55. *Conringium* de Rep. vet. Germ. *Lipsium* ad *Tacitum. Schutzium*, de jur. Publ. part. 1. p. 29. *Meibomium* in

grina mixtione fœdatum, attulerant. (8) Aucti numero aliis atque temporibus prævaluere, quorum nomen, vel a conditore, vel quod magis crediderim, a moribus, studiis, habitatione, in literis celebratius extitit. Inde Cimbros, a certando; Francos a libertate, vel luctando, Vandalos a peregrinando; Suevos a circumvagando; Istevones, quod versus occasum habitarint; Ingevones, quasi Indigenas, Hermiones, viros militares, dictos putaverim. Vel si mavis Germanicam (9) originationem. **Die Kämpffer, die freyen Ancken, die Wandeler, die Schwebende, die West-Wohner, Einwohner, Heermänner** vel **Erdmänner.**

Nostra Marchia Teutonicorum populorum hos habuit. Et horum quidem Semnones,

Opusc. p. 490. *Ægid. Tschudum* p. 126. *Besoldi* Thesaurum Practic. *Limnaeum* in jur. publ. l. 1. c. 6. & addit. 1. *Ortelium* in Parergo. *Reineccii* hist. Juliam. *Sprengeri* jus pub. *Speidelii* Speculum: Remp. Germ. *Raven.* Cosmogr. *Anonymum* de nominibus propriis Vet. Germ. *Dresserum* de Urbibus Germ. *Aventinum* L. 1. *An. Bojor.* &c. Quæ vero apud historic. de Germanis, aut Germania ante illa tempora, sub hisce appellationibus referuntur, illa per anticipationem usurpata, capienda sunt, tanquam dicta de iis, qui postea Germani vocati. Præsertim cum aliter loqui non potuerint, quod & totius nationis nullum adhuc tunc temporis nomen esset, & ipsum gentis ejus, quæ id fecerat, proprium nomen ignorarent. (8) De gentibus, quæ Germaniam tenuerant, pluribus *Mollerus. Cont. Celtes* de situ & moribus Germ. *Albinus* in Misnia. *Turlerus, Micralius* in Syntagmate. (9) V. *Albinum* in præfat. Misn. *Crusium* in annal. Suev. L. 1. part. 1. V. etiam *Carionis*

buit. Semnones (10) qui Gallis juncti Italiam, ipsamque Orbis Dominam, Romam, occuparant: dein, mutata fortuna in Græciam Asiamque pulsi, celebri Galatarum genti primordia & incrementa dedere. Illorum, qui in patria remanserant, pars ab Augusto (11) in illam Germaniæ partem, quæ est inter Rhenum, Alpes & Lycum translata: pars Taciti ævo centum pagis habitabat, magnoque corpore effecerat, ut se Suevorum caput crederent. Unde hæc vestigia relegere licet. Inter Vartam & Viadrum circa Posenanium, Ducatum Crosnensem, regionem Sternebergensem, Silesiæ partem, qua oppida Glogau, Sagan, Sprottau, Sorau, Lusatia, Treuen-Britzen: Anhaltini principatus, Saxoniæ item superioris & Misniæ partem trans Albim. Videnturque Sonnewalda, Sonneberga, Semnonum; Suevus autem seu Viadrus Suevorum accolarum nomen conservasse, & ad nos transmisisse. (12)

Semnonum vicini, & si credimus B. Rhenano, rerum Germanicarum longe consultissimo, (13) circa

---

Chronicon p. m. 451. (10) *Semnones* non *Sennones* scribendum ex *Tacito*, *Strabone*, *Ptolomæo Zozimo* apparet. (11) *Suetonius*. (12) Pluribus hac de re in nostra Marchiæ Topographia: Interim consule *Cluverii* Germ. antiq. L. 3. c. 19. 25. *Micræl.* Chron. Pomer. L. 1. *Crusii* annal. L. 1. part. 1. c. 3. *Albinum* in Misnia. *Lazium* de migrat. gentium. *Bebelium*, *Willichium* ad *Taciti* Germ. *Enzelium* in Chron. vet. March. *Reineccii* Chron. Brand. *Justi* Chorogr. & Francofurtum. *Chytræi* Saxoniam. *Dresserum* de urbibus German. Chronic. *Carionis* p. m. 460. lib. 4. (13) In

ca Berlinum & Brandenburgum Teutones, quos hac peculiari voce antiqui nominarunt. Hi, assumptis in societatem Cimbris, relictis sedibus suis, post multas clades, populo Romano illatas, a Mario ad aquas sextias deleti sunt.

Marchia sedes iis quoque assignant *Georg. Sabinus* in descript. March. *Bertius* in Germ. antiq. L. 2. c. 12. *Micræl.* Chron. Pomer. L. 2. *Reineccius* hist. Juliæ, & Chron. Brand. *Justus* in Chorogr. March. *Chytræus* in Saxon. *Ortelius* in Thesauro. *Schofferus* in Chorogr. March. *Philip. Melanchton* in tract. de regionibus & p. 461. lib. 4.



SCRIPTORES RERUM MARCHIÆ BRANDENBURGENSIS.


PARS SECUNDA.

Illi non ſatis ingenuo præditi ſunt animo, qui ita peregrinis intenti ſunt, ut priſcas patriæ res negligant, vel elatis quaſi manibus ſuſpendant: immo nec in majores quidem ſunt ſatis ſancti.

HERM. CONRINGIUS.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
apud JOH. GODOFREDUM CONRADI
Typis HUBNERI.
MDCCXLIII.

IV.



IV. V.



De GEORGIO SABINO, auctore scripti utriusque vitas Hugonis & Theodorici Marchionum complectentis, præcipua commemoravimus in Parte I. p. I. Sunt, qui PHILIP. MELANCHTONEM auctorem ejus ferant, eumque, sicuti in aliis quibusdam scriptis, sub Generi nomine latere voluisse perhibeant, quod nos, rationibus claris destituti, in medio relinquimus.

Scriptoribus Rerum Germanicarum, quos vulgavit REINERUS NEINECCIUS Anno MDLXXXI. *Franco-*

X 3 *furti*

furti ad Maenum F. adjectam reperimus, quam iterum jam publicamus, Historiam de vita *Hugonis* & *Theodorici* Marchionum Brandenb. Eandem vero, ut denuo exscribi curaret Bibliopola, Anno MDCCIV. suasor CL. AUCTOR *Observationis XVI. Tom. VIII. Observat. select. Halens:* exstitit inductus causis, quas gravi cum judicio Cl. Viri & Auctoris Observationis conjunctas, convenit jam integras exhibere, sunt vero ejusmodi:

Cum nuper in Tomo hoc octavo viderem aliquam, quae de Georgii Sabini, viri apud suos maximam gloriam nacti, vita atque scriptis ex optimorum Auctorum monumentis diligenter composita erat, Observationem, interque alia vitarum Hugonis & Theodorici amborum quondam Marchionum Brandenburgensium, ut & Brandenburgi factam mentionem, statim Bibliopolam, ut haec scripta denuo exscribi & huic tomo adponi curaret, hortabar, inductus eorum cum dignitate, quippe quae praecipuum inter ceteros Sabini labores sibi vindicant locum; tum vel maxime raritate, cum etiam ipse Cl. Observationis istius auctor, sibi ea adhuc ignota fuisse, & tantum ab amico quodam eorum notitiam nuper demum accepisse, fateatur; nec ego unquam aliam viderim editionem REI-

NEC-

NECCII, quæ in fine ejus *Origin. Brandenb.* exstat. Secundum quam etiam hanc meam fieri, adjectis saltem paragraphis, & præmissa singulis summa curavi diligenter. Adderem quoque Brandeburgum, si ejus jam mihi esset copia, quod olim apud amicum mihi tantum perlegere licebat. Compenso tamen illud alio Sabini nostri scripto, haud minus eleganti, & cujus ne quidem ipse dictæ Observationis Auctor Cl. meminit, quo adpellationem, situm moresque ac & populos Marchiæ Brandenburgensis descripsit breviter, sed docte. Quod ad ipsum, quem in hoc scripturæ genere Sabinus adhibuit, modum, in hoc mihi præcipue veri Historici videtur munere functus, quod in exponendis virorum principum vitis imprimis observet facta eorum atque mores; patriæ, parentum & ceterorum, quæ ad rem exiguum videntur adferre momentum, obiter tantum, & in fine mentionem adjiciens. Quem morem vel in primis iis, qui aliquid de virorum eruditionis singularis fama insignium, vita atque scriptis, memoriæ prodere volunt, imitandum puto. Sed contra si respicias tam veterum quorundam, quam nostrorum βιογραφίας, nihil interdum in istis, nisi jejunum de moribus eorum judicium, turpemque ipsorum scriptorum deprehendes ignorantiam. Ceterum Sabinus stilo utitur

satis

ſatis jucundo & eleganti, ſed interdum præſertim ubi factum aliquod docere inſtituit, nimis longo & verboſo. Quod ipſius genio ad Poeſin facili imputare debemus, quippe quo adeo excelluit, ut non tantum ad elegantiam Ovidianam proxime accedere, ſed exprimere mihi prorſus videatur. Quantum his præſentibus tribuendum ſit fidei, ipſe æſtimet lector, certe ſunt, qui illam dubiam facere conantur. Ego rem in medio relinquo, fabuloſi tamen aliquid haud penitus abnuens.





IV.

GEORGII SABINI

HUGO MARCHIO BRANDENBURGENSIS.

SUMMARIA.

§. I. *Occasio commutata vita ipsius antea dissoluta.* §. II. *Comitas, in puniendis otiosis hominibus severitas, in dicendo jure summa diligentia & aequitas.* §. III. *Coenobia septem ab ipso exstructa.* §. IV. & V. *Othonem Roma obsessum liberat arte singulari.* §. VI. *Mors, sepulcrum & populi ob mortem ejus luctus. Qui ipsius meminerunt, Auctores.* §. VII. *Parentes, fratres, horumque laus.*



§. I.

Imperante Othone Tertio, Marchiam Brandenburgensem tenuit Hugo, Princeps clarus & honoratus, qui in Italia magnam celebritatem famæ consecutus est. Egit enim illic vicarium Othonis, cui erat propinquitate conjunctus, & Hetruriæ provinciam fidei suæ commissam fidelissime gubernavit. Hunc autem ferunt initio, ludis, venationibus & conviviis deditum, administrasse rem publicam negligentius, sed postea mirabiliter commutatum, abduxisse animum a voluptatibus, remque publicam omni cura & diligentia complexum esse. Amplissimam quoque pecuniam contulisse in ædificationem coenobiorum, templorum, aliosque pios & honestos usus. Etenim cum inertissimo otio & voluptatibus deserviebat forte accidit, ut in venatione aprum consectatus, a ministris suis aberraret longius, inque specu solus pernoctare cogeretur. Ibi occurrerunt ei noctu visa, quibus perterritus, cum dies illuxisset, rediit Florentiam, ac Florentino præsuli rem enarravit, a quo opportune admonitus est, ut posthabitis ludis ac venationibus, susciperet curam Reipubl., eamque anteferret voluptatibus; meminisset se non otii, sed negotii caussa constitutum esse vicarium Imperatoris; ac reddendam sibi rationem esse cogitaret coram supremo Dei tribunali, cur ita tempus contereret aucupio, piscatu, venatione & conviviis, quod erat ponendum in officio principis proprio, in audiendis afflictorum querelis, in dirimendis ac tollendis controversiis: intueretur animo suspi-

suspiria miserorum Civium, lacrymas viduarum & gemitus pupillorum, quos nemo tueretur, dum ipse à tractatione & administratione rerum vacaret, illos enim, qui ipsius officia exequerentur, habere rempublicam quæstui, acceptisque muneribus dijudicare causas non ex æquo & bono, sed ex versuto jure: opprimere innocentes & judicio damnandos sublevare. Simul ab eodem præsule admonitus est, condere expiationis gratia totidem coenobia, quot capitalia (ut vocant) peccata numerantur; tunc enim temporis, homines sic habebant persuasum, se non gratuita misericordia tantum, sed operibus suis mereri remissionem peccatorum.

§. II

Hac admonitione commutatus est totus. Itaque patrimonio omni in Germania vendito, septem coenobia exstruxit magnifica & opulenta, seque de inceps in suo officio tam pie, juste ac sapienter gessit, ut omnium principum laudibus obscuritatem adferret, quotquot eo tempore in Italia virtute & gloria florebant. Horas quotidianas ac statas habuit, quas cognoscendis & dijudicandis causis impendere solitus est. Iis horis aditus ad eum patebat omnibus, tam egenis quam opulentis: unde apparet singularis diligentia & integritas, qua in dicendo jure & audiendo populo usus est. Ac profecto vix ulla commodior & expeditior administrandi ratio iniri potest, quam habere Principem certas horas hoc modo constitutas, quibus liberas afflictorum querelas audiat. Hac enim ratione neque multitudo negotiorum cumulatur, neque cives consumunt totos dies, dum audientiæ tempus aucupantur. Hominibus otiosis & asotis adeo infensus fuit, ut eos in judicium vocarit, ad red-

dendam rationem ocii & sumptuum: unde in Hetruria præsertim Florentiæ, adhuc servatur consuetudo ab ipso introducta, ut magistratus in ociosos & ignavos inquirat, atque ex iis percontetur, unde sumptus faciant, qui si rationem ocii & innocentiam vitæ non probaverint, trahuntur ad supplicia, vel ejiciuntur urbe.

§. III.

In dicendo jure illud inprimis cavit, ne quid alius aliter, sed de iisdem rebus semper idem decerneret: neve res judicatæ rescinderentur: ac solitus est dicere, justitiam esse constantem & perpetuam voluntatem, ideoque principum sententias de jure immutabiles esse debere. Quin etiam semel rogatus, ut patricium Florentinum rei capitalis reum liberaret judiciorum poena, recusavit ac respondit, in atrocioribus delictis nemini ignoscendum, sed ab omnibus poenas severe persequendas esse. Nam ignoscere sontibus nefario scelere contaminatis, non esse clementiæ, sed crudelitatis. Coenobia vero ab illo condita hæc sunt: Abbatia Florentina; Sancti Michaelis in monte Imperiali; Sancti Bartholomæi Bonsolatii apud Mucellum: Sancti Januarii Copuloneum in agro Aretino: Sancti Michaelis apud Verrucelam prope Pisas: Congregationis Sanctæ Justinæ: Septimense prope Florentiam, ita appellatum, quod septimo loco ædificatum sit.

§. IV.

Ceterum inter præclara & memorabilia hujus Principis facta illud in primis celebratur, quod Othonem Imperatorem Romæ obsessum consilio pleno prudentiæ & fidelitatis liberavit. Mortuo enim Gregorio V. Pontifice

Roma-

Romano, cum Imperator Romam profectus esset ad sedandas discordias, quæ illic versabantur, in tantum venit periculum, ut in Capitolio obsideretur. Nam Romani iniquo animo ferebant, jus eligendi Pontificis, non ita pridem a se & a Clero translatum esse ad Imperatorem: & Gregorium V. sanxisse dignitatem autoritatemque Principum in Germania, penes quos esset potestas creandi Cæsarem: fremebant se olim Dominos orbis terrarum eo redactos esse, ut omnia exterorum nutu & arbitrio in urbe agerentur. Audita hac seditione Hugo ex Hetruria Romam advolat, adducto secum Henrico Bavarorum Duce, qui postea Othoni successit in Imperium: ac quoniam pro certo habet, furentem impetum multitudinis, nulla vi subito compesci, neque Imperatorem diu tolerare obsidionem posse, præsertim militibus Germanis magna ex parte cæsis: ipse urbem ingreditur sine armata manu, ac fretus suis erga rempubl. officiis, accedit Senatum, eumque placida oratione commonefacit, hortatur, orat, ut cives ab armis revocet, pollicitus, se interpositurum in pacificationem, si de conditionibus pacis agi concedatur. Senatus etsi statuerat, nullam admittere conditionem pacis, sed vindicare se in libertatem, Imperatore vel occiso vel capto. Tamen ne furore potius, quam justo dolore exarsisse videretur, re cum civibus deliberata, per simulationem Hugoni & Henrico concedit, ut, ambo tractationem pacis sibi assumant. Nam de Othone quasi jam capto actum esse credebatur.

§. V.

Dum igitur in tractatione pacis versantur ac pacificatoribus liberum est, seorsim adire atque alloqui Impera-

peratorem de conditionibus pacis, Hugo intellecta Romanorum simulatione, Othonem admonet, ut veste mutata per occultos Capitolii cuniculos se subducat una cum Pontifice. Et ad perficiendam hanc rem, quo major sit opportunitas, ipse ex Capitolio revertens, prolixam orationem ad populum habet: hoc nimirum consilio, ut interim, dum populus oratione detinetur, Otho evadat. Extracto igitur tempore, & oratione in noctem perducta, ipse, post quam suasit reconciliationem faciendam, multisque verbis testatus est, se eodem modo affectum esse erga Romanos, quo erga Imperatorem, fertur interrogasse populum, tanquam sine ejus jussu nihil acturus, ergo deberetne consulere Othoni id, quod utrique tum illi, tum Reipubl. Romanae utilissimum fore judicaret? populus vero respondisse, imo nisi hoc faceret, eum non esse virum bonum. Quo responso laetus, Hugo in Capitolium revertitur, ibique mutatis vestibus cum Henrico per eosdem cuniculos evadit, per quos Otho elapsus est. Deinde Romanis eum incusantibus significat per internuncium, se id, quod tempus postulasset, e republ. fideque sua fecisse. Intellecto enim illorum proposito, sibi visum nihil consultius, quam exire Imperatorem ex illa nassa, ne si caperetur, aut violento populi impetu trucidaretur, respublica se contaminaret scelere, quod nulla re, nisi interitu urbis, expiari possit.

§. VI.

Cum hoc modo Imperatorem ex periculo eripuerat, haut multo post incidit in morbum, quo & consumptus est. Diem obiit Pistorii, anno M. I. quo quidem anno principes imperii Electores in Germania constituti

sunt; unde verisimile est, hunc ipsum Hugonem aut fuisse primum ex Marchionibus Electorem, aut effecisse apud Othonem, ut Marchiones Brandenburgenses Electoribus annumerentur. Sepultus est Florentiæ in monasterio, quod ibi condidit, multisque opibus optime fundatis ditavit. Id enim monasterium Rentio, Seghia, aliisque oppidis donatum est. Mortuum Hetrusci omnes non secus ac publicum parentem luxere, nullo non genere honoris funeri ejus exhibito. Meminerunt hujus Principis Volaterranus in anthropologia eo loco, ubi scribit de Othone tertio. Platina in vitis Pontificum: Viterbiensis in Chronicis: multique alii scriptores Italici. In Viterbiensi autem (ut obiter de hoc lectorem admoneam) pro Marchione Brandenburgensi, mendose scriptum est, Miles Brandenburgensis. De ipsius quoque parentibus & fratribus fit mentio in annalibus.

§. VII.

Patrem habuit Brumitonem, Matrem Wilecam: Fratres, Menfridum, Hermannum & Segehardum: Pater Brandeburgi sepultus est in monte Harlungorum, in æde B. Mariæ Virginis. Mater Septimense jacet in Italia: extincto enim marito, illuc filium secuta est. Fratres in eadem, qua pater æde humati sunt ante aram communionis, quæ est in hemicyclo ad orientem. Horum Sepulcra extant apud Brandenburgenses, sed ita pedibus attrita sunt, ut nullum pene vestigium literarum in iis appareat. Epitaphia quæ erant inscripta ante annos centum, ubi nondum penitus oblitterata fuere, homo antiquitatis studiosus descripsit in tabulam ad parietem hemicycli suspensam: quæ tabula me adolescente adhuc in templo habebatur. Qui vero descripsit, testa-

testatus est, nihil suo tempore legi potuisse in primo sepulcri monumento, præter hæc verba.

Idibus Julii obiit Ciitbaua
*Ciitbaua Menfrido * juncta marito*
*Vandalia hanc reges **

In secundo extitisse hos versus literis vix apparentibus:

Candidior gemmis Hermannus flos Brumitonis,
Hic jacet in tumulo prob dolor! exiguo,
Quem flent gentiles, pariter cunctique fideles,
Armis invictum succubuisse pium:
Brenburg ac patria o superis jam reddite vota,
Multiplicate preces, ut sit huic requies.

Tertio item sepulcro inscripta fuisse hæc verba: *III. Calendas Maji obiit Segehardus clarissimi principis Brumitonis filius Christianissimus.* Hos autem principes non modo pietate ac virtute, sed etiam heroica corporis proceritate insignes fuisse, testantur ossa, quæ sepulcris continentur: mea enim ætate clam aperta sunt hæc sepulcrorum monumenta jussu Hieronymi Episcopi Brandeburgensis, in quorum uno inventa sunt ossa tam grandia, ut tibiæ attingerent coxendinem hominis mediocris staturæ. Sane dolendum est, neminem prodidisse memoriæ res gestas horum laudatissimorum principum. Quantum enim ex epitaphiis intelligi potest, multa ab eis præclare gesta sunt pro religione Christiana, quorum memoria prorsus extincta est. Quapropter ne principum gloria oblivione posteritatis ita obruatur, eis magnæ curæ esse debet, ut egregia ipsorum facta literis mandentur. Non enim est diuturna rerum gestarum gloria, nisi monumentis literarum conservetur.

V.



V.

GEORGII SABINI

THEODORICUS MARCHIO BRANDENBURGENSIS.

SUMMARIA.

§. I. *Ejus insolentia, cujus duæ adducuntur causæ.* §. II. *Suæ ditionis Vandalos multis afficit injuriis, & gravissimis contumeliis, Duci Saxoniæ Bernardo, ut sororem suam, Mistovoio jam desponsam, alii matrimonio jungeret, suadens, eumque canem appellans.* §. III. *Quas omnes injurias Mistovoius in conventu Procerum Vandalicorum plenus ira exponit.* §. IV. *Eosque, ut has injurias se-*

cum bello ulciscantur, hortatur. §. V. *Quem Mistovoii animum Naccon principum quidam publica laudat oratione.* §. VI. *Ceterique Principes & Proceres omnes in bellum Marchioni & Saxoni inferendum consentiunt, Vandalique a Religione Christiana deficiunt.* §. VII. *Impetu ergo in Marchiam & Saxoniam facto, nobilissimas excidunt urbes & crudelissime saeviunt in Ecclesiae ministros.* §. VIII. *Saxo rebus suis diffidens detrectat praelium. Marchio vero fretus copiis suis cum hostibus confligit.* §. IX. *Sed victus turpiter fuga salutem quaerit.* §. X. *Urbis Brandenburgi excidium. Bernardi Saxoniae Ducis praelium secundum, & cum Vandalis conciliata pax.* §. XI. *Quam Theodoricus nunquam impetrare, aut vi suam ditionem recuperare poterat. Transegit ergo reliquum vitae tempus in exilio cunctis invisus, & suam tandem agnoscens miseriam.*

§. I.

QUemadmodum vita Hugonis plena est honestissimorum exemplorum, ex quibus documentum virtutis ac prudentiae capitur: Ita Theodorici vita, quam nunc descripturi sumus, exempla suppeditat, quibus admonentur Principes, ne quid

quid insolenter & injuste faciant; sed Deum, cujus ipsi sunt Ministri præ oculis habeant; & respiciant ad exitum tristem & calamitosum, qui insolentes ac injustos comitatur. Deus enim superbis resistens poenas repetit ab omnibus, qui auctoritate ac potentia, in qua sunt, abutuntur. Fuit autem Theodoricus Segehardi, optimi Principis, filius, & Hugonis ex fratre nepos: Sed non eadem, qua illi, prudentia & felicitate administravit Rempublicam. Gessit enim se insolentius tam erga exteros, quam erga suos. Quapropter magnis calamitatibus etiam affectus atque afflictus est. Faciebant autem eum insolentem duæ res, quibus principes plerumque redduntur superbi & efferati; nempe magna potentia, qua se contra fortunam dominam rerum humanarum quasi propugnaculo munitum esse confidebat: ac studium rei militaris, quo ita erat incensus, ut undique materiam belli quæreret. Solus enim possidebat omnes totius Marchiæ provincias, eratque instructissimus ab apparatu belli; & jam periculum fortunæ fecerat, secundis aliquot præliis usus. Ad hæc habebat a consiliis homines arrogantia & elatione insignes, quorum impulsu nihil non temere & injuriose fecit, sicque depravatus est, ut induceret animum, sibi licere, quod vellet.

§. II.

Itaque efferebat se insolenter, & cum bonam Vandaliæ partem teneret, Vandalos & barbaros odio prosequebatur, ac multo tributo onerabat, præter ceteros suæ ditionis populos: quod minime prudenter ab ipso factum est. Nulla enim res majorem populi benevolentiam principi conciliat, quam si ipse omnes suos cives pari studio & amore complectatur, cujuscunque licet na-

tionis, vel conditionis fuerint, modo se honeste gerant. Quin etiam effecit in contumeliam gentis Vandalicæ, ut duo Lusatiorum principes ab Imperatore Henrico secundo capti, laqueo suspenderentur. Fuitque suasor Bernardo, Duci Saxoniæ, ut suam sororem Mistovoio, Obotritorum regulo, desponsam, alteri desponderet: nec veritus est aperte dicere, Vandalos esse indignos, quibus cum Germanicus sanguis misceretur: ac Ducem Saxoniæ admissurum dedecus, si se cum isto cane (sic enim Mistovoium appellavit) affinitate devinciret. Hæ vero contumeliosæ voces non solum Theodorico, sed & universæ & ipsius patriæ & Saxoniæ, reique Christianæ, multum calamitatis attulerunt:

§. III.

Iis enim auditis, Mistovoius tam graviter exarsit, ut dolori suo ne pietatem quidem erga Deum anteferret, sed cum omnibus, in quos imperium tenebat, a religione Christiana deficeret. Erat eo tempore florentissima Vandaliæ civitas Rethra, cujus nunc ne vestigium quidem exstat. Ibi Mistovoius cum suo fratre Mizzodrago, ac duobus patruis, Naccone & Sederico, conventum egit, ad quem omnes Vandalorum proceres confluxere. His in concilium vocatis, ipse atrociter memorat, quam indignam acceperit injuriam a Duce Saxoniæ, pro multis magnisque officiis in illum collatis. Se enim in bello contra Cæsarem, in expeditione Italica contra Saracenos, pro ipsius salute pericula subiisse, suam vitam hostium telis objecisse, vulnera accepisse, sanguinem effudisse; illum vero horum beneficiorum immemorem, egisse secum perfidiose, ademisse sibi sponsam, ac tradidisse alteri in matrimonium, qua injuria vix fieri posset quicquam indignius.

Dein-

Deinde conqueritur de contumeliis, quæ acerbiores principibus esse solent, quam injuriæ: & commemorat, Marchionem Brandeburgensem verbis contumeliosissimis insequi universam gentem Vandalicam, seque ab illo canem appellari. Sibi vero nihil ad dolorem acerbius accidere, quam ita contemni & despici, ut ne hominis quidem appellatione dignus habeatur: Seque disrumpi dolore, cogitantem de duobus principibus Lusatiæ, illo ipso autore, per ignominiam suspendio necatis: Ait miseros ipsorum populares & consanguineos illic divexari infinitis exactionibus; nullum jus petentibus eis reddi; eos impune verberari, vulnerari, occidi. Deplorat simul conditionem ac fortunam totius gentis suæ, quæ cum olim propter virtutem in magna fuerit gloria: Romam orbis terrarum caput, & Carthaginem æmulam imperii Romani in potestate tenuerit, nunc omnium despicatissima sit, nec hominum, sed canum loco habeatur.

§. IV.

Postremo orat obtestatur omnes, per egregia majorum facinora, per manes & inclytum nomen regis Geuserici, cujus ductu & auspiciis olim Vandali Africa, Sicilia & Italia potiti fuerunt, denique per omnia, quæ unicuique grata & jucunda esse solent, si quid adhuc animi, si quid pristinæ virtutis habeant, ut commoveri & excitari indignitate rei, ut suam omnium vicem ulcisci velint. Se paratum armis persequi tales injurias & contumelias, si modo ipsi consenserint. Nec dubitare omnia sibi prospere & feliciter eventura, suscipienti bellum pro dignitate patriæ, pro asserenda suorum popularium libertate, qui in Saxonia & Marchia sub durissimo servitutis jugo vivant. Deos enim piis & honestis

coeptis favere; quos ut ipse magis propicios etiam habeat, se jam re nunciare Christo, ac profiteri cultorem veteris illius religionis, quam hactenus, non sine multorum offensione despexisset: hanc religionem, se rursus propugnaturum, in hac se permansurum ad exitum vitæ, & abrogaturum omnes sacrorum ritus a Christianis acceptos. Tempus vero dari nunc opportunum, cum Imperator Romanus multis bellis occupatus, nequeat subvenire iis, quibus ipsi bellum facturi sint: & ut maxime non sit occupatus, tamen ipsorum vires nondum ita fractas & debilitatas esse, quin si conjungantur, tantos conficere possint exercitus tamque firmos, quibus non modo Saxoniæ & Marchiæ, sed universæ Germaniæ clades inferatur. Nec defutura eis auxilia externa; Prussos, Lituanos, ceterosque hostes Christiani nominis, facillime adduci posse, ut in societatem belli veniant.

§. V.

Hæc furens ira cum dixisset, proceres, qui aderant, intuebantur principes: inter principes vero ætate & consilio præstabat Naccon, sed barbara superstitione imbutus, alienum a Christianis animum habebat. Is igitur ubi omnium & principum & procerum oculos in se conjectos videbat, ad Mistovoium conversus: Sæpe (inquit) admonui te, ut dimitteres Christianorum non modo amicitiam, sed etiam religionem, utrumque enim displicuit mihi: tum quod patrios Deos, quorum numine res Vandalorum incolumes fuere, non agnoscebas: tum quod illos observabas, illos amplexabaris, quos ex animo odisse debebas, utpote a quibus majores nostri amplissimo regno spoliati sunt: anne prædixi fore, ut te aliquando istius novæ religionis & institutæ cum illis amicitiæ

citiæ poeniteret? nunquid eventus jam respondet meæ prædictioni? sed ne acerbius te exagitem, qui toties admonitus non auscultaris, mirifice gaudeo, istam præclaram societatem & amicitiam, quæ inter te & Christianos fuit, conversam esse in tales inimicitias: idque divinitus accidisse mihi persuadeo: nisi enim evenisset, tu Deos patrios haud dubie nunquam agnovisses: Voluntatem quoque tuam laudo, quod profiteris te persecuturum contumelias in nos dictas. Ego enim, cui nomen & dignitas patriæ hac ipsa, qua fruor, vita charior est, profecto malim emori, quam illas non ulcisci: nec bonum ac fortem virum judico, qui famam & existimationem suæ gentis non perinde ut moenia, in quibus natus & educatus est, propugnaverit. Moveor etiam calamitate nostrorum, quos audio gravi servitute oppressos, illic indignissime tractari, ubi olim fuit sedes ac domicilium nostræ libertatis. Postremo cum cogito, quam turpi & ignominioso supplicio Principes Lusatiæ, tanquam fures affecti sint, non possum non vehementer indignari. Eorum enim infamia certe nos, propter communem patriam, omnes attingit. Quare ad faciendum illis bellum, a quibus tot urbibus ac provinciis spoliati, religione privati, tot injuriis affecti, tot denique contumeliis onerati sumus, omnes meas opes, omnes vires libenter confero, subiturus tecum eandem belli fortunam, cum omni vitæ periculo. Quod si successus (ut spero) votis adspiraverit, nos ita tractabimus hostes, ut injuriæ injuriis, & contumeliæ contumeliis compensentur.

§. VI.

Hac oratione ceteri principes inducti, una & mente & voce consentiunt, arma adversus Saxonem & Marchio-

chionem esse capienda: quam Principum sententiam & proceres secuti, conclamant, omnium mentes cum eorum voluntate consentire, seque justissimo eorum dolori non defuturos; velle omnes se offerre ad mortem pro patria, & magno animo ulcisci injurias a Christianis acceptas, etiamsi debeant Christum habere perpetuo inimicum. Sunt enim Vandali animo impotenti, facile commoventur, & commoti irascuntur gravius, quam sani hominis cogitata ratio postulat. His actis mittitur fecialis ad Theodoricum, qui significet, Mistovoium, canem istum Vandalicum, jamjam editurum latratus, effecturumque morsus, quos tota Marchia & Saxonia perhorrescat. Quæ ubi per fecialem nunciata, Theodoricus non obscure intelligens, bellum sibi his verbis denunciari, aspere & ferociter respondet, se non terreri fremitu ursi, multo minus latratu canis, qui si molestus fuerit, se curaturum canicidas, qui latratum & rabiem illius compescant. Hoc responso Vandali plus exacerbati, summo studio & ardore bellum parant, cunctique simul deficiunt a religione Christiana, quam non ita pridem amplexi fuerant, nempe Obotriti, Vagrii, Rugiani, Cassubii & Lusatii. Hi enim populi omnes tum inter Vandalos numerabantur, ac magna ex parte Mistovoio & fratri ejus parebant.

§. VII.

Coacto igitur exercitu in Marchiam & Saxoniam impetum faciunt, copiis dispartitis: agros quacunque incedunt, late populantur: oppida quibus potiuntur, diripiunt, direpta inflammant & excidunt, ac in primis eversionem inferunt templis, ad explendum odium in Christianos: sacra profanaque omnia polluunt: homines cujus-

cujuscunque generis & ætatis trucidant, præsertim ecclesiæ ministros, quorum alios in fornacem, aut pyram ardentem conjectos, alios pedibus ad arbores suspensos immanissimo afficiunt supplicio, nonnullis etiam nares auresque abscindunt, pedes manusque amputant, atque ita ludibrio habitos & excruciatos trucidant. Hac Vandalorum rabie Oldenburgum exciditur, urbs Saxoniæ ampla & pervetusta, quæ miserabili istius belli calamitate in tantam vastitatam redacta est, vix ut oppiduli nomen amplius tueatur. Ea in urbe perhibentur necati sexaginta ecclesiastici ordinis viri, quibus per ludibrium cutis de vertice ad aures detracta est, signo crucis inciso. Hamburgum quoque exciditur, nobile emporium, in cujus excidio similis impietatis & crudelitatis exemplum in presbyteros editum est.

§. VIII.

Hac urbium suarum clade Bernardus, Dux Saxoniæ perculsus, opem & auxilium totius Germaniæ implorat, suisque rebus diffidens, non temere prælio decertandum existimat. At Theodoricus majore animo, quam consilio congreditur, & confligit cum hoste, non exspectatis auxiliaribus copiis. Nam incredibili armatus audacia, sibi turpe ducit, differre pugnam in adventum auxiliariorum, nihilque certius sibi pollicetur, quam victoriam. Admonitus vero de periculo, in quod respubl. sit ventura, si forte infeliciter pugnetur, omnia, quæ pertimescenda sunt, verbis extenuat. Plurimorum hæc erat sententia, non justa acie, sed tumultuariis præliis impetum hostis reprimendum, & ab effusa populatione continendum esse, donec auxilia vel ab Imperatore, vel aliis missa subsidio veniant. Sed repudiata hac sententia, ipse non cunctandum existimat, quin agri & oppida va-

ſtatione liberentur: jactat virtutem paucorum in acie præſtare immenſæ multitudini nullum militiæ uſum habenti, ac gloriatur, ſe effecturum collatis ſignis, ut tanta barbarorum colluvies ad internecionem cædatur: ſibique neceſſe non eſſe, hanc victoriæ gloriam cum aliis communicare. Ita excæcat Deus, quos everſurus eſt, ut ſalutaribus conſiliis monitisque ſpretis, ad exitium præcipites ferantur.

§. IX.

Commiſſo igitur prælio decertatum eſt infeliciter. Ipſe enim, quanquam habebat non exiguas copias, ex delectu fortiſſimorum militum comparatas, quæ & hoc animo pugnabant, ut non dubitarent, in ejus prælii caſu ſpem vitæ, ac ſuarum omnium fortunarum eventum conſiſtere: tamen a multitudine, quæ nimio major erat, devictus & caſtris exutus fuit. Tum vero Marchia, omni præſidio nudata, in hoſtis poteſtatem venit; in eo enim prælio flos militum interiit, omnesque cæſi fuerunt, in quibus reipubl. ſalus nitebatur. Theodoricus autem cum paucis equitibus pugna elapſus Brandeburgum confugit: eratque ibi collecturus novum exercitum, niſi victor confeſtim inſecutus, omnes belli vires, ad oppugnandam urbem contuliſſet. Qua difficultate territus, cum nihil neque conſilii, neque ſpei haberet, nocturnæ fugæ conſilium cepit: verebatur enim, ſi moenibus obſidione cinctis includeretur, ne in extremum diſcrimen veniret: itaque ex urbe clam exceſſit, relicto civibus mandato, ſi oppugnationem ſuſtinere poſſint, donec aliquid ſubſidii comparetur, ut in fide permaneant, ſi vero non, ut tempori ac neceſſitati ſerviant.

§. X.

Miſtovoius caſtris ad urbem poſitis, dat mandatum Bran-

Brandeburgensibus afferendum, nisi ante quam muri oppugnentur, deditionem fecerint, se omnes, eorumque omnia, domus, liberos, conjuges, in prædam militibus concessurum. Illi hostis potentiam & minas veriti, absque mora se dedunt. Facta deditione, Vandali contra fidem cives invadunt, inermes trucidant, domos diripiunt, matresfam: ac puellas ante parentum & maritorum ora constuprant, sacerdotes & monachos in templis mactant crudelissima morte, eorumque membra convulsa & discerpta ad aras divorumque imagines dispergunt, ipsa vero templa, præter ædem Beatæ Virginis, omnia evertunt. Hanc enim Triglæ consecrant, prisco Vandalorum idolo, quod triceps ac turrita corona redimitum fuisse perhibetur. Interea Saxoniæ Dux auxilia nactus, secundum prælium fecit, quo hostium vires non nihil fractæ ac debilitatæ sunt: eaque victoria fuit occasio pacis inter Saxones & Vandalos reconciliandæ. Nam Sedericus eo in prælio fuit captus, de quo redimendo cum agebatur, res ad pacem adducta est.

§. XI.

Theodoricus vero quoad vixit, nulla unquam aut reconciliatione, aut vi suam ditionem a barbaris recuperare potuit: neque amicorum quenquam habuit, per quem restitueretur, omnibus adeo invisus, ut nemo eum adspiceret, quin ingemisceret; nemo ejus mentionem faceret, quin eum execraretur. In perpetuo igitur exilio vitam traduxit miseram, Magdeburgi eleemosyna Canonicorum sustentatus. Hic fuit exitus principis nobilitate generis & potentia clari: qui cum in miseriam hanc incidisset, tum demisit animum, quo nihil antea fuerat elatius, agnovitque se vindice & ultore Deo, e divitiis in paupertatem, ex alto & illustri loco in infima

dejectum esse, propter injustitiam & insolentiam, quod nimium onerasset suas cives, quod potentia & assentationibus inflatus, vix se hominem esse meminisset. Quoties enim calamitatem suam lamentabatur, fassus est palam, se dare poenas eorum, quæ superbe & intemperanter egisset, idque his verbis: Excitavi ego iram Dei adversus me, cum imposui nimium operis populo meo, cujus me curatorem, non afflictorem Deus constituerat: cum opibus armisque fretus nihil moderate feci: Sustineo igitur poenas justas ac debitas, & rerum humanarum infelix spectaculum præbeo. Has lamentabiles voces non semel edidisse fertur: ac quanquam erat redactus ad mendicitatem, tamen eum non tam cruciabat afflicta fortuna, quam conscientia magnorum delictorum. Etenim quoties ei in mentem venit, quantarum calamitatum fuisset causa, solitus est illacrymare, ac miserandum in modum deplorare templorum, urbium, agrorum inflammationem, direptionem, vastationem ac infinitam hominum cædem. Ac inprimis deploravit tot populorum defectionem a religione Christiana factam. Sæpe conquestus est etiam de consilariis, quos habuerat etiam adjutores & ministros injustarum actionum: & quorum assentatio ei attulerat tantos spiritus, ut non dubitarit, concitare offensiones, unde teterrimum bellum nasceretur. Incusavit denique & se ipsum, qui recte monentes aversatus & ad voluntatem loquentes plurimum apud se valere passus esset. Ita fit, ut principes, apud quos improbi consiliarii, meliori conditione & majori in gratia sunt, quam boni, non nisi tristissimo casu edocti, errata sua agnoscant.

)o(

VI.



VI.

JUSTUS CHRISTOPHORUS DITHMAR,

DE

HUGONE MARCHIONE TUSCIÆ, QVI MARCHIO BRANDENBURGENSIS FUISSE VULGO CREDITUR.

SUMMARIA.

Conjuratio Romanorum adversus Ottonem III. Imperat. ejusque liberatio ope Hugonis Marchionis Italiæ §. I. *quem Scriptores Marchici Brandenburgensem Mar-*

Marchionem fuisse scribunt §. II. *Inscriptione quadem inducti* §. III. *Sed errore, quem Baronius primum notavit* §. IV. *Genuinus Ortus Hugonis testimoniis Scriptorum* §. V. *& Diplomatibus confirmatus* §. VI. *Nullum quoque vulgari Sententiæ præsidium in Scriptoribus recentioribus* §. VII. *nec in memorata Inscriptione* §. VIII. *Genealogia Hugonis juxta Baronium & Pagium* §. IX. *Fabulosam esse Vitam Hugonis, quam Georgius Sabinus descripsit* §. X. *descriptio Hugonis ex Petro Damiani* §. XI.



§. I.

CUm Otto III. Imperator id ageret, ut Patris Avique exemplo, supremum in Italiam urbemque Romam Imperium Germanis vindicaret, tertiaque illuc suscepta expeditione à Crescentio Consule, qui Patriciatum Urbis affectabat, novasque excitaverat turbas, grave supplicium sumsisset; tantum, referunt, absuisse, ut seditiosi homines ad frugem redierint, ut ipsum Imperatorem, Gregorio, altero Consule, instigante è medio tollere studu-

ſtuduerint, atque obſeſſo jam ejus Palatio, procul dubio voti ſui compotes facti fuiſſent, niſi Henrici Bavariæ Ducis & Hugonis Marchionis Italiæ ope, violentas ipſorum manus, una cum Sylveſtro II. P. Imperator evaſiſſet. DITHMARUS lib. IV. p. 357. apud Leibnizium de S. R. B. T. 1. *Cunctis apud Tranſalpinos bene diſpoſitis, Romanum viſitavit Imperium Romuleasque pervenit ad arces. Ubi ab Apoſtolico cæterisque Epiſcopis magnis laudibus ſuſcipitur. Poſt hoc Gregorius, qui Cæſari valde charus erat, dolo eum capere niſus occultas tendebat inſidias. Quibus collectis, & ex improviſo adverſus eum jam inſurgentibus, Imperator de porta cum paucis evaſit, maxima ſuorum caterva ſociorum incluſa, & vulgus nunquam ſuis contentum Dominis malum huic pro ineffabili pietate reſtituit.* Opis vero, quam Henricus D. Bavariæ & Hugo Marchio Imperatori in iſto vitæ periculo præſtiterunt, TRITHEMIUS *Chron. Hiſt.* ſub Conrado 1. Abbate; VINCENTIUS BELUACENSIS *Spec. Hiſtor.* lib. 24. c. 108. ANTONIUS P. II. tit. 16. c. 3. SIGONIUS *de Regno Italiæ* lib. 8. aliique meminerunt.

§. II

Iſtum Hugonem è familia Marchionum Brandenburgenſium ortum, atque BRUNICONIS ſ. BRUMITONIS, tertii Marchionis Brandenburgenſis filium fuiſſe, Scriptores Marchici referunt, aliique familiari errore crediderunt. *WOLFGANGUS JUSTUS de ſeptem Inſign. famil. Brandenb.* *Hugo*, ſcribit, *filius Brumitonis Marchio Brandenburgenſis, primus Elector Imperii Romani, Vicarius & ſupremus Præfectus Ottonis III. Imperatoris propinqui*

ſui

fui in Etruria Italiæ per sex annos, quem Romæ obsessum consilio pleno fidelitatis & Prudentiæ liberavit, ex Etruria Romam advolans, adducto secum Henrico Bavariæ Duce, qui postea Ottoni III. successit in Imperium. ANDREAS ANGELUS *Annal. Brandenb.* p. 58. Vom Marggrafen Hugone zu Brandenburg, so der erste Churfürst soll gewesen seyn, lieset man, daß Ihn Käyser Otto dis Nahmens der dritte zum Statthalter in Tuscia und Hetruria angenommen und verordnet habe. Item p. 59. Als Käyser Otto dis Nahmens der III. zu Rom Weynachten gehalten, haben die Römer wider Ihn ein Aufruhr gemacht und Ihn im Capitolio beklaget, hätten Ihn auch ohn Zweiffel sampt allem Kriegs-Volck, so Er damahls bey sich gehabt, erschlagen, wenn Ihn Marggraf Hugo von Brandenburg des Reichs Vicarius und Statthalter in Welschland nicht wunderlicher weise hätte davon geholffen. Denn so bald Er dieses Lermes verständigt worden, ist Er aus Tuscia eilends im 1001. Jahr gen Rom gezogen sampt Hertzog Heinrich in Beyern, der darnach Römischer Käyser worden ist: Und weil Ihm nicht unbewust, daß der Herr Omnis oder der gemeine Pöbel in Eil mit keiner Gewalt zu stillen wäre, desgleichen, daß der Käyser die Belagerung in die Länge nicht würde ausstehen können, aus der Ursach, daß das Teutsche Krieges-Volck zum mehrern Theil erschlagen gewesen, so hat Er sich mit wenig Volck in die Stadt begeben, mit dem Vertrauen, daß Er sich umb die Bürgerschafft wohl verdienet hätte. Hielt sich auch alsbald auf bey der Signorie, handelt mit derselben freundlich rc. GEORGIUS SABINUS *in vita illius Hugonis*, quæ *Observat. Select. Halens.* T. III. Observat. XVI. denuo recensita est, *Imperante*, scribit, *Ottone III. Marchi-*

am Brandenburgensem tenuit Hugo Princeps clarus & honoratus, qui in Italia magnam celebritatem famæ consecutus est. Egit enim illic Vicarium Othonis, cui erat propinquitate conjunctus, & Hetruriæ Provinciam fidei suæ commissam fidelissime gubernavit. Et postquam ejus præclara gesta fidemque Othoni præstitam laudaverat, *Patrem*, inquit, *Brunitonem habuit, matrem Wilecam; Fratres Menfridum, Hermannum & Sigebardum.*

§. III.

In illam vero opinionem scriptores istos, inprimis hac adductos video sepulchri Hugonis ac Monumenti, quod in Abbatia Florentina Benedictini Monachi in ejus, utpote benefactoris sui honorem posuerunt, inscriptione:

UGONI IMP. AFFINI ET COMITI MARCHIONI * BRANDENBURGENSI HETRURIÆ PRÆFECTO QVOD D. BENEDICTO HIC OLIM, ET SEX ALIA COENOBIA CONDIDIT, PII HUJUS LOCI MONACHI DE SE BENEMERITO SEPULCHRUM VETUSTATE ATTRITUM INSTAURARUNT ANNO SALUTIS MCCCCLXXXIII. OBIIT ANNO SALUTIS MI. XI. CAL. JANUARII.

* Ita Johannes Mabillonius in *Itin. Ital.* aliique referunt; Baronius vero legit MAGDEBURGENSI.

§. IV.

Primum vero Baronius istos Hugonis natales ex sanguine Germanico explosit, atque tam in Auctores memoratæ Inscriptionis, quam vitæ Hugonis, *Annalium Ecclesiasticorum* T. XI. p. 11. Editionis Antwerpiensis, (in Romana enim plurima, quæ ad Hugonem spectant, desiderantur) his verbis invehitur: *Siccine didicerunt aditui de benefactore adeo insigni bene mereri. Et quod deterius, ejusdem Hugonis Vitam locupletatam mendaciis edere? quæ piget enumerare & deforme illud, quod vestibulum ingredienti Lectori fit obviam, non invitans ipsum sed verberans & expellens. Dum ibi asseritur, Hugo iste fuisse Princeps Magdeburgensis, Etruriæ vero ab Ottone III. Imperatore Præfectus, quibus adversantur Petrus Damiani, Luitprandus, Glaber & alii ejusdem temporis Scriptores, dum ostendunt, hunc non Germanum, sed Italum, avitaque hæreditate possedisse Principatum Etruriæ. At non est nostri Instituti hic errores reliquos numerare ac confutare fabulas inani ibi studio concinnatas. Præstat tanti Principis vitam è purioribus deducere fontibus, nempe à Petro Damiani & aliis, ex quibus nobilissima Florentinorum ingenia panegyricas Orationes dici solitas, dum eidem parentatur annis singulis die anniversaria obitus ejus, feliciori Minerva depromant.*

§. V.

Causam habuit Baronius, cur imperitis Monachis ita succenseret. PETRUS enim DAMIANUS, qui jam circa annum 1046. *S. Crucis Avellanæ* in Italia Mona-

Monachus, atque postea Episcopus Ostiensis & Cardinalis, rerumque publicarum gnarissimus fuit, Lib. VII. Epist. 12. p. 647. de Ortu Hugonis, *Obertus*, scribit, *Marchio Pater ejus, Hugonis naturalis filius extitit: qui nimirum Gvillam Majoris Bonifacii Marchionis filiam conjugali fœdere copulavit.* De Hugone vero Italiæ Rege, avo Hugonis nostri *LUITPRANDUS Lib. III. c. 5. Hic*, refert, *ex Francorum genere ex genere Teutonicorum uxorem acceperat nomine Aldam, quæ filium ei genuerat nomine Lotharium. Habuerat sane tunc temporis ex quadam muliere nobilissima, vocabulo* WANDELMODA *filium nomine Hubertum, qui nunc usque superest & Tusciæ potens Princeps habetur.* Nempe ARELATENSIUM seu PROVINCIALIUM COMES fuit, ut idem scriptor dixerat capite præcedenti.

§. VI.

Ad illam quoque Originem suam ex sanguine Francorum procul dubio respexerunt Hugonis illius filius *Obertus* & Nepos *Hugo*, de quo agimus, quando diplomata sua, quorum multa apud *PUCCINELLUM in Chronico Abbatiæ Florentinæ* referuntur, hoc modo inscribunt, *EGO UBERTUS MARCHIO LEGE VIVENS SALICA &c. EGO UGO gloriosissimus Marchio filius Domini Uberti, qui fuit Marchio LEGE VIVENS SALICA. &c.* Etsi enim illa loquendi formula, lege salica vivere *CIRONIUS in Observat. jur. Canon.* velit indicari, quod liberum fuerit Proceribus Italiæ, an ad leges Romanas, an Lombardicas, an Salicas se componere voluerint, ut Franci in Germania vel Legibus Francicis, vel Romanis

 sese

sese subjicere potuerint, illucque is pariter ac Cl. *GUNDLINGIUS* Parte XVII. *Gundlingian.* Eginhartum in Vita Caroli M. c. 29. respicere, haud inepte suspicentur; nihil tamen impedit, quo minus eadem formula Hugonis nostri originem simul confirmet, tantoque is lubentius leges Salicas amplexus fuisse credi possit, quod Prosapia ipsius Francicæ originis fuerit.

§. VII.

Sed & nec recentiores Scriptores, præter Marchicos ullibi Hugonem Brandenburgensem Marchionem, sed vel Marchionem simpliciter, vel Italiæ & Tusciæ Marchionem vocant. TRITHEM. *in Chron: Hirsaug.* sub Conrado 1. Abbate p. 54. postquam periculi, in quod Otto imperator incidit, mentionem fecerat, *Qui*, inquit, *per industriam Henrici Ducis Bavariæ & HUGONIS MARCHIONIS simulato pacto vix extractus à Roma discedit comitante Papa.* *SIGONIUS de Regno Italiæ* lib. 8. *Quibus* (Romanis) *Otto cum se parem opibus non esse sentiret, egregia Henrici Ducis Bavariæ & HUGONIS MARCHIONIS industria conditionibus simulatis eductus, Roma cum Pontifice Sylvestro decessit.* Nec aliter *VINCENTIUS BELUACENSIS Spec. Hist.* lib. 24. c. 108. *ANTON. FLORENT.* P. II. Tit. 16. No. 4. *ADELSREITER Annal. Bavar.* Parte I. lib. 15. pag. 362. aliique ipsius meminerunt, adeo, ut frustra ad hos provocent Scriptores Marchici.

§. VIII.

Nec magis ipsos juvat memorata Inscriptio, in qua Hugo Marchio Brandenburgensis vocatur, quippe quæ

recentioris est temporis, atque ab imperitis Monachis, bono quidem animo, sed insigni errore, quod ad Hugonis Patriam attinet, posita fuit. Hugonem vero istum ANDEBURGENSEM dictum fuisse, cujus loco Monachi *Magdeburgensem vel Brandenburgensem* scripserint, putant JOH. MABILLONIUS in *Itin. Ital.* & BARONIUS l. c. ipsi tamen nescii à quo ANDEBURGO. Crederem potius à florenti olim in Ducatu Carinthiæ familia *Artenburgica s. Ortenburgica*, quæ aliquot Istriæ & Carniolæ Marchiones protulit, Hugonem nostrum *Artenburgensem* quoque vulgo dictum, idque nomen alio errore in *Brandenburgensem* à Monachis mutatum fuisse. Vetus ac genuinum Epithaphium olim deperditum, sed repertum, hoc fuisse refert Baronius l. c.

EPITAPHIUM HUGONIS DUCIS TUSCIÆ MARCHIONIS.

Fluctuat in terri	S qui semper vivere quæri T.
Luminis & stabil	I non manet ille grad V.
En Ego dives Ugo D	Vx fulsi nomine claru S.
Rexi jura pi	E tegmine Carminis in ho C.
Et docui mite	M pravum sub fasce coeg. I.
Me raptor furt	A pavit amare mal A.
Afrum me colui	T Regnum & qui rexerat illu D.
Roma mihi paru	It, ut pater hanc domu I.
Iste tamen tumulu	S me claudit marmore parvuS.
Tusca manus flore	T mortis honore sub ho C.
Ut me pœnæ ardo	R non urat Lector ador A.
Mundo corde De	Um, qui bona cuncta regi T.
	More benigno.

§. IX.

Quod ergo ad Genealogiam Hugonis attinet, hanc tradit Baronius;

HUGO Comes Provinciæ
& Rex Italiæ.

ALBERTUS Marchio
Etruriæ.

HUGO Marchio Etruriæ.

BONIFACIUS Fratris in Marchionatu Successor.

ANTON. v. *PAGIUS* in *Crit. Hist. Chron.* T. II. pag. 88. à Baronio paulo abit, atque genuinam demum Hugonis Prosapiam è probatis documentis eruit, sicque exhibuit;

HUGO Rex Italiæ,
Concub. *Wandelmoda.*

HUBERTUS s. OBERTUS
Marchio Etruriæ.
Uxor *Guilla* Bonifacii Marchionis Spoletani filia.

HUGO Tusciæ Marchio obiit sine liberis

VILLA.

Sigfridus

Adelbertus

THEDALDUS Successor Hugonis in Marchion. Tusciæ.

BONIFACIUS
Marchio Tusciæ.

MATHILDIS famosissima, femina.

§. X.

§. X.

Ex his satis, opinor, constabit, errare, qui Hugonem Marchionem Etruriæ vel è Principum Atestinorum prosapia, quos Celeberrimus Vir, *JUSTUS FONTANINI in defensione Dominii Apostolicæ sedis in Civit. Comach.* §. XXX. pluribus refutavit, vel cum Scriptoribus Marchicis à Marchionibus Brandenburgensibus arcessunt. Si quoque verum est, ut non dubito, quod Baronius & Pagius l. c. contendunt, Hugonem istum Marchionem A. C. G. 1001. jam obiisse, quæ de auxilio Ottoni III. Imperatori, cum is anno 1002. à Romanis in suo Palatio obsideretur, ab Hugone præstito *GEORGIUS SABINUS* in memorata Hugonis vita post alios retulit, non minus fabulosa erunt, quam quæ de origine Collegii Electoralis, & primo Electore Brandenburgensi ibidem tradit.

§. XI.

Istius autem Sabiniani fœtus loco Hugonis descriptionem, quam *PETRUS DAMIANI* lib. VII. Epist. 12. concinnavit atque Gothefredo Duci & Tusciæ, post Bonifacium, Marchioni in exemplum proposuit, subjungere operæ pretium duxi. Ita vero ille: „Ut autem domesticum tibi, vel ut ita loquar, vernaculum præ-„ beamus exemplum, nemo melius occurrit, quam gloriosæ„ memoriæ Hugo Dux, & Marchio, qui eum, quo tu nunc„ fungeris, obtinuit Principatum. Obtinuit, inquam, u-„ tramque Marchiam, & quam Tyrrhenum videlicet & quam„ mare Adriaticum alluit; Sed cum perpenderet, quia propter„ improbitatem injustè viventium, strenue regere utramque„ non posset, ultroneæ renunciationis arbitrio, cessit Impera-„ tori Marchiam Camerini cum Spoletano Ducatu, juri vero„ pro-

„proprio Tusciam reservavit. Hujus tempore Capuanus „Princeps, si rite rem teneo, dum manibus chirotecas vel„let adducere, hi, qui adversus eum conspiraverunt, ei por„tinus quasi subservientes, occurrunt, manus ejus utrasque „complodunt: & mox evaginatis gladiis, eum confodientes, „interimunt. Quod mox, ut incomparabilium virtutum „viro, Hugoni videlicet Marchioni, qui dictus est, patenter „innotuit, nil moratus Capuanam urbem numerosis exercitu„um legionibus circumfudit: eamque tamdiu bellicis arma„torum copiis expugnare non destitit, donec ex ea victoriam „caperet, & interfectores Domini sui, digno necis supplicio, „trucidaret. De quo nimirum & alia tot virtutum insignia „referuntur, ut prolixitate temporum splendida nominis ejus „fama aboleri nullatenus valeat: sed quasi virens semper ac „florens, in ore hominum solemniter vivat. E quibus & „nos scribere nonnulla possumus, quæ forent ædificationi Pro„cerum profutura: sed quia dum nobis dicerentur, singula „gestorum verba notare neglexímus, ne, quod absit, aliquo „fallamur in verbo, scribenda hæc aliis delegamus. Breve „tamen quod audivi de puerili ejus ætate, non taceo: Ober„tus Marchio pater ejus, Hugonis Regis naturalis filius exti„tit: qui nimirum Guillam majoris Bonifacii Marchionis fili„am, coniugali sibi fœdere copulavit. Hic non multo post „indignationem primi Ottonis Imperatoris incurrit, ac subin„de relicta conjuge, Pannoniam profugus exulavit. Qui „cum longo post tempore resumptus in gratiam, rediit: ma„trem cum grandiuscula jam prole reperiens, admiratus ex„pavit. Negat homo se genuisse, quem conspicit: & Ze„lotypiæ permotus invidia, fœtæ mulieri obscœnum crimen „intendit, nequaquam se tam insperatæ rei perhibet consci„um; diffitetur se conceptionis hujus nosse mysterium: nec „posse fieri, ut se asserat patrem, qui prægnantem non reli„quit uxorem. Ad hoc tandem res diutius ventilata protra„hitur, ut non aliter, quam per actæ purificationis indicium „tam gravis objectio sopiatur. Hoc igitur ex utraque parte

„con-

convenit, ut in vasta quadam amplissimæ domus area con-„
ventus religiosarum fieret personarum: Quibus nimirum in„
subselliis suis undique considentibus puer solus in medio„
poneretur: & si patrem, quem numquam antea viderat,„
adiens peteret, ab omni proculdubio matrem suspicione„
purgaret. Quid plura? Conveniunt Pontifices, adsunt„
cum Monachis, & Abbatibus inferioris etiam ordinis Sacer-„
dotes: fletur, gemitur, suspiratur, ad cœlum oculos eri-„
gunt, pugnis pectora mœsta contundunt, profluentibus la-„
crymis tristia ora perfundunt. Dimissus itaque puer in„
medio sine papate, vel gerula, cœpit ire: & cum pater se-„
deret inter vulgus, nec ab aliis videretur ulla subsellii va-„
rietate distinctus: contemptis omnibus, puer ad eum si-„
gnanter accessit, eique tamquam notissima familiaritate„
blanditus, adhæsit. Sic itaque liberavit matrem, dum„
divino provocatus instinctu, petiit genitorem. Hoc igi-„
tur modo matri confusio tollitur, patri filius redditur: & u-„
triusque parentis affectus erga se invicem in communi so-„
bole reformatur. Omnes ergo, qui aderant, tanto stu-„
pefacti miraculo, votiva mentis conjubilatione, & dignas„
auctori Deo gratias referentes, exultant.

Hic præterea sæpe dum equitaret, comitum cuneos„
post se dimittere consueverat, & vel solus, vel uno con-„
tentus assecla, longius præcedebat; & tunc agricolas, vel„
opiliones his compellabat affatibus: Quid vobis, inquit,„
videtur de Marchione isto, quem dicunt? Numquid non„
crudelis, & impius pauperes opprimit, terram dissipat, &„
cuncta ditionis suæ bona profligat? Ad quod illi, absit, a-„
junt, absit: falsum est penitus, ò homo, quod loqueris.„
Non est enim potestas talis super terram, quæ sic violentiis,„
& rapinis abstineat, quæ in tanta pace, & securitate subje-„
ctum sibi populum regat. Vivat optamus, vivat illa po-„
testas ad refugium pauperum, prospere floreat ad omnium„
custodiam subjectorum. Quod ille audiens, exultabat in„
Domino. Unde sæpe dicebat: In tanta volo semper erga„

 sub-„

„subjectos, & præcipue rusticos, mansuetudine vivere: ut „annona, quæ caballi mei rodentis ore delabitur à rusticorum „porcellis è vestigio colligatur. Porro autem cum de se quid „diceretur, inquireret, quid aliud, quam nostri Redempto„ris imitabatur exemplum? qui nimirum cum omnia procul „dubio nosset, à Discipulis tamen, veluti nescius inquirebat: „Quem dicunt homines esse filium hominis? Cui cum illi di„versas hominum opiniones exprimerent, addidit: Vos autem „quem me esse dicitis? Scilicet ut Rex Angelorum formam „daret Rectoribus hominum, quatenus non quid in eos eorum „assentatorie dicatur, attendant; sed quod eorum testimoni„um apud absentes habeatur, inquirant. Sicque quod in se re„prehensibile ex eorum fama deprehenderint, corrigant: ad „exequenda vero bona, quæ de se dicere cognoverint, avidi„us invalescant.

„Ut autem præfati Marchionis etiam finem breviter per„stringamus, cum in extremæ valetudinis languore decumbe„ret, & totius regni lumen extingui, non parva diversorum „ordinum multitudo defleret: venerabilis quidam Episcopus, „cujus me ad præsens vocabulum fugit, hoc in ligno, quod „in igne tunc ardebat, expressum per quædam litterarum ve„stigia deprehendit: Hugo Marchio quinquaginta annis vi„xit. Cumque hoc quasi faustum omen ii, qui aderant, cre„derent: signumque hoc esse recuperandæ salutis, erectis in „spem cordibus, autumarent, paulo post ipse defunctus est.

„Hic præterea sex monasteria in sui juris possessione „construxit, quæ non modo prædiis, ac mancipiis; sed & au„reis, & argenteis vasis, diversis etiam Ecclesiasticis orna„mentis, copiosa liberalitate ditavit. In quorum uno, ve„nerabili videlicet, ac religioso, quod ad honorem Dei Ge„nitricis est in Florentina Urbe constructum, jacet cadaver „ejus humatum. Cujus obitum cum Augustus, qui tunc ha„benas Romani regebat Imperii, Otto videlicet tertius agno„visset, quia quondam adversus eum stimulo mordebatur in„vidiæ, protinus in hanc vocem congratulabundus erupit:

La-

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Sed paulo,, post eodem scilicet anno & ipse defunctus est. Sic itaque,, suam improvidus pertulit, qui de morte alterius nequiter,, exultavit: non attendens id, quod vir sapiens ait: Noli de,, mortuo inimico gaudere, sciens, quoniam omnes morimur.

Sed & illud annectere non otiosum credimus, quod in-,, ter sanctos ejusdem cœnobii Monachos celebri redolere me-,, moria frequenter audivimus. Ajunt enim, quia præfatus,, Marchio Marino Abbati, qui monasterium id tunc regebat,, per speciem nocturnæ visionis apparuit: atque, ut corpus su-,, um in supinum juxta consuetudinem volueret, quod in os,, reclinatum jacebat, admonuit. Quibus profecto visionibus,, Abbas fidem præbens probare rem voluit, & honesti viri,, corpus pronum, & in faciem jacens, sicut sibi revelatum,, erat, inveniens, reverenter, ut decebat, in latus alterum,, supinavit. Nec mirum plane, si vir istæ sepulturæ consue-,, tudinem petiit, quam & ipse circa se caput electorum omni-,, um voluit exhiberi. Dicit enim Evangelista Joannes: Quia,, Joseph, & Nicodemus acceperunt corpus Jesu, & ligave-,, runt illud linteis cum aromatibus, sicut mors Judæis est se-,, pelire. Hunc tibi prædecessorem tuum, vir eminentissi-,, me, quasi speculum statue, aliorumque tibi, qui pravitates,, hominum per rigorem justitiæ represserunt, exempla propo-,, ne. Eripe de violentorum manibus innocentes; superbo-,, rum, & contra statuta viventium, erectas frange cervices.,, Experiantur te reprobi Principem, non irrideant Sacerdo-,, tem. Nocentium fruticum radices evelle, ut fructuosa,, plantaria possint comas erigere. Sic igitur in agro Domini,,, qui tibi ad excolendum commissus est, sarculum legitimi,, vigoris exerce; ut & supernis horreis proventum centesimi,, fructus inferre, & digne remunerationis nummum,, ab eo, qui te conduxit, merearis,, accipere.,,

)o(



VII.

JO. DAVID. KOELERI DISQVISITIO HISTORICA DE PRIBEZLAO SIVE HENRICO REGE BRANDENBURGICO.

SUMMARIA.

§. VI. *Occasio disquirendi de Pribezlao Rege Brandenburgico.* §. II. *Quis fuerit Pribezlaus?* §. III. *Qua causa dicatur Rex in Brandenburg.* §. IV. *De Idolo Tryglav.*

§. I.

I.

Occasio disquirendi de Pribezlao, Rege Brandenburg.



Olicitus de argumento idoneo dissertationis inauguralis ex historia Brandenburgica petito, inter evolvendum scriptores Brandenburgicos auspicato incidi in locum vetusti chronici Brandenburgici, cujus fragmentum publicarunt MADERUS *in antiquitatibus Brunsv. p. 274.* & LEIBNITIUS *T. II. Script. Brunsv. p. 20*, qui ita se habet: *Hujus temporibus fuit in Brandenburg Rex Henricus, qui Slavice dicebatur Pribezlaus, qui Christianus factus, idolum quod in Brandenburch fuit, cum tribus capitibus, quod Triglau Slavice dicebatur, & alia idola destruxit, idololatriam & ritum gentis suæ detestans, cum filium non haberet, Albertum Marchionem, dictum Ursum, heredem sui instituit principatus,* Merito itaque disquirendum censui, quis fuerit ille Pribezlaus sive Henricus, & qua ratione Rex in Brandenburch a vetusto autore chronici illius dicatur.

§. II.

Quis fuerit Pribezlaus.

Pribezlaus sive Henricus, qui in dicto loco occurrit, fuit Filius Buthue, & Nepos Godescalchi, Pronepos Utonis, Abnepos Mistivvoi, Principum Slavorum celebratissimorum; quod ut accuratius pateat, res paucis, ab ovo, ut ajunt, est repetenda. Mistivvoi autor fuit magnæ Slavicæ rebellionis & defectionis a Christiana

na religione, quæ contigit Anno 1013. (a) Senex vero resipuit, & ob amplexam religionem Christianam a suis in exilium missus Bardevici mortuus est. (b) Habuit successorem filium tertium Utonem ob crudelitatem a quodam Saxone transfuga Anno 1032. occisum. (c) Filius

(a) ADAMUS BREMENSIS Lib. II. Histor. Eccles. c. 30. *Post Ottonis mortem ---- Slavi a christianis Judicibus plus justo compressi excusso tandem servitutis jugo, libertatem suam armis defendere sunt coacti. Principes autem Winulorum erant Mizzidrog & Mistrowoi, quorum ductu seditio inflammata est. His ergo Ducibus Slavi rebellantes, totam primo Nordalbingiam ferro & igne depopulati sunt. Deinde reliquam peragrantes Slavaniam omnes ecclesias incenderunt.* Causam hujus Seditionis Idem indicat his verbis: *Eodem tempore Dux Slavia petiit filio suo neptem Ducis Bernardi dari in conjugium, quod & Dux consensit. ---- Posthac, cum filius Ducis Slavia pollicitam sibi expeteret uxorem, Thiadericus Marchio intercessit consilium, proclamans: Consanguineam Ducis non esse dandam cani.* Conf. HELMOLDUS lib. I. c. 16. §. 5. ALBERTUS STADENSIS ad a. 1001. p. 221.

(b) HELMOLDUS lib. I. c. 16. *Mistiwoi princeps Slavorum, circa ultima tempora pœnitentia ductus, & ad dominum reversus cum nollet Christianitatem deserere, depulsus est a patria, fugiensque ad Bardos, ibidem consenuit fidelis.*

(c) ADAMUS BREMENSIS lib. II. c. 48. *Principes Winulorum Gneus & Anatrog pagani erant; Uto vero tertius filius Mistiwoi male christianus, unde & pro crudelitate sua a quodam Saxonum transfuga interfectus est, filium habens Gotescalcum, qui per idem tempus ap. Luniburg, monasterium Ducis, literalibus erudiebatur studiis, ---- Verum is comperta morte parentis, ita furore commotus est, ut rejectis cum fide literis, arma corriperet, amneque transmisso, Winulis se Dei inimicis conjungeret; quorum fretus auxilio, christianos impugnans, multa*

lius Vtonis Godeſchalcus, audita patris cæde, ex monaſterio Luniburgico profugus, concitavit quidem Slavos ad multas calamitates Nordalbingis inferendas, mox tamen rediit ad tranquilliorem mentem, atque ex captivitate a Bernardo Saxonico Duce dimiſſus ſe contulit in Angliam ad Regem Knutum III. Poſt mortem iſtius Anno 1042. in patriam redux Slavos ita perdomuit, ut eum quaſi Regem timentes, tributum offerrent, & pacem cum ſubjectione peterent, (d) Enixe quoque ſtuduit convertere Slavos ad religionem chriſtianam, egitque interpretem ſacrorum ad populum praeconum, Slavicæ linguæ nondum ſatis peritorum; (e) demum

millia Saxonum in patris vindictam proſtravit. Hunc tandem quaſi latronum principem, Bernardus Dux capiens, in cuſtodia tenuit, virumque arbitrans fortiſſimum, juncto ſecum fœdere dimiſit eum. Qui veniens ad Knut regem profectus eſt cum eo in Angliam, & ibi manſit multo tempore. Conf. HELMOLDUS lib. I. c. 19.

(d) ADAMUS BREMENSIS *lib. II. c. 59. & lib. III. c. 21.* HELMOLDUS *lib. I. c. 20.*

(e) ADAMUS BREMENS. lib. I. c. 21. *In Slavania ulteriori nemo unquam potentior ſurrexit, & tam fervidus Chriſtianæ religionis propagator. Etenim ſi vita ei longior concederetur, omnes paganos ad Chriſtianitatem cogere diſpoſuit, cum fere tertiam partem converteret eorum, qui prius ſub avo ejus Miſtiwoi ad paganitatem ſunt relapſi.* & c. 22. *Princeps Godeſcalcus tanto religionis exarſit ſtudio, ut ordinis ſui oblitus, frequenter in eccleſia ſermonem exhortationis ad populum fecerit, ea, quæ myſtice ab epiſcopis & Presbyteris dicebantur, Slavonicis verbis cupiens reddere planiora.* Conf. HELMOLDUS *lib. I. c. 20. & Jo. Henr.* OLDENBURG *in Diſſ. ſub præſidio Franc. Alb. Æpini habita de Mecklenburgenſium a gentiliſmo ad Chriſtianiſmum converſione §. 31. p. 55.*

mum vero princeps omni ævo memorabilis a rebellantibus Slavis Anno 1066. d. 7. Junii Leontii cum Eppone sacerdote misere est trucidatus. (*f*) Post ejus cædem filii Buthue & Henricus, a principatu gentis exclusi, quem Slavi in Cruconem quendam contulerunt, exules apud vicinos egerunt. (*g*) Buthue, filius natu major

 Gode-

(*f*) ADAMUS BREMENSIS lib. IV. c. II. *Princeps Godescalcus eo tempore a paganis interfectus est, quos ipse ad christianitatem nitebatur convertere.* HELMOLDUS lib. I. c. 22. n. 7. *Et quidem vir omni ævo memorabilis propter fidem Deo & Principibus exhibitam a barbaris occisus est ---- Passus est autem alter ille Machabæus in urbe Leontio, quæ alio nomine Lenzin dicitur, VII. Idus Junii cum presbytero Eppone, qui super altare immolatus est.* Conf. ALBERTUS STADENSIS *ad a. 1066. p. 239.* CHRONOGRAPHUS SAXO *ad a. 1067. p. 257.* Annum martyrii contra Baronium & Calvisium defendit, & corrupta loca Adami Bremensis & Alberti Stadensis in annis archiepiscopalibus Adalberti restituit LAMBECIUS in chronolog. & auctar. lib. I. rer. Hamburg. p. 163.

(*g*) HELMOLDUS lib. 1. c. 25. *Postquam mortuus est Godescalcus, vir bonus & cultor Dei, ad filium ejus Buthue pervenit principatus ejus hæreditaria successio. Timentes autem ii, qui patrem ejus interfecerant, ne forte filius ultor paternæ cædis fieret, concitaverunt tumultum in populo dicentes. Non hic dominabitur nobis: Sed Cruco, filius Crini. Quid enim proderit nobis occiso Godeschalco libertatem attentasse, si iste hæres principatus extiterit? ---- Statimque conspirata manu statuerunt Cruconem in principatum, exclusis filiis Godescalci, quibus jure debebatur dominium, quorum junior Henricus nomine profugit ad Danos, eo quod regia Danorum stirpe esset oriundus. At senior Buthue declinavit ad Bardos, quærens auxilium a Saxonum principibus, quibus pater ejus devotus semper & fidelis extiterat.*

Godeſchalci, omnibus viribus quidem, ſucceſſu tamen parum proſpero oppugnavit Cruconem paterni principatus uſurpatorem. Cum enim incaute occupaſſet caſtrum Plunenſe, ab adverſario poſt deditionem factam, contra datam fidem, trucidatus eſt. (*h*) Felicius An. 1106. adortus eſt Henricus, junior Godeſchalci filius, conſeneſcentem communem hoſtem Cruconem, quem diu deprædationibus oræ Slavicæ maritimæ vexatum non ſolum ad pacem & villarum quarundam traditionem compulit, ſed etiam poſtea inſidiantem ſuſtulit. (*i*) Potitus hac ratione omnibus munitionibus Cruconis repreſſit magna clade inſurgentes contra ſe Slavos orientales & auſtrales, pugna commiſſa in campo Smilovve terræ Polaborum, hacque victoria orientales Slavos omnes ſibi ſubjecit. (*k*) Repulit quoque Anno 1107. ab obſeſſione Lubecæ Rugianos, (*l*) ac perdomuit Slavos Brizanos & Stoderanos, (*m*) latiſſimeque, a ſuis Rex appella-

(*h*) HELMOLDUS lib. I. c. 25. & 26. CHRONICON HOLSATIAE c. XI. in acceſſionib. Leibn. p. 20. *Dictus Butue caſtrum Critonis fortiſſimum plane vacuum inventum cum ſexcentis robuſtiſſimis in poſſeſſionem cepit. - - - De mane craſtina die dictus Crito & Slavorum paganorum innumerabilis multitudo Plone caſtrum reobſedit, nec evadendi ſpes fuit, ſed omnes oportuit in caſtro fame perire, & cum diutius ſuſtinere famem non poſſent, dederunt ſe ad manus Critonis inimici Chriſti, qui omnes iſtos in ore gladii conſumſit.* Conf. ALBERTUS STAD. ad a. 1067. p. 240.

(*i*) vid. HELMOLDUS *lib. I. c. 34.*

(*k*) Idem lib. c.

(*l*) Idem *lib. I. c. 36.*

(*m*) Idem *lib. I. c. 37.*

pellatus, imperavit, (n) restaurato undique cultu christiano. Moriens Anno 1126. reliquit filios Zventepolchum & Kanutum valde discordes & non diu superstites. Kanutus paulo post occisus est in urbe Latilinburg, idemque fatum subiit Sventepolchus insidiis Dasonis Holsati, cujus unicus filius Zuinike mox etiam periit. (o) Extincta itaque Henrici prosapia, Lotharius II. Imp. vacuum Slavorum regnum transtulit in Ca-

 nutum

(n) HELMOLDUS lib. I. c. 36. *Servierunt Ranorum populi Henrico sub tributo, quemadmodum Wagiri, Polabi, Obotriti, Kycini, Circipani, Lutici, Pomerani, & universæ Slavorum nationes, quæ sunt inter Albiam, & Mare Balthicum, & longissimo tractu pretenduntur usque ad terram Polonorum. Super omnes hos imperavit Henricus, vocatusque est Rex in omni Slavorum & Nordalbingorum provincia.*

(o) HELMOLDUS lib. I. c. 46. *Fama velox perculit Henricum, regem Slavorum præsenti vita decessisse --- Filii -- Henrici Zventepolch nec non Kanutus, qui dominio successere, intestinis bellis adeo perturbati sunt, ut tranquillitatem temporum & tributa regionum perderent, quæ pater eorum armorum virtute conquisierat.* Et. c. 48 *Filii Henrici domestica bella constantes populis Nordalbingorum novos labores parturiebant. Zventepolch enim senior solus dominari cupiens Kanuto fratri suo multas irrogavit injurias. -- Kanutus non longe post interfectus est in urbe Lutilinburg, Zwentepolch solus dominio potitur. -- non longe post interfectus est dolo cujusdam Dasonis prædivitis de Holzatia. Remansit Zwentepolch filius, nomine Zwinike, sed & hic interfectus est apud Erthenehurg, Urbem Transalbianorum, defecitque stirps Henrici in principatu Slavorum, mortuis scilicet filiis, & filiorum filiis. Prædixerat hoc idem princeps, nescio quibus oraculis, doctus, stirpem suam quantocyus defecturam.* Conf. Versus antiqui de Vicelino Ep. Aldenburgensi *in Leibnitii T. I. p. 776.*

nutum, Erici Regis Daniæ filium, sibi amicissimum (p) neglecto Pribizlao, filio Bathue, Fratris Henrici, Regis Slavorum potentissimi, qui potius tanquam æmulus a Kanuto in vinculis tenebatur. (q) Postquam autem Kanutus Anno 1130. ad Ringsted a Nicolao, Rege Daniæ ejusque Filio Magno, ex invidia ac metu interfectus fuerat. (r) Pribizlaus ei successit, divisione tamen instituta cum Nicloto quodam, viro ex proceribus Obotrito-

(p) HELMOLDUS lib. I. c. 49. *Post hac translatus est principatus Slavorum ad nobilissimum principem Kanutum, F. Erici Regis Danorum. ---- Interea subiit animum Kanuti, quod Principatus regni Slavorum vacaret, mortuo scilicet Henrico, & filiis ejus annullatis. Adiit ergo Lotharium Imperatorem, emitque multa pecunia regnum Obotritorum, omnem scilicet potestatem, qua praditus fuerat Henricus. Et posuit Imperator coronam in caput ejus, ut esset Rex Obotritorum, recepitque eum in hominium.* Conf. ALBERTUS STAD. ad Anno 1133. p. 267. Refertur hoc auspicium regium merito inter exempla appellationum regiarum ab Imperatoribus Rom. factarum. vid. LUDOVICUS in tr. de auspicio Regum c. II. p. 97. PFEFFINGER *in Vitr. Illustr. T. I. p. 424.*

(q) HELMOLDUS lib. I. c. 49. *Kanutus & fratruelem Henrici Pribizlaum, & majorem terra Obotritorum Niclotum, duxit in captivitatem, posuitque Sleswich in custodiam, adstringens eos manicis ferreis, quousque pecunia & vadibus redemti, ea, quae subjecta sunt, sentirent.*

(r) ERICUS Rex in hist. gentis Danorum. p. 269. *Nicolaus Rex cum filio suo rege Magno Kanutum filium fratris sui -- juxta Ringsteth occidit. ---- In CXXX. Kanutus Dux martyrizatus apud Havelsteth a Magno filio Nicolai Regis.* ALBERICUS ad Anno 1130. *Rex Dania Nicolaus cum filio suo Magno filium fratris sui -- Kanutum vide-*

tritorum. (s) Male tamen audit ob infestum animum erga Christianos, ac vix compescendum severis mandatis Imperatoris Lotharii II. ne Vicelinum in ecclesia Lubecensi plantanda turbaret. (t) Post ejus mortem vero in contentione Henrici Superbi, Ducis Bavariæ cum Alberto Urso, Marchione Soltwedelensi, de Ducatu Saxoniæ, occasioni inserviens progressus Lubeca subita irruptione destruit & incendit suburbium & cœnobium novum Sigeberg. (u) Ab hoc tempore parum felix fuit Pribezlaus. Non solum enim Races quidam prognatus ex familia Cruconis, de quo supra mentio facta, ex antiquo odio in ejus absentia castrum Lubeke solo æqua-

licet, cujus ad regnandum tutor esse debuerat, interfecit. Conf. HELMOLDUS *Lib. I. c. 50.*

(s) HELMOLDUS lib. I. c. 52. *Postquam ergo mortuus est Kanutus cognomento Lawardus, Rex Obotritorum, successerunt in locum ejus Pribizlaus atque Niclotus, bipartito principatu, uno scilicet Wagirensium atque Paliborum, altero Obotritorum provinciam gubernante.*

(t) *Idem l. c. Fuerunt hi Pribizlaus atque Niclotus duæ truculentæ bestiæ, Christianis valde infesti. Invaluitque in diebus illis per universam Slaviam multiplex idolorum cultura, errorque superstitionum.* Et c. 53. *Lotharius Imp. idem quoqve fecit de Lubecensi Ecclesia, præcipiens Pribislavo sub obtentu gratiæ suæ, ut memorati sacerdotis Vicelini, vel qvi vicem ejus egisset, plenam gereret diligentiam.*

(u) Idem lib. I. *c. 55. His ergo turbulentiis per Saxoniam usqve quaqve concitatis, Pribizlaus occasionem nactus, assumta latronum manu suburbium Segeberg & omnia circumjacentia ---- penitus demolitus est. Ibi oratorium novum & monasterii recens structura igne consumta sunt.*

quavit; (x) verum etiam Henricus de Badewide Comes Holsatiæ eidem ademit Wagriam, antea a se devastatam, cujus possessionem etiam a Gertrude, Henrici Leonis Ducis, matre pecunia redemit. Ortam deinde sibi controversiam cum Adolfo antecessore suo in comitatu Holsatiæ de hac Wagirensium provincia ita transegit; ut Adolfus Wagriam acciperet, ille vero Racesburg & terram Polaborum haberet. (y) Quo amissa Wagria Pribezlaus pervenerit, Helmoldus, aliique Slavici Scriptores, imo omnes antiqui Scriptores, quantum quidem ego investigare potui, plane tacent. Recentior autem quidam non contemnendus autor tradit, eundem

(x) Idem ibidem: *Non multo post venit quidam Race, de semine Cruconis cum classica manu, arbitratus se hostem suum Pribizlaum reperturum Lubeke. Duæ enim cognationes Cruconis atque Henrici propter principatum contendebant. Cum ergo Pribizlaus adhuc fortunatus esset, Race cum suis castrum & circumjacentia demolita sunt.*

(y) Idem lib. I. c. 56. *Henricus qui Cometiam administrabat -- congregato latenter de Holzatis & Sturmariis exercitu, hyemali tempore intravit Slaviam ---- percussit -- plaga magna, omnem -- terram Plunensem, Lutbilenburgensem, Aldenburgensem, omnemque regionem, quæ incheat a rivo Svalen, & clauditur mari Baltico & flumine Travena -- Domina Gertrudis, mater Henrici Leonis dedit Henrico de Badewid Wagirensium provinciam, accepta ab eo pecunia. Postquam -- eadem Domina nupsit principi Henrico -- & alienata est a negotiis ducatus, accessit Adolfus Comes ad Ducem puerum, Henricum sc. Leonem -- acturus causam suam super Wagirensi terra, prævaluitque & justiori causa & auctiori pecunia. Dissensiones ergo, quæ fuerunt inter Adolfum & Henricum, taliter compacatæ sunt, ut Adolfus Sigeberg & omni Wagirorum terra potiretur; Henricus in recompensationem acciperet Raceburg & terram Polaborum.*

dem Wagria expulsum in suam regionem Brandenburgicam concessisse. (z) Transiisse eum ad Christiana etiam sacra recentiores pariter asserunt, (a) & demum ajunt eum Anno 1142. obiisse, atque in æde B. Mariæ Virgi-

(z) BROTTUF in Genealogia & Chronica Anhaltina Lib. II. c. 4. Als nu Primislaus Wagriam, das ist das Land umb Oldenburg, verlohren, und von dem K. Lothario, dem Sachsen, aus Wagria vertrieben, ist er die Elben hinauf nach dem Brandenburgischen Land gezogen, welchs noch sein war, denn er gab vor dem Keyser die Flucht, blieb nicht alldo, sondern zog durch das Polaber Land, das ist itzund das Bisthumb Ratzenborgk und Briegenitz, darinnen die Brisener Wenden gewonet, durch Brandenburg bis in Lausenitz, des Orts die Wende Lusichy genant, bey der Stadt Lunchyna, itzund genant Luchau, da die Stadenani Wenden woneten. In hoc vero errat Brottuffius, quod Primislaum a Lothario profligatum dicit. Eadem repetit ex Brotuffio MANLIUS *in Comment. rer. Lusatic. Lib. IV. c. 5.*

(a) BROTTUF l. c. Als nu zu selbigen Zeit Primislaus vor dem Keyser Lothario die Flucht gab, wircket der Heilige Geist in Primislao und seinem Gemahle Petrissa, daß sie beyde den Christlichen Glauben angenommen, und sich liessen teuffen. Und Primislaus ward Henricus genant, und machete sich dem Römischen Reich unterthenig. WOLFG. JOBST. in Genealogia Brandenburg. inquit. Primislaus und Niclotus verfolgeten beide die Christen sehr, denn sie noch Heiden waren, darumb sie K. Lotharius der z. bekriegete und in die Flucht geschlagen; da dann obgenanter Primislaus von GOtt erleuchtet worden, daß er sich hatt vom Vicilino, Bischoff zu Oldenburgk, mit seinem Gemahle Petrissa, des Königs in Norwegen Tochter, teuffen lassen, Heinrics genandt worden, und dem Römischen Reich sich unterthenig gemachet.

Virginis ad montem sacrum prope oppidum Brandenburg sepultum fuisse. (b) Ex Petrissa Norvagica nullam prolem suscipiens ultimis tabulis hæredem scripsit ditionis Brandenburgicæ, Albertum Ursum, (c) Marchio-

(b) Idem. Primislaus I. ist verstorben Anno 1142. unter K. Conrado III. leit zu Brandenburgk begraben, in der Kirche unser lieben Frauen, auf dem Berge, die er kürtzlich vor seinem Tode gebauet hat, da vorhin ein Abgotts-Bilde mit dreyen Angesichten gewesen, das die Wende Triplat genand. BROTTUF. l. c. Primislaus ist darnach zu Brandenburg biß an sein Ende geblieben, gestorben Anno Christ 1102. Vitium esse in numeris ostendunt sequentia ejusdem verba: Primislaus hatt zur Zeit beyder Kayser, Lotharii und Conradi Tertii, und auch im Jar Christi 1139. noch gelebet. ANGELUS in annalibus Marchicis Lib. II. p. 81. annum mortis dicit. A. C. 1142.

(c) JOBST. l. c. Nachdem Pribezlaus keine menliche Erben gezeuget, hat er Marggraf Albertum Ursum zu Saltwedel, seinen Gefattern und liebsten Freund, zum Erben seiner Lande im Testament verordnet. Wiewol etliche sagen, er habe 3. Söhne verlassen, als Nicolothum 2. Henricum 2. und Burnovinum 1. welche er von wegen ires bösen Lebens enterbet, welchs sich anders helt, denn sie sind Söhne gewesen Pribezlai 2. der Anno 1178. verstorben, und im Kloster Dobran, das er gestifftet, begraben, Niclotti 1. Sons Söne, dieses Pribezlai 1. der zu Brandenburg letzlich gewonet, Brudern Söhne. BROTTUF. l. c. f. 37. Der Wendische König Pribezlaus und sein Gemahel, Frau Petrissa, haben keine Erben gezeuget, sondern Herrn Albertum Ursum zu einem Erben der Margk zu Brandenburgk angenommen, und adoptiret. Denn Albertus Ursus war sein Gevatter, Pribezlaus hatte im seinen Son Ottonem aus der Tauffe gehoben, und hat im einen

chionem Soltwedelensem, (*d*) F. Ottonis, Comitis de Ballenstede, qui primus etiam se Marchionem Brandenburgicum

Ort Landes, die hohe Zauche genannt, in der Margk zu Brandenburgk gelegen, zu Bathengelt gegeben. BALBINUS Epitomes rer. Bohem. lib. III. c. 10. p. 250. *Circa hæc tempora Albertus Vrsus cognomine, ex stirpe Anhaltina Brandenburgicus urbem & arcem Brandeburgum in Marchia recepit, quod Anno 1156. Slavi & Poloni corruptis auro custodibus occuparunt. Ex eo tempore Brandeburgia paret Germanis: Ante enim parebat Slavis Principibus seu Henetis, ex quibus postremus Przemislaus, Buthi filius, Mstibogii nepos, in baptismo appellatus Henricus, cum prole careret, hunc Albertum Vrsum adoptavit, & ditiones omnes suas legavit, qva de re est longa apud Pulkavam narratio.* Pulkava, ad qvem provocat Balbinus, vixit sub Carolo IV. Imq. & scripsit historiam Bohemicam, qvæ latet adhuc manuscripta. Accepit a Carolo IV. Chronicon Martinianum & historiam Brandeburgensem, qvam historiam iste ex Brandeburgia secum attulit, uti idem BALBINUS refert *l. c. lib. I. c. 6. p. 23.*

(*d*) ANNALISTA SAXO in Eccardi script. T. I. p. 666. Ann. Domin. Inc. 1133. *Rex Lotharius natale Domini in Longobardia apud villam Modoëcia dictam celebravit, & Conradus de Ploceke post festivos dies in obsequio regis pergens sagitta transfigitur, sicque egregius juvenis heu immatura morte obiit*, & p. 667. Ann. 1134. *Lotharius Imp. natale Domini Colonia celebravit ---- & marchiam Conradi, videlicet septentrionalem, Adalberto pro studioso sibi exhibito obseqvio in Romano itinere concessit.* Conf. CHRONOGRAPHUS SAXO *Leibnitianus* & CHRONICA MONTIS SERENI *ad hos annos.* Marchiam hanc fuisse Soltwedelensem, & non Stadensem, patet ex eo, quoniam hanc Henrico Marchioni in minore ætate constituto Ann. 1132. præripuerat quidam, Frideri-

burgicum nominavit in chartis, (e) titulo antea inaudito, Satorque gloriosissimus extitit Marchionum Brandenburgico-

cus, & retinuerat usqve ad Ann. 1135. quo obiit teste ALBERTO STADENSI *ad Ann. 1112. p. 261. 62. & 1135. p. 268.* cum interim penes illum maneret sola possessio marchiæ Soltwedelensis, qvam Vdo I. Marchio permutatione instituta cum Wicberto I. Domino regionis Balsamorum, quæ ipsa erat terra Soltwedelensis, acquisiverat. vid. LIBELLUS *de fundatione Cœnobii* BIGAUGIENSIS *T. IV. Script. Lusatic. p. 119.* SAGITTARIUS *in hist. Marchiæ Soltwedelens. §. 35. 36.* Henrico isti Marchioni mortuo Ann. 1130. successit Conradus de Plozeke supra dictus. vid. ALBERTUS STADENSIS p. 265. & CHRONOGRAPHUS SAXO ad h. a. In bello inter Altertum Ursum Marchionem, & Henricum Superbum, Ducem Bavariæ & Saxoniæ Ann. 1140. occupavit quidem hanc Marcam Rudolfus II. F. Rudolfi I. qvi frater fuit Vdonis II. Marchionis, eandem tamen Albertus Ann. 1142. recepit vid. ALBERTUS STAD. *ad hos annos.*

(e) *In diplomatibus Albertus vulgo vel simpliciter dicitur* Marchio *vel* Marchio de Saxonia, vid. chartæ de Ann. 1143. 1144. 1147. ap. LINDENBROGIUM inter privilegia eccles. Hamburg. n. 43. p. 153. in TOLNERI *Cod. dipl. Palat. n. 41. p. 37.* in BECMANNI *Hist. Anhalt. lib. IV. c. 5. §. 6. p. 474.* Primum vero Diploma, qvod habemus, in quo Albertus bis expresse Marchio Brandenburgicus dictus, est de Ann. 1147. ac extat in SCHATENII *Annal. Paderb. lib. VIII. ad h. a. p. 771.* in TOLNERI *Cod. dipl. Palat. n. 54. p. 48.* & in PAULLINI *Diss. XI. de monasterio Virginum Keminadensi p. 104.* Verba huc pertinentia hujus sunt tenoris: *Conradus ---- Romanorum Rex, ---- noverit*

gicorum & Ducum Saxoniæ, Principumque Anhaltinorum. Quamvis vero hanc hæreditatem neque tranquille adire, neque possidere aliquandiu potuerit Albertus, ob continuos Slavorum tumultus & vexationes, (f)

omnium fidelium ---- industria qvod nos tradidimus -- monasterium -- Keminada in manum ---- Adelberti Marchionis de Brandenburg -- ex judicio principum. Primam judicii sententiam dedit Burcbardus Argentinens. Ep. qvam secutus est ------ Conradus Marchio de Witin, Adelbertus Marchio de Brandenburg, Otto filius ejus aqve Marchio, Hermannus filius ejusdem. ---- Data A. Dom. Inc. 1147. indictione X. anno V. Domini Conradi secundi Regis invictissimi VIII. Actum Franckenevort. PFEFFINGERUS *in T. II. Vitriarii illustr. p. 64.* & BECMANNUS *l. c. §. 7. p. 154.* producunt etiam chartas Alberti de An. 1152. & 1167. in quibus se *BRANDENBURGENSEM MARCHIONEM* scripsit. In Marchia Brandenburgica eundem potentem fuisse cognoscimus ex hoc testimonio HELMOLDI lib. I. c. 88. ad Ann. 1160. *In tempore illo Orientalem Slaviam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Ursus, qvi etiam propicio sibi Deo, amplissime fortunatus est in funiculo sortis suæ. Omnem enim terram Brizanorum, Stoderanorum, multarumqve gentium habitantium Havelam & Albiam misit sub jugum & infrenavit rebelles eorum -- Et confortatus est vehementer ad introitum advenarum Episcopatus Brandenburgensis, nec non Havelbergensis, eo qvod multiplicarentur ecclesiæ.*

(f) BROTUF Lib. II. f. 38. Petrissa verhielt ihres Herrn Tod drey Tage, ehe er begraben, bis daß Albertus Ursus kam, die Stadt Brandenburgk, und darnach die gantze Margk einname. Da solches Jaze, der Hertzog in Pohlen, erfahren, das was Pribezlai Schwester Son, der kam mit einem starcken Volcke, legt sich für Brandenburgk, gab den Wechtern Gelt, daß sie im das Schlos aufgaben.

coloniis tamen Belgicis firmatam eandem ex animi sententia ad posteros transmisit.

§. III.

Qua causa dicatur Rex in Brandenburg.

Venio ad alterum disquisitionis hujus historicæ caput, in quo considerandum, quomodo Pribezlaus iste, cujus prosapiam, acta, fata, & hæredem descripsimus, Rex in Brandeburg, dici potuerit. Illustris LUDWIGIUS sibi persuadet, quod Pribezlaus regium titulum habuerit, ob ditionem Brandenburgicam subactam, & quidem non invito Cæsare, valdeque hoc singulari axiomate superbit; (g) sed Marchionum Branden-

Da lagert sich Albertus Ursus, mit Hülffe Herrn Wichmanni, Ertz-Bischoffen zu Magdeburgk, mit drey Regimenten, und gewan das Schlos wieder, ist geschehen Anno 1157. *tertio Idus Junii* -- ALBERICUS *ad ann. 1157. p. 331. Brandeburch Castellum in terra Slavorum trans Albim, per qvod pagani Christianos graviter affligebant, Albertus Marchio, Comes in Saxonia obsedit, & cepit, positisqve in eo militibus, Sclavos humiliavit, ac per hoc Christianorum vires multum dilatavit.*

(g) In Formula Brandenburgici Ducatus §. IV. p. 47. *Singularem quoqve locum meretur, qvod Primislaus, Marchia armis in ditionem redacta, se scripsisse fertur nomine REGIS BRANDENBUGICI, Cæsare institutum hoc prorsus adjuvante:* In subjecta nota (p) non solum producit locum ex vetusto Chronico Brandenburgico ap. Maderum, qvi mihi occasionem de hoc elogio Brandenburgico dedit, verum etiam in causæ patrocinium vocat ENZELTIUM, Chronographum Marchiæ, qvam tamen ipse in Germaniæ Principis Lib. II. c. 6. §. 9. p. 643. anilium fabularum ineptiarumque pue-

denburgicorum dignitas, inter Principes Germaniæ a prima sua origine eminentissima, satis ac abunde propria intaminati honoris luce radiat, neque indiget ejusmodi adscititio, penitusque fictitio splendore, qui instar ignis fatui mox disparet, & nihil juvat vani sui fulgoris spectaculo se oblectantes. Qvod enim ex superius allatis satis superqve constat Pribezlaus neqve fuit, neqve unqvam appellatus est Rex Brandenburgicus, sed fuit & dictus est Rex Slavicus, inprimis Wagirensium atqve Polaborum, qvi spoliatus horum populorum regimine, imperavit Slavis juxta Havelam habitantibus, suamquae sedem fixit in castro Brandenburgo. Neqve alia mens est vetusti illius Chronographi Brandenburgensis Maderiani scribentis: *Hujus temporibus*, nempe Svigeri XIII. Episcopi Brandenburgensis, *qui cepit. Ann. 1139. ac obiit Ann. 1141. fuit in Brandenburg Rex Henricus, qvi Slavice dicebatur Pribezlaus*, quam ut regis hujus habitationis locum, non regni, quod possedit, nomen aut ambitum indicaret. Ita etiam HELMOLDUS Pribezlaum Lubecensem a sede, non a regno, dixit.

rilium assertorem diserte dixerat, cujus hæc verba ex vita Alberti profert: Diesen Albertum hat sehr geliebt Primislaus, welcher sich tauffen liesse, und ward Henricus genannt König zu Brandeburg; und weil ihm Marggrav Albrecht zu Gevattern gebethen, zu seinem Sohn Ottone, gab er seinem Pathen ein Gevatter-Geld das Land zu Brandeburg die Zauche genannt. Macht auch zu Erben Albertum seines Landes Brandeburg mit Bewilligung seines Gemahls Petrissæ. In Germaniæ principis lib. II. c.2.p. 539. hæc leguntur: *Primislaus Venedorum Princeps, occupata per Cæsaris indulgentiam marchia, REGEM BRANDENBURGICUM se scripsisse legitur.*

dixit. (b) Neqve aliter de eo loquuntur caeteri Scriptores Marchici, qvi nunquam Pribezlaum vocant REGEM BRANDEBURGICUM, sed semper, quando ejus mentionem faciunt, REGEM eum potius VENEDORUM, **den Wendischen König**, nuncupant. (i) Praete-

(b) HELMOLDUS lib. I. c. 55. *Pribizlaus de Lubeke occasionem nactus suburbium Sigeberg -- demolitus est.* Nam ab Henrici magni illius Regis Slavorum tempore Lubeca sedes regni Slavorum fuerat teste eodem Scriptore lib. I. c. 3. 4. *In universa Slavia nec dum erat ecclesia vel Sacerdos, nisi in urbe tantum, qva nunc vetus Lubika dicitur, eo quod Henricus cum familia sua sapius illuc moraretur,* Et c. 41. *Surrexit eo tempore Sacerdos quidam Vicelinus nomine, & venit ad regem Slavorum Lubeke.*

(i) Wolfgangus JOBST l. c. inqnit: PRIMISLAUS der 38. König der Wenden in Mechelbürgk, Pommern, Laußnitz, und Brandenburg, Bathue son, hatt under K. Henrico IV. Marggrafen Vdonem II. den 7. Churfürste zu Brandenburg aus der Marck verjagt, und sie in die 23. Jar inne gehabt, ausgenommen den Ort des Landes umb Landesbergk bey Berlin, biß er wiederumb von den Sachsen daraus vertrieben, aber nicht lang hernach hat er Brandenburgk wieder einbekommen, und biß an sein Ende behalten. Darnach nach Königes Canuti seines Blutfreundes Tod ist, das gantze Wendische Königreich erblich an ihm gefallen, von dem er auch den Koniglichen Namen empfangen, da er vorhin ein Wendischer Herr geheissen, hat aber gleichwol dasselbige Land mit Nicolao seinem Brudern, getheilet, also daß er die Herrschafft um Ratzenburg, und das Bischoffthumb zu Oldenburgk sambt Brandenburg zu seinem Königreiche bekommen. Conf. ANGELUS *in chronico Marchia p. 74. 81. 84.* Georg. SABINUS *in metropoli Marchia Brandenburgo ex edit. Rejneccii p. 81.* LAYRITZ in Palmwald ad Tab. VI. c. 2. §. 13. p. 309.

Præterea omnis historia Germanica silet de Regno Brandenburgico, qvæ tam frequenter meminit regni Austrasiæ, Arelatensis, Burgundici, Lothariensis, Suevici, Thuringici, Marcomannici sive Bohemici, Bavarici, qvæ olim in Germania extiterunt. Imo ditio Brandeburgica ante Seculum XII. ne nomen quidem habuit, neque Marchia Brandenburgica eo aevo hac verborum complexione unquam occurrit, multo minus regnum Brandenburgicum est auditum. (*k*) Sit & maneat ergo Pribezlaus Rex Slavicus, minime vero Brandeburgicus, neque ab eo mutuetur fictitium decus ad fortunam & magnitudinem Marchionum Brandenburgicorum exornandam, quæ absque Slavici exulis, in oppido Brandenburgico habitantis, regia dignitate per se est illustrissima, & par omnibus magnificis honorum titulis inter Germaniæ proceres usitatis, prætereaque regni Borussici, sua potius virtute & potentia fundati, gloria ac possessione tranquille fruitur. Ipse gloriosissimus Marchio & Elector Brandenburgicus FRIDERICUS II. in statutis sodalitatis B. Mariæ Virginis (*l*) non agnovit Pribezlaum pro rege Brandenburgico, eo minus ergo laborandum pro ejus vindiciis. Neque etiam Pribezlaus latissimum regnum tenuit. Perperam enim novissimus doctissimusque investigator Originum Marchiæ Brandenburgicæ ex monimentis antiquis sub præsi-

(*k*) Vid. Excellentissimus GUNDLINGIUS *in libro de Henrico Aucupe p. 165.*

(*l*) Artic. I. Die Jungkfraw Maria hatt in unser Herschafft --- besundern die lobwirdige Kirche uff dem Berge vor unser alten Statt Brandemburg erwelt, die der Hochgeborne Fürst, Herr Pribislaus, zeligen Gedechtniß, etwann der Wende Kunig, unser Vorfarn, In und zu yrem Lob gebauet.

præsidio celeberrimi Jo. Guilielmi BERGERI P. P. Wittembergensis, Jo. Fridericus SCHROEERUS Henricum, conditorem novi regni Slavici, mortuum Ann. 1126. cum hoc nostro Henrico, sive Pribezlao, confundit. Nam de illo fortissimo potentissimoque Principe loquitur citatus ab eo HELMOLDUS, non de nostro misello exule. *(m)*

§. IV.

(m) Verba SCHROEERI l. c. sunt in §. 32. *Ab Henrico, Obotritorum Rege, Godeschalci, a Barbaris propter Christianismi professionem occisi, filio, Mestevoi vero Pronepote, Brandeburgenses tanquam rebelles subacti sunt, ut diserte loquitur Helmoldus L. I. c. 37. T. II. Script. Brunsv. p. 569.* Cum ergo vice quadam Brizanorum & Staderanorum populi, hi videlicet, qui Havelberg & Brandeburg habitant, rebellare pararent, visum fuit Henrico armis adversus eos utendum ---- Perrexit ergo cum amicissimis suis Nordalbingorum armatis, peragrans Slavorum Provinciam cum ingenti periculo Havelberg eamque obsidione vallavit ---- post paucos autem dies Crizani cæterique rebelles pacem postulaverunt, datis obsidibus. *Et in §. XLI. p. 29. Supra diximus Henricum Slavum Anno 1107. Brandeburgum denuo sub obsequium suum, revocasse, de eodem autem Henrico tradit nobis rem notatu dignissimam fragmentum vetusti chronici Brandeburgengensis ap. Maderum in antiquitatibus Brunsvicensibus p. 274. cujus verba in nostra disquisitionis §. 1. occurrentia, subjungit.* Verum enim vero ætas apposita Svigeri XIII. Ep. Brandeburgensis, qui cepit Ann. 1139. sedit A. XX. M. W -- D. XVII. obiit 1141. eum erroris commonere potuisset. Henricus enim, de quo Helmoldus loquitur, mortuus est. Ann. 1126.

§. IV.

Pauca quoque demum ſubjungenda ſunt de Idolo Slavorum TRYGLAVO a Pribezlao, ſecundum teſtimonium vetuſti Chronici Brandeburgici, deſtructo. Denotat hoc Deum Tricipitem ex conſenſu omnium Slavonicæ linguæ gnarorum. In ejus figura tamen diſſentiunt eruditi. Quidam enim illud tribus capitibus repræſentant. (*n*) Alii dicunt Idolum habuiſſe unum caput, ſed tribus faciebus inſtructum, uti olim Romani Janum nunc bifrontem, nunc etiam qua- De Idolo Tryglav.

Ii dri-

(*n*) ANDREAS, Abbas monaſterii S. Michaelis prope Bamberg. in vita S. Ottonis Babebergenſis Ep. ac Pomeranicæ gentis Apoſtoli lib. III. c. 1. in Ludwigii T. I. Script. Bamb. p. 492. *Stetin -- tres montes ambitu ſuo concluſos habebat, quorum medius, qui & altior, ſummo paganorum Deo, Trigelaus dictus, tricapitum habebat ſimulacrum, quod aurea cidari oculos & labia contegebat, aſſerentibus idolorum Sacerdotibus, ideo ſummum Deum tria habere capita, quoniam tria procurat regna, id eſt cœli, terræ & inferni: & faciem cidari operire pro eo, quod peccata hominum quaſi non videns, & tacens diſſimularet.* Valentinus von EICKSTAED, *Cancellarius Philippi D. Pomer. ap. ANGELUM in Chronica Marchiae lib. III. p. 310. Præcipuus Stetinenſium id temporis Deus erat Trigeloff, aurea capita tria, unde & nomen ſortitus, geſtans. Hunc tanquam dominum cœli & terræ, & inferni, magna religione venerabantur:* Ex hac deſcriptione Triglavi effigiem ligno inciſam Angelus oculis lectorum ſuorum objecit. Mihi tamen longe accuratior videtur deſcriptio Andreæ Abbatis.

drifrontem faciebant. (o) Disceptatur etiam num mas, an fœmina, fuerit, vulgo tamen pro femella habetur. (p) Triplicem providentiam potestatemque divinam se exserentem in cœlo, terra, aqua, aut inferno, hoc signo indicare voluisse Slavos quidam ajunt. (q) Minime autem verosimile videtur, illud designas-

(o) MONACHUS PIRNENSIS apud Petr. ALBINUM in Chron. Misn. tit. XI. p. 297. refert, suo adhuc tempore circa annum 1526. idolum illud extitisse in abdito quodam loco, templi Brandenburgici in monte Harlungo, habens caput tribus imaginibus formatum, & Lunam curvatam in manibus; subjicit Albinus p. 298. Man hatt im Lande zu Meissen auch, wie ich berichtet bin, an etlichen Orten, alte Bilder, in Stein gehauen, mit 3. Angesichten gefunden, und ist sonderlich zu Grimmen auf der Brucken eines dergleichen zu finden gewesen, daran drey Angesicht unter einem Hütlein: dannenherd denn zu achten, daß die Sorben diesen Abgott, wie ihre Nachbarn, auch geehret. Wie denn vermuthlich, daß die Wenden ins gemein etliche Abgötter gehabt, so bey ihren unterschiedenen Völckern, bey einem sehrer, als dem andern verehret worden. Triglavum tres facies habuisse, dicit etiam JOBST l. c.

(p) David CHYTRAEUS *in Chron. Saxon. fol. 10.* Triglaff Deum tricipitem dicit, ANGELUS vero l. c. sistit ejus figuram femineam.

(q) vid. ANDREAS Abbas paulo ante citatus. KRANTZIUS in procem. metropoleos: *Slavi coluerunt publice ex professo idolum Triglaff, Deum tricipitem, quod primo capite cœlum, secundo terram, tertio aquas istius Dei gubernaculis regi, defendi, & conservari dicerent.*

gnasse Dianam triformem. (r) Quid enim Slavis cum Græcorum Romanorumque Diis Deabusve? Hocce idolum a Pribezlao sublatum fuisse omnes dicunt, qui post vetustum Chronographum Brandenburgensem ejus meminerunt. Neque huic assertioni obstat, adhuc Ann. 1526. illud in Templo Brandeburgio superfuisse, atque ex illo a Christierno, Rege Daniæ exule asportatum fuisse. (s) Nam, vel Slavi iterum ad cultum profanum relapsi, uti multoties hoc antea fecerunt, sibi ejusmodi idolum restaurarunt, quo postea usque ad Seculum XVI. conservatum fuit; vel Pribizlaus Statuam Triglavi non confregit, sed solum sacro loco deturbavit, atque ab oculis Slavorum remotam in latebras abscondidit. Apud Pomeranos S. Otto, Episcopus Bambergensis, Triglavum etiam sustulit, & unum ejus signum Romam pro trophæo

 misit,

(r) Georg. SABINUS l. c. p. 80. loquens de templo B. M. V. in monte Harlungorum ad oppidum Brandeburgum: *Eo in fano stabat triceps idolum Trigla dictum, quod olim Vandali summa Veneratione coluerunt. Id Dianæ fuit simulachrum: Nam ex Eusthatio Græco Scriptore constat, Dianam olim Triglam fuisse dictam.* In ejus sententiam transiit SCHEDIUS *de Diis Germanis lib. IV. c. 10. p. 500.* Quibus vero merito contradixit Abrahamus FRENCELIUS in eruditissimo commentario *de Diis Soraborum aliorumque Slavorum Sect. II. c. 24. §. 5.*


(s) vid. ALBINUS & SABINUS ll. cc.

misit, alterum vero confregit. (t) Hæc vero de Pribezlao disquisivisse sufficiant. In extremo vero opellæ veniam legentium peto, neqvis præsumtionis, vel temeritatis arguere me velit, quod ista disquisiverim. Non enim temeritate, sed veritatis studio ista prosecutus sum. Servet Deus Serenissimam potentissimamque REGIAM DOMUM BRANDEBURGICAM, præstetque perpetuam ac invictam, & potentiam, gloriam, felicitatemque ejus, qua eminet, maximam, non Germaniæ modo, sed toti Orbi Europæo reddat porro salutarem!

(t) ANDREAS ante citatus in vita S. Ottonis lib. II. c. 13. *Collectis tamen & adunatis principibus ac natu majoribus, jusjurandum ab eis exegit, ut cultus Trigelawi penitus abdicaretur, & confracta imagine, aurum omne in redemtionem captivorum erogaretur.* HISTORIA ANONYMI cum historia Andreæ hujus collata lib. II. c. 31. *Erat autem ibi simulacrum triceps, quod in uno corpore tria capita habens, Triglaus vocabatur: quod solum accipiens ipsa capitella sibi cohærentia, corpore comminuto, secum inde quasi pro trophæo asportavit, & postea Romam pro argumento conversionis illorum transmisit.*



VIII.



VIII.

Dissertationem hanc historicam de ILLUSTRIBUS BRANDENBURGIÆ MARCHIONIBUS Wittebergæ Ann. 1660. M. CHRISTIANUS SCHULZ, Zanov. Pomeranus, & JOHANNES GEORGIUS a BELOW Eques Pomeranus publice eruditorum Sententiis exposuerunt. Procemii loco ejusmodi loquuntur. *Non proposuimus animo B. L. integram Marchionum Brandeburgicorum Genealogiam disputationum incudi supponere, nec res omnes Illustribus his personis aptare, neque inquirere in omnium Marchionum originem: sed tantum ex omni ævo quosdam referre, eosque illustres, unde quoque titulum dissertationi præfiximus de Illustribus Brandeburgiæ Marchionibus, non de Marchionibus in genere: Siquidem illorum omnium, qui tempore Johannis II. Waldemari I. Johannis III. & Waldemari II. vixerunt, gestas res ex historiarum monumentis colligere non licuit, quod alii sorte sua contenti vixerint, alii sacris ut persona privata se consecrarint. Illustre apud Ciceronem est, quod omnibus notum factum est: hinc facta illustria & gloriosa, quæ omnibus innotuere, & viri illustres, qui vel pluribus, vel omnibus terrarum locis inclaruere, de his impræsentiarum dissertandum erit.*

Recudi fecit hanc Dissertationem Cl. KUSTERUS in *Collect. Opuscul Hist. March. illustr.* P. XX. n. 2.

Auctor vero hic CHR. SCHULZ verbi divini Gardelebii in Veteri Marchia quondam Minister scripsit quoque libellum, vom Auf- und Abnehmen der Stadt Gardelegen, editum Stendaliæ 1668. 4.



VIII.



VIII.

CHRISTIANUS SCHULZ.

DE

ILLUSTRIBUS BRANDENBURGIÆ MARCHIONIBUS.

SECTIO. I.

SUMMARIA.

§. I. II. & III. *Disquiritur more disputantium de vocabulo Marchiæ & Marchionis.* Carolus M. *autor Marchionatus in Germania.* §. IV. & V. Henricus Auceps *Brandeburgicorum & quatuor*

tuor aliorum. Sigfridus I. *ab Henrico institutus.* §. VI. & VII. Gero *ab* Ottone I. §. VIII. IX. & X. *cui succedunt* Brunico, Hugo, Sighardus, Ditericus, *quo regnante* Mestibojus *Vandalus Brandeburgum recuperat.* §. XI. Ditericus II. *Landsberga residens.* §. XII. XIII. & XIV. Dedo, Thimo, Conradus *ultimus ex hac stirpe.*



§. I.

MArchiones Brandeburgicos ab Henrico Aucupe solemniter constitutos, Vandalis Slavisqve tractum illum inter Salam & Albim sub potestate tenentibus oppositos fuisse, constanter Historicis in opinionem venit. Nam Henricus Victor & triumphator de tot barbararum gentium exercitibus quinque Præfectos certis in locis creavit, Slesvicensem oppositum Danis, Brandeburgensem Vandalis, Misnensem Bœmis, Lusatum Polonis, Austrium Hunnis & Avaribus. Hinc Marchiones Comites Limitanei dicebantur, qui tuendis finibus Romani Imperii erant præfecti.

§. II.

Vocabulum Marchionis & Marchiæ mire Doctores in origine investiganda cruciavit. Alii à Marcomiro Francorum Duce deducunt; Feudistæ à Mari, quia Mar-

Marchia ad mare posita est. Alii à Celtico, ubi Marchia significat equum & Marçhare est equitare, ut Marchio sit quasi equitum præfectus & Magister. GEORGIUS SABINUS *in lib. de appell. March. Brandeb.* a Græco *ἱππαρχία* derivat, & abjecta priori superstitem esse Marchio vocem putat. HERMANNO VULTEJO *lib. I. de Feudis cap. 4. num. 14.* a finibus denominatur, qui in Germanica nostra significant Marck eo, quod Marchiones finibus tuendis præfecti essent, & Marchias provinciarum limites dici testatur MOZZIUS *de his, qui feudum dare possunt num. 16.* Hoc CAROLUS SIGONIUS *lib. 4. de Regno Italiæ* in Carolo M. dilucide expressit his verbis: *Imperator regni limites atque oppida comitibus administranda commisit, atque eis omnem publicam atque privatam jurisdictionem mandavit, . . Limites Marchas vocarunt, unde præfecti limitum Marcharum, Comites atque Marchiones dicti.* In quibus duo continentur, 1. Marchiones a Carolo M. esse institutos. 2. Marchiones esse principes limitaneos. Conferatur de utroque *Chronicon* CARIONIS PEUCERI *lib.* GEORGII FABRICII *Saxonia.* MATTHÆI DRESSERI *Historia Universalis Germanica loco de March. Brandeb.*

§. III.

Non solum autem Imperii curam agebant & ad fines excubabant in armis; Verum etiam de omnibus limitum controversiis judicarunt, ut in Sect. III. de Othone I. Alberti Ursi filio, Conrado & Johanne lineæ Ursinæ Marchionibus sufficienter compertum habituri

summus, ex controversiis limitaneis motis cum Megapolitanis & Nostris Pomeraniæ Ducibus. Hinc distinguitur Marchio & Landgravius, quod hic sit Judex generalis de omnibus regni controversiis judicans: Ille Judex particularis de Regni limitibus & terminis tantum. CONRADUS LAGUS *in Compend. Juris Civilis & Saxonici*, KECKERMANNUS *lib. I. System. Polit. cap. 21.* Feudistis hodie Marchio est, qui investitus est de Marchia. Quamvis etiam ab initio Marchiones finium custodes fuerint, posterioribus tamen temporibus etiam in mediterraneis regionibus Imperii de Marchia investiti Marchiones dicuntur. PETRUS HEIGIUS *Illust. Quæst. q. 1. n. 55.* MATTHIAS STEPHANI *lib. 2. de Jurisdict. part. 1. cap. 6.*

§. IV.

Marchiones Brandeburgicos ex celeberrima Ducum Saxoniæ Witekindea stirpe procreatos dicimus, ex qua Henricus Auceps Imperator optimus, & felicissimi Electores Saxoniæ hodierni originem trahunt. Fuit enim Ditericus Comes Mersburgensis & Ringelheimensis Witekindi magni Pronepos, & Sigfridus Diterici Filius Witekindi abnepos, quem Henricus Auceps Imperator Marchionem Brandeburgensem constituit Vandalis Slavisque oppositum. ALBERTUS CRANTZIUS in hunc modum recitat historiam; *Henricus Imperator tyrones suos, quos proximo anno exerceri jusserat, exploraturus, eos contra Vandalos ducit ad Suevum, Oderam & Havelam fluvios, nec infeliciter res gerit, in tantas angustias eos redigit, ut tandem in Urbem* Schorelitz, *quæ hodie Brandeburgum est, se conferrent, ubi sperabant, se Imperatori resistere posse: Sed Imperator factis castris,*

castris, ineunte hyeme, cum palustria illa loca glacie concreta transire posset, eos adeo affligit, ut se dederent, ut vero Vandalorum excursiones prohibere posset, Marchionem urbi praefecit Sigfridum Comitem Ringelheimensem Conjugis suae fratrem, qui primus Marchio Brandeburgensis est factus. Vid. CALVIS. in Chronol. fol. 530.

§. V.

Sigfridus Marchio domitis, devictis & ferme oppressis populis Vandalorum Barbaris, nil aliud egit, quam ut fines affinis felicitate & fortitudine partos traditos sibique commissos in eo statu, quo acceperat, conservaret, cui rei præ reliquis intentus quoque fuit, & possedit eam ditionem donatam novendecim annos ab anno a Christo nato 927. usque ad annum 946. in quo, ut Historicorum quorundam relatio est, vel ab Henetis cæsus est, vel naturali morte decessit: Vivis vero excessit circa primordia Othonis M. sui ex sorore Mechtilde Nepotis, qui dum difficilia & periculorum plena initia gubernationis haberet, exorsus enim est a bellis domesticis, quæ undique se tanta commoverant, ut tota Europa videretur in caput & perniciem Othonis conspirasse, Marchionatum Brandeburgicum vix sub sua potestate retinere posse videbatur, constituit nihilominus Geronem Marchionatu Lusatiæ a Patre Henrico donatum eodem anno, quo Sigfridus Marchiam Brandeburgicam acceperat.

§. VI.

Gero Sigfridi masculis hæredibus carentis successor ab Othone M. institutus adversarium competitorem

Marchionatus Brandeburgici ante se vidit, & bella moventem cognovit Tangwardum Henrici Aucupis Filium naturalem, unde Gero Dominum implorans facile eum commovit ad ferendum auxilium, præsertim quoniam succumbente & deficiente Gerone ab Imperatore constituto, ipsa imperatoria Majestas imminui videretur, sequenti ergo anno a simultate in inimicitiam, a jurgio ad prælia deventum est: Tangwardo se adjunxit Eberhardus Dux Franconiæ odio & invidentia Othonis, inque belli societatem pertraxit Giselbertum Lotharingiæ Ducem simulata pollicitatione inductum in spem regni. Eberhardus armatus suis & sociis auxilio venturus Tangwardo obsesso Mersburgi, vel ut alii volunt, Brandeburgi, a copiis Othonis in itinere expugnata arce, quam scriptores nominant Basilicam, cepit Henricum Ottonis fratrem & captivum abduxit, PEUCERUS *in Chronic. Carionis lib. 4.*

§. VII.

Gero hic filius fuit Erwini Comitis Mersburgensis & Altenburgensis, primus Magdeburgensium Burggravius & Marchio Lusatiæ antea constitutus, fidelem operam Ottoni Magno contra Boleslaum Bohemorum Principem præstiterat, quem diu solus ab imperii finibus arcuerat, donec ex sua aliorumque stirpe præstantiores caderent, quo facto opem Imperatoris implorabat post varia superata pericula dein appropinquantis. Solus itaque hic Gero heros bellicosissimus ab Ottone Magno dignus habitus est, cui Marchionis Brandenburgici nomen & dignitas cum ditione cederent. Hanc autem nominis celebritatem vivo adhuc Henrico Imperatore pepererant varii casus, in quibus peculiarem felicita-

licitatem nactus erat; Quare in tanto intricatissimarum rerum statu circa initia Imperii Ottonis, solus hic illum se præstiturum opinabatur, qualem sæpius omnes cognoverant.

§. VIII.

Geroni successit Brunico Filius Brunonis, nepos Friderici, trinepos Witekindi, Burggravius Soraborum, qui illam partem terræ supra Albim usque ad montes Sudetes versus meridiem, ab ortu vero ad caput Suevi fluminis, ab occasu ad confluentem Albis ac Salæ incoluerant, ubi hodie est Lusatia Superior, Missnia tota & Principum Saxoniæ Superioris ad Hercyniam sylvam ditio: collata est ita dignitas ipsi opera Ottonis, qui Bruniconis virtutem in eo bello, quod Eberhardus Franconiæ Palatinus & Princeps aliorum Principum imperii auxilio stipatus Imperatori fecerat, Imperio illum exuturus, quod quoniam vi & viribus efficere non posset, insidiis & dolis denique tentavit; sed irrito conatu. Variis discriminibus superatis Brunico e vivis excessit, quatuor relictis filiis Menfrido, Hermanno, Sighardo & Hugone, a quibus Brandeburgi in monte Harlungorum, qui nunc ab æde B. Mariæ virgini sacra nomen a Deipara accepit, sepultus est.

§. IX.

Ex quatuor Bruniconis filiis relictis duo illustriores reliquis historicorum monumentis celebrantur Hugo & Sighardus; Ille Marchionatu Brandeburgico donatus & paulo post quoque Vicarius Imperatoris Ottonis & Marchiæ Thusculanæ in Hetruria constitutus, totius Italiæ

Præses & Gubernator fuit, præclaramque laudem fidelitatis undique meruit: Memorabile est exemplum fidelitatis in Imperatorem, cujus tristissimum casum tum cognoverat, qui ei Romæ adventanti & quartum in Italiam abeunti contigerat; dum milites ipsius miserandam strangem a seditiosis subditis perpessi fuerant, &, ni Imperator fuga salutem in Capitolio quæsivisset, idem sensisset; & ne expers periculorum majorum metus esset, Capitolium in obsidione tenuerunt, illum capturi, ut servitutis jugo, quo se circumdatos opinabantur, expedirentur. Hugo his cognitis Romam properanter abit, &, cum mentes populi exacerbatissimas gladio compesci non posse intelligeret, lenitati studet, arbitrii jura a S. P. Q. R. inter se & imperatorem sibi permitti, & petit & postulat: His ad deliberandum propositis omni populo, Otto Imperator obsidione se extricat, & habitum mentitus urbe Romana, Roma nesciente, cedit, relicto arbitro Hugone, cui diras Romani precabantur, quæ vero modestia Hugonis ejusmodi sermocinatione reprimebantur: Satius esse Dominum suum etiam cum periculo vitæ liberare, quam in discrimine vitæ ex metu periculorum relinquere. Mortuus variis rebus adversis superatis Pistorii nullo relicto hærede, & Florentiæ Hetruscorum sepultus est.

§. X.

Sighardum Brunicoņis filium, Hugonis Fratrem, Vicarium Marchionatus absente Hugone fuisse, ex Historicis colligitur: Vixit hic tempore Ottonis III. Sedem habuit more Prædecessorum Brandeburgi, Filium genuit Dithericum & Filiam Thetbergam postea Dedoni I. Marchioni Misniæ in matrimonium collocatam; Filio post

post excessum ex hoc mundo vivus ab Imperatore Marchiam Brandenburgicam impetravit, qua adepta Vandalis Christiani nominis hostibus occultis infensior esse cœpit, & nemo odio vehementiori unquam exarsit, quippe exactionibus illos fatigavit & Henricum II. Imperatorem eo consiliis & persuasionibus adegit, ut binos Vandalorum Principes in Lusatia Marchiones bello infestantes, postea captos suspendio mulctare præciperet; Bernhardo Duci Saxoniæ & Lunæburgiæ, conjugium filiæ cum Mestibojo Rege Obotritarum Vandalorum ineundum, dissuasit, licet jam ex parte aliqua contractum & ex sententia Mestiboji ratum putabatur, qui hac opinione ductus equitatum magnum cum Bernhardo & Imperatore in Italiam miserat: At Bernhardus ex Italia reversus generum futurum repudiat ex instinctu hujus Diterici, qui hunc regem canem Vandalicum, ut verba ipsius erant, indignum hoc conjugio arbitrabatur; Quare ita Mestibojus irritatur, ut latratum Diterici & Bernhardi auribus terribilem nunciaverit, injuriam ulturus Saxoniam crudelissime vastat, Hamburgum & Stargardensem Episcopatum evertit, sacerdotes trucidat, quibusdam verticem in formam crucis discindit, & spectandi gratia per oppida ducit. Ditericus ditione exuitur, Brandenburgum a Vandalis oppugnatur & expugnatur. Bernardus quidem ope Saxonum Vandalos tandem repellit, pacem cum eis pangit ut potuit; sed Brandeburgum recuperare & religionem Christianam ipsis persuadere denuò non potuit, quam satis frigide antea colebant. Ditericus Magdæburgum concessit, & cum, unde viveret, non haberet, Episcopi liberalitate Canonicatum accepit, ex quo ad dies vitæ victum & amictum indeptus est. SPANGENBERG.

DRES-

DRESSERUS *in hist. Universali Germ.* CRANZIUS *lib. 3. Vandal.* CALVISIUS *in Chronol.* BUCHOLZERUS *in Chronol.* GEORGIUS FABRICIUS *in Saxonia lib. 2.* HELMOLDUS CAP. 24. BROTUFIUS *in Chron.*

§. XI.

Diterico successit ex sorore Thetburga nepos Ditericus II. Dedonis Comitis Wetinensis Filius, Burggravius Soraborum, qui plurimum apud Henricum II. Imperatorem valuisse, & amantissimus Cunigundæ Conjugis Imperatoris fuisse dicitur, cujus opera & intercessione apud Imperatorem nactus est Comitatum Eilenburgensem & Seuselizensem cum dignitate Marchionatus Brandeburgici, quod nomen tum temporis mutatum est, oppugnato & a Vandalis expugnato Brandeburgo, & nomine Marchionatus Landsbergensis indigitatum est; Variis denique rerum discriminibus & periculis superatis, in manus sicarii incidit, qui eum e cubiculo confecisse dicitur.

§. XII.

Diterico II. successit Dedo Marchio Lusatiæ & Landsbergi, Comitatus possedit Henburgium, Brenensem, Camburgium, secundis nuptiis sibi associavit Adelam Brabantinam origine antea Thüringiæ Marchioni nuptam, quam ea opinione matrimonio sibi junxerat, ut mariti ejus demortui ditione potiretur, ex quo Adela nullum superstitem habebat hæredem; instigatus ergo a conjuge & benevolis Thuringis terram eorum in Feudum ab Imperatore petiit: sed Imperator Saxonum liber-

libertatis hostis metuens viri fortis & gratiosi potentiam, consentire noluit. Mariti animum cupidum quovis viro animosior Adela incitabat, & Thuringi Imperatori iracundi, quia Sigbertum Antistitem Moguntinum defenderet exactionibus importunum atque iniquum, Dedonis causam approbabant. Itaque Imperator exercitum in Thuringiam ducit adjutore Moguntino, qui odium in gentem privatum occasione belli publica ulcisci cupiebat. Thuringi per legatos Henricum Imperatorem adeunt: Suam æquitatem & rogata exponunt, obedientiam in omnibus pollicentur, legibus priorum Imperatorum contraria sese præstare, nec cum discrimine vitæ velle, edicunt. Satius esse mori reputabant, quam ad conditiones iniquas cogi. Imperator hic dubie, vel magis simulate respondet, nihilominus militibus Thuringiam occupare præcipit, parte aliqua terræ occupata timorem tantum injicit, ut Dedo subjectionem sponderet, & Imperatori fidem promitteret; At spe excidit & tandem a filio Patris cognomine afflictus in exilium concessit, in quo mortuus dicitur.

§. XIII.

Ditericum II. secutus est Thimo filius, Henrico IV. in sago & toga ob fidelitatem & fortitudinem singularem commendabilis, quibus Marchionatum Misniæ post mortem Dedonis a ministro in arce Beichlingensi confecti ab Imperatore commeruit. Hic Thimo conditor est stirpis Marchionum Misniæ, quæ paulatim aucta, illustrataque opibus, autoritate, potentia, liberalitate venarum metallicarum & accessionibus Thuringiæ, Saxoniæ atque dignitatis Electoralis, magnam consecuta est celebritatem, virtute præcipue, sapientia, moderatione

& justitia, quorum exstant documenta pulchre constituta judicia, Resp. honestissimis legibus ornata, Scholæ & Ecclesiæ florentes doctrina & disciplina, Gens exculta literis & humanitate. Bohemi quidem sub id tempus Misenam in sua potestate tenuerunt; ideo Thimo, præmium illud ab Henrico IV. quod istius castra secutus fuerat, concessum statim a die donationis adipisci nequibat; sed demum id post obitum Filii & Nepotis Henrici I. & II. Conradus Filius Thimonis post plures annos imperante Lothario indeptus est. Thimo tandem cum fidelem operam suam denuo Imperatori probare laboraret, in oppugnatione arcis cujusdam cadit relictis hæredibus, quibus ex clementia Imperatoris ditio virtute patris acquisita cessit.

§. XIV.

Conradus patre fatis functo Marchio Landsbergæ creatus, Comes Wetthini & Eulemburgi, qui pulsis e Misnia Bohemis opera Imperatoris Lotharii Marchionatum Misniæ recuperavit olim ab Heinrico quarto patre Thimoni donatum adjectis pluribus, quæ fuerant juris & ditionis Comitum Wiperti Groicensis & Hermanni Bincebergensis: Bis expeditioni adversus Saracenos interfuit, qua exacta sacræ militiæ, (ut dicebatur) adversus Vandalos ad fidem Christi cogendos nomen dedit cum Adelberto Episcopo Bremensi, verum res cedit infeliciter, & Conradus Marchio Landsbergensis ab Henetis Vandalis in prælio occiditur, postquam annis 29. summa felicitate Marchionatibus Misnensi & Landsbergensi præfuisset.

SECTIO

SECTIO. II.

SUMMARIA.

§. I. *Comitibus Stadensibus cedit Marchionatus Brandeburgiæ. Recitatur occasio, quomodo factum.* §. II. *Sigfridus primus ex illis creatur Marchio, quem sequuntur.* §. III. §. IV. *Udo I. Udo II.* §. V. VI. *Rudolphus I. & II.* §. VII. *Hartvvicus Rudolphi II. frater Archiepiscopatui Bremensi præficitur.* §. VIII. *Desinit linea Stadensis.*

§. I.

Circa hoc tempus Marchionatus Stadensis junctus fuit Marchionatui Brandeburgico: Annales tradunt: Idam nobilem fœminam, natam fratre Henrici III. Imperatoris ex Germana sorore Brunonis tum summi Pontificis Leonis IX., ex Suecia in Stadensem comitatum per hæc tempora pervenisse & Elstorp habitasse, mortuo primo ejus marito Lupoldo, duobus post invicem nupsisse comitibus Thitmarsiæ, Dedoni & Ethelero albo, quorum uterque in Thitmarsia Comes, in eadem gente cæsus occubuit: Ex quibus nati filii magnam nobilitatem posteritati reliquerunt, qua decedente, Idæ hæreditas ad Udonem Marchionem pervenit, qui comitatum Stadensem tenuit. MICRÆLIUS noster insigne Pomeraniæ decus b. m.

 refert

refert Sigfridum, Sigfridi filium Henrici Calvi Atnepotem, qui tempore Henrici Aucupis vixisse dicitur, Comitatum Stadensem tenuisse, Udoni I. in Marchionatu Brandeburgico antecessisse, ita ut ab eo tempore Brandeburgum & Comitatus Stadensis in unam coaluerint familiam, quæ duos Marchiones aleret, quorum alter teneret Brandeburgum cum appendiciis suis, alter comitatum regeret Stadensem cum Thitmarsia: Hic opponebatur hostibus piraticam ad ripam fluminis Albis exercentibus; Ille Vandalis Obotritis & Henetis: Verum hæc coalitio familiarum demum inchoata est in Sigfridi nepotibus.

§. II.

Sigfridus accepit immediate Conrado mortuo, Marchionatum Landsbergensem, bella ab ipso gesta non referuntur, quoniam ipsius pater cum Danis Thitmarsiam infestantibus in gratiam redierat. Perturbatissimus tunc temporis Germaniæ status cœpit esse, dum Germani instinctu Pontificis Romani, contra Henricum IV. Rudolphum eligunt Imperatorem: Ideoque plurimi Principum neutrum sequuntur, & nihil memorabile geritur, quilibet magis expectat unius partis fortunam & victoriam.

§. III.

Alter ex linea Stadensi Marchio Brandeburgicus fuit Udo I. Nepos Sigfridi ex Lothario filio, & Rudolphi ex filia, memorabile hoc effecit, quod Vandalos Brandeburgo ejecerit, & ditionem Dieterico I. administrante amissam recuperaverit. Dani interea, memores cladis

ab

ab Avo ejus illatæ, Vandalis auxiliares manus præbent & Udoni Brandeburgum extorquent, postquam commisso prælio viribus illorum imparem Udonem superassent, & superatum occidissent.

§. IV.

Udo II. Filius Udonis I. continuavit bellum cum Vandalis, Patris mortem ulturus eo usque belligerando progressus est, ut Vandalis Brandeburgum opera Conradi III. postea Imperatoris & Archiepiscopi Magdeburgensis usus, rursus adimeret, ut PEUCERUS *in Chronico Carionis* habet: Alter fuit ex Marchionibus Brandeburgicis, cui Burggraviatus Magdeburgensis cessit, eum primum Burggraviorum, secundum Marchionum Brandeburgicorum ex historiis & annalibus extitisse, cognitum habemus: Burggraviatus dignitas derivata est in ipsum post obitum soceri sui Diterici Comitis Plozkensis, ex cujus filia genuit Ditericum filium, Patris in Burggraviatu Magdeburgensi successorum.

§. V.

Rudolphus frater Udonis II. Marchio Brandeburgicus heros fortissimus & bellicosissimus sub auspiciis Lotharii Saxonis adversum Henricum V. belligeravit, interfuit ille memorabili prælio anno 1115. a Christo incarnato 11. Febr. commisso cum exercitu in Welphesholtz, quo Saxones victores attriverunt copias Henrici Imperatoris & ex utraque acie 45. millia hominum desiderata sunt. HELMOLDUS de hoc ait: *Copias Cæsaris majores fuisse Saxonum copiis, atque tres Saxones quinque Cæsarianis oppositos fuisse in pugna.* Heros hic deni-

denique a rebellibus suis subditis in Dietmarsia, vel ut aliis placet, in Comitatu Stadensi occisus periit.

§. VI.

Rudolphus Filius Successor in patria ditione & dignitate Diethmarsis bellum fecit, ut Patris mortem ulcisceretur & de reis supplicium sumeret; Verum quoniam communis causa agebatur, communibus armis Dithmarsi se huic opposuerunt in subsidium invitatis Frisiis & Bremensibus; ast infelici & plane irrito, ex divini numinis auspicio, conatu. Nam delapsis in sua exercitibus, divisisque copiis, Rudolphus, Comes Thietmarsiæ & Fridericus Palatinus ex eodem agmine Bremam ducunt: Nihil tale opinanti civitati supervenit; at Thietmarsi, infrenis populus, tum jugum dominationis excusserunt, invidentes tanti Herois virtuti, Rodolphum in Thietmarsia occiderunt. Testimonium CRANTZII *lib. 6. cap. 18. in Metropoli* hoc est: *Per hæc tempora comitatum Thietmarsiæ Marchionatui subditum Rudolphus Marchio Marchionis Rudolphi Filius regebat & per insolentiam habitatorum ut Pater cæsus interiit.* Idem CRANTZ *lib. 6. Saxon. cap. 11.* pluribus videri potest.

§. VII.

Rudolphus fratrem indeptus erat Hartwicum, qui post fata ejus egit apud Alberonem Ecclesiæ Bremensis Archiepiscopum, ut concesso patrimonio suo Ecclesiæ (erat enim legitimus hæres & successor in Thietmarsia) perficeret, ut in perpetuum is dominatus apud Ecclesiam remaneret: ipsi vicissim, quoad viveret, Comitatus Stadensis, quem jam libere tenebat Ecclesia, permit-

mitteretur. Placuit utrinque commutatio & roborata est anthoritate Cæsaris, qui Palatinum Hartwico dedit defensorem. Sub id tempus, Henricus Leo puer Henrici Superbi, Bavariæ Ducis Filius controversiam movit de Comitatu Stadensi & Dithmarsia: & per consiliarios suos querimoniam excitavit Archiepiscopo Alberoni coram Imperatore eo, quod Archiepiscopus pollicitus diceretur Henrici matri, ejusque hæredibus, defuncto Rudolpho comite Stadensi, comitatum Stadensem. Ad hanc controversiam sopiendam ab utraque parte sunt delecti, & Cæsar ad eam tollendam indixit partibus conventum in Ramesla. Præfecit Imperator suo loco tractatibus habendis Thietmarum Episcopum Verdensem, Albertum dein Marchionem, Hermannum de Winzenberg, & Henricum de Dasle, Comites. Archiepiscopus cum suis factum defendit, Dux cum Consiliariis impugnavit. Et ubi nil inter diffidentes componitur, Satellites Ducis Henrici ad arma concurrunt, Archiepiscopum captivum abducunt in arcem Luneburgi, denique diuturno temporis tractu, in custodia detentum dimittunt. Hartwicus Præpositus in manus Hermanni de Luchow Nobilis viri incidit, qui eum Alberto postea Marchioni tradidit. Albertus quoniam Hartwico propinqua cognatione junctus erat, acceptum cum honore in sua & ad suos remisit. CRANTZIUS *lib. 6. Metrop. & lib. 6. Saxon.* Mortuo Adalberone Archiepiscopo, Hartwicus Archiepiscopus a Bremensibus eligitur, & Stadensem comitatum Capitulo reddit, litigium interea manet alta mente repostum usque ad mortem ejusdem. Henricus collecto exercitu, Diethmarsiam & comitatum Stadensem invadit, Thietmarsos subjugat, Stadam urbem vi, adjacentem terram deditione

tione capit. Ulterius progressus Vandalis Slavis bellum facit, qui Christianam fidem nondum agnoscebant, & victor eo usque adegit, ut juramentum fidelitatis præstarent, & Episcopos eodem jure obstrictos reciperent. Henricus Leo quidem nec solus nec primus bellum intulerat Vandalis, siquidem in expeditione Vandalica priori fuerunt Antistes Magdeburgius, Præsules Albertus Hamburgius, Wigmannus Numburgensis, Rudolphus Halberstadius, Monasteriensis, Mersburgius, Brandeburgius, Havelburgius, Olomucensis; Abbas Corbeiensis. Duces & Pricipes cum eo Conradus Zaringius, Conradus Marchio Misnensis, Albertus Marchio postea Brandenburgensis, Fridericus Sommerseburgius Saxoniæ Palatinus, Hermannus frater ejus. Verum cum Nicoloti Slavici Ducis virtus & celeritas efficerent, ut Saxones rem infectam relinquerent, (prius enim bellum ab eo finitum, quam a Saxonibus illatum est,) altera vice Henricus Leo Vandalos invadit solus & superat. Cum vero prospera omnia Henrico Leoni contingerent, subacta Wandalia & fœdere amicitiæ cum Waldemaro Dano inito, cœpit illum superbia pertentare, insolentia tantam gloriam & felicitatem infuscavit, denique sequuta est invidia gloriæ comes. Immensis divitiis locuples, clarus victoriis, in gloria propter geminum principatum sublimis, omnibus Saxoniæ Principibus intolerabilis est visus. Sed manus Principum formido Cæsaris continuit, quem Romæ ex seditiosi populi manibus liberarat, occisis ex rebellibus 1116. Alia vice Imperator Henricum Leonem ad rebelles coërcendos in Italia invitavit, qui more auxilium Imperatori ferentis accessit, verum cum non omnia geri ex sua sententia intelligeret, in obsidione Alexan-

Alexandriæ Imperatorem maximis undique angustiis circumventum deserit, quo irritatus Imperator Germaniam repetit, Henricum, ut coram se in judicio compareat, citat; ast Henricus male sibi conscius conspectum Imperatoris fugit, judicium metuit. Quare Majestatis reus proscribitur, ejusque terra distribuitur inter alios Germaniæ Principes, Imperator Fridericus Palatinatum Othoni Witelsbachio concessit, Saxoniæ partem cum ducis titulo Bernardo Alberti Ursi Filio, illi propter virtutem propriam, huic ob virtutem Patris in bellis Imperatoris præstitam.


§. VIII.

Eodem fere tempore, cum in Marchionatu Brandeburgico de certo successore non constaret, Conradus Comes Plotzkensis Neomarchiam cum sede Landsberga sibi vendicat. Comitatus Stadensis relinquitur Henrico Leoni, Marchia Brandeburgensis cessit supra laudato Alberto, qui novam Marchionum stirpem constituit: Addebatur huic gemina pars terræ, altera, quam Conradus Comes Plotzkensis tenebat, altera Primislai Vandalorum Regis, illam Conrado sine hærede fatis functo, indultu Imperatorio accepit, hanc ut hæres ad se pertraxit. Nam Primislaus Vandalus ad Religionem Christianam conversus Albertum adoptasse & ditionem, quam olim permissu Imperatoris suam fecerat, donasse dicitur. PEUCERUS *lib. 4. Chron. Car. Senio confectus Primislaus cœpit de damnis sæpius Christianis illatis cogitare, & ut aliquid remunerationis loco antea afflictis cederet, Albertum Ursum terra ista donavit, qua maxi-*

me Vandali & Heneti Christianis nocere poterant. vid. pluribus LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS *de rebus Germanicis cum appendice.* De Marchionum Brandeburgicorum antiquiorum rebus gestis vid. LUITPRANDUS *de rebus gestis suo tempore.* HELMOLDUS *Canonicus Buzoviensis in Historia Henetorum in Germania ad littus Balthici maris conversorum.* WITEKINDI *Historia*, ALBERTUS CRANTZIUS *in Saxon. Vandalia, Dania & Metropoli.* GEORGIUS FABRICIUS *in Saxonia*, JOHANNES AVENTINUS *in Annalibus Bojorum*, ANDREAS ANGELIUS *in Chronico Marchico*; CALVISIUS, BUCHOLCERUS *in chronologia*, CHYTRÆUS *in Saxonia*, & plures alii.



IX.



IX.

M. JOHANNES FRIDERICUS SCHROEERUS Origines Marchiæ Brandeburgicæ ex monimentis antiquis investigaturus, Dissertationem hanc publico Eruditorum examini exposuit Vitembergæ A. MDCCXXII. eamque FRIDERICUS GUILIELMUS MOEBIZ *Gub. Lusatus*, Respondentis vices sustinens, defendit. Adscribitur hæc Dissertatio plerumque Cel. Viro Jo. Guil. Bergero P. P. Wittembergensi. Ratio, cur hoc fiat, nos fugit. In exemplari enim, quo nos usi sumus, Schrœerum Præsidem Dissertationis legimus. Plura de auctore, Scriptoque ipso, in præsentia referre, non suppetit.



IX.

JOH. FRID. SCHROEERI ORIGINES

MARCHIÆ BRANDEBURGICÆ EX MONIMENTIS ANTIQUIS.

SUMMARIA.

§. I. II. III. *Provinciæ Vandalicæ nomen & situs* §. IV. *Vandali & Suevi ex terris suis excedunt.* §. V. *Vandalorum nomine omnes populi barbari veniunt.* §. VI. *relictas Vandalorum*

lorum sedes occupant Venedi, §. VII. *qui & Heneti & Slavi appellantur,* §. VIII. *& ad Havelam considentes dicebantur Hevelli, quos destruxit Henricus Auceps,* §. IX. *& limitem Slavicum custodiendum tradidit Sigfrido Comiti Merseburgensi,* §. X. XI. XII. *de quo docti in varias eunt sententias.* §. XIII. *Gero Marchio Lusatiæ vincit Slavos,* §. XIV. *quos, ut ad disciplinam Christianam traducat Otto Imp. sedem Episcopalem in Castro Havelberg & Brandenburg constituit.* §. XV. *Gero Marchio vocatur Præses & Defensor patriæ,* §. XVI. XVII. *& Ducis titulo insignitur.* §. XVIII. *Ipsius monimentum in Templo Gerenrodensi,* §. XIX. *cujus inscriptio in dubium vocatur,* §. XX. *& quod Gero S. R. Imperii Dux fuerit,* §. XXI. *sicuti Cel. Ludvigius evincere nititur,* §. XXII. XXIII. *cujus sententiæ multa refragantur.* §. XXIV. *Sub Ottone II. Imp. Slavi rebelles occupant Brandenburgum, quod recuperatur sub Ottone III.* §. XXV. *Thiedericus Marchio per contumeliam Slavis illatam efficit, ut hi maxima cum crudelitate in Christianos*

ſtianos ſæviant, ſeque in libertatem vindicent. §. XXVI. *Hiſtoria Marchionum Brandeb. circa hac tempora anceps valde & incerta* §. XXVII. *Gero Marchio nullum reliquit filium.* §. XXVIII. *Brunito & Hugo cur inter Marchiones Brandeburgicos referantur.* §. XXIX. XXX. & XXXI. *Tempus quo Marchiones Brandeburgici è Familia Comitum Stadenſium, Marchiam Brand. obtinuerunt incertum.* §. XXXII. *Udo II. ex Marchionibus Stadenſibus primus inter Marchiones Brand. jure refertur, qui infelici contra Slavos fortuna utitur,* §. XXXIII. *Jure verò ceſſionis obtinet terram Soltvedelenſem, fundamentum Marchiæ Veteris,* §. XXXIV. *qua per Udonis II. matrimonium cum Ermengarda Comitis de Plozece Sorore, acceſſit Domui Anhaltinæ ſive Ballenſtedenſi,* §. XXXV. XXXVI. *& tandem ad Albertum Anhaltinum cognomine Urſum pervenit.* §. XXXVII. *Hiſtorici recentiores valde diſſentiunt circa modum, quo Marchia Soltvedelenſis in poteſtatem Gentis Anhaltinæ pervenerit,* §. XXXVIII. & XXXIX. *cui modo & Genealogia adverſatur.*

§. XL.

§. XL. *Veræ origines Marchiæ Brandeburgicæ,* §. XLI. *ex rationibus Chronologicis,* §. XLII. *quæ & Cel. Ludvigii Sententiam de Ducatu Brandenburgico valde premunt.* §. XLIII. *Albertus Ursus populos exteros in Marchiam accersit, ipsisque urbes & oppida Slavorum tradit.* §. XLIV. *Unde Marchia, in formam Provinciæ Germanicæ redacta, & ipse Albertus inter Officiales Imperii locum obtinet, ejusque filius Otto magnus & potens & Camerarius Imperatoris vocatur.* §. XLV. XLVI. *Quid ex hoc Summo Imperii Officio illustr. Coccejus & Ludvigius colligant.*

§. I.

Marchiæ Brandeburgicæ origines, & potentiæ ibi fundatæ primordia, nobis exponere parantibus, continuo succurrit Provinciæ Vandalicæ nomen, quod horum quidem temporum publica non tuentur monimenta, crebro tamen scholis suis eruditi, ALBERTUM CRANZIUM secuti, adhibuerunt. Jubet istud appellationis genus, antiquæ rei Geographicæ memoriam replicari, quæque veterum fuerit Germanorum Vandalia, paululum investigari, quo, an justa sit & idonea satis comparatio, rectius intelligatur,

§. II.

§. II.

Vandalia veterum longe lateque patuit, in primis, si Suevia, descripta, e græcis STRABONI & PTOLEMAEO, e latinis, CAESARI, PLINIO, TACITO, paria faciat cum ista, ut, post HUGONEM GROTIUM, in Prolegomenis ad Historiam Gothorum, Procopio præmissam, non nequicquam alii quoque arbitrantur. Commune utriusque incolis nomen ab Excursionibus, de quibus egregie in rem nostram CAESAR. *Suevorum, inquit, gens est longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi caussa, suis ex finibus educunt. Reliqui, qui domi remanserint, se atque illos alunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi remanent.* Hactenus CAESAR, L. IV. C. I. de B. G. Suevia vero per totam maris, ut postea dictum est, Balthici oram, a Danubio ad Albim & Vistulam, amplissimis tractibus porrigebatur, in gentes pagosque plurimos divisa.

§. III.

Marchiæ speciatim Brandeburgicæ ex antiquis Sueviæ gentibus conveniunt Semnones, vetutissimi & nobilissimi Suevorum, ut ait TACITUS, quos Suevis Anglis PTOLEMAEUS, L. II. C. II. *Geogr.* ortum versus, vicinos, facit, collocatque post Albim. Similiter VELLEJUS PATERCULUS Lib. II. C. VI. *Albis*, inquit, *Semnonum, Hermundurorumque, fines praterfluit.* Recte igitur GODEFRIDUS GUILIELMUS LEIBNITIUS, *Tom. I. Script. Brunsuicensium*, ad C. XXXIX. *Germania*

Nn

maniæ Taciti, p. 13. notat, Semnonas ad Havelam, Spream, Viadrum, inhabitasse Marchiam Trans-albinam omnem, Pomeraniæ partem cum Lusatia.

§. IV.

Sec. V. salutaris ortus ex his terris excessit magna vis gentium variarum, Provinciæ Rhenanæ in primis, tum & Galliæ & Hispaniæ, funesta, quæ Vandalorum, Suevorum, Alanorum, aliorumque populorum, nominibus continebatur. Rei gestæ fides penes HIERONYMUM Ep. XI. PROCOPIUM *de bello Vandalico*, ISIDORUM *in brevi Historia Vandalorum*, ZOSIMUM Lib. VI. C. III. IDACIUM *in Chronico*, & alios. Exinde potentissimum in Africa regnum Vandalicum, a Belisario seculo sequenti subvertendum.

§. V.

Elegans est, nec aliena prorsus ab instituto præsenti, observatio doctiss. ANTONII PAGII, *in Critica ad Annales Baronii Tom.* II. *ad Annum.* 407. n. XVI. seq. quam & alio loco repetit, medii ævi scriptoribus, post ingentem hanc Vandalorum migrationem, omnes Barbaros Vandalorum nomine venire; unde & Hispania aliquandiu appellata sit, cum Mauris jam incoleretur, Vandalia, vestigio hujus nominis adhuc superstite.

§. VI.

Sedes autem, quas Vandali reliquerant, ceperunt Venedi, seu, qui doctioribus iidem videntur, Heneti, quos quidem eosdem ac Vandalos esse, existimant Scriptores non non ultimæ notæ, perpetuo vero, &, contur-

turbatis gentium migrationibus, mendose, permiscet ALBERTUS KRANZIUS in Vandalia, ut peritioribus constat. Caute tamen esse distinguendos illos, ex probatæ fidei monimentis docuerunt, HENRICUS BANGERTUS AD HELMOLDUM L. I. C. II. p. 9. seqq. HERMANNUS CONRINGIUS, *de finibus Imperii.* C. XVI. CONRAD. SAMUEL SCHURZFLEISCHIUS, in erudita *de Slavis dissertatione* §. 7. & ANTONIUS PAGI, *in Critica ad Annales Baronii*, Tom. IV. *ad annum* 965. n. IX. p. 11. TACITUS *de moribus Germ.* C. XLVI. Venedos extra Sueviam, atque adeo Germaniam, collocat, PTOLEMAEUS aperte ad Sarmatas refert. Vindili vero apud PLINIUM, *Hist. L. Nat. IV. C. XIV.* Germani sunt, & a Suevis Taciti neutiquam diversi, quod argumento esse possit, Vandalos & Suevos esse eosdem.

§. VII.

Venedi isti, Winithi, Winuli & Heneti, notiori communiorique nomine Slavi appellantur, quorum mentio prima apud PROCOPIUM, qui Slavinos memorat, occurrit, ut dudum observatum Viris doctis. Eos a Germania Albis fluvius discernebat, quem tamen sæpius sub Imperatoribus Francicis transgressi, compluribus bellis præbuere materiam, de quibus hic dicere non attinet. Slavorum distributionem, ductu Helmoldi, studiose edisseruit doctissimus BANGERTUS l. c.

§. VIII.

Ad Havelam Fl. Havelani sive Hevelli considebant, fortes bello ac feroces. Cum his bellum fuit Henrico, Germaniæ, e Saxonibus, Regi, qui, vindi-

caturus auxilia Slavorum Hungaris lata, in Hevellos irruit & castrum eorum Brennaburg, situ loci & arte munitissimum, tempore in primis oportuno, cum gelu omnia rigerent, cum omni regione cepit, ut auctor est WITICHINDUS Monachus Corbeiensis, Lib. I. p. 636. apud MEIBOMIUM *Tom. I. Script. German.*

§. IX.

Cum gentes Slavicæ, duriter quamvis castigatæ, sæpius tamen ad pristinam ferociam solitæ sint redire, limitem Slavicum custodiendum observandumque tradidit Henricus Rex Sigfrido, Comiti Merseburgensi, Regis in Saxonia Legato, quod elogium ei tribuit DITMARUS MERSEBURGENSIS, *L. II.* Id vero, quod de limite Slavico diximus, non inepte colligitur ex verbis WITICHINDI: *Sigfridus Saxonum optimus, & a Rege secundus --- Saxoniam procurabat, ne qua hostium irruptio interim accidisset.*

§. X.

Lubentes autem, contra vulgatam opinionem, damus Doctiss. GUNDLINGIO, quod jam Sagittario observatum, ex verbis Witichindi, nulla prorsus ratione, exsculpi posse, Sigfridum titulo Marchionis Brandeburgici ab Henrico decoratum, huicque provinciæ tanquam Procuratorem datum fuisse, qui potius Marchio Saxoniæ dicendus sit. vid. in *Henrico Aucupe* §. XXII. N. V. p. 162. seqq. Alia mens est auctoribus nonnullis recentioribus, quibus Sifridus primus Marchio audit Brandeburgicus, & Comes insuper Ringelheimensis, nullo idoneo Historiæ probatæ fundamento. Vulgares annalium Conditores, quos testes advocat GIOVANNI, *in*

Germa-

Germaniae principe L. II. C. II. p. 536. nihil valent ad faciendam huic rei fidem. Videtur etiam ideo Vir doctus sententiam emendasse, in peculiari dissertatione de Henrico Aucupe, quam sub ejus praesidio defendit Simon Frid. Hahn, Vir C. p. 27. seq.

§. XI.

Quaesivit idem l. c. suo ne, an S. R. Imperii, nomine Henricus occupaverit Vandaliam, imo an Sigfrido Marchia jure haereditario concessa sit, fueritque Saxoniae feudum. At, quod ad primum attinet, videtur totum Henrici bellum non ideo susceptum, ut novas terras acquireret, sed ut puniret tantum Slavos Hungarorum socios, faceretque tributarios. Certe, quod vel Saxoniae, vel Imperio, adiecerit Slavicum solum, historia ejus temporis tacente, quis tuto affirmabit? Praeter tributa, genti imposita, nihil memorant WITICHINDUS, *in Annalibus Lib.* II: SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *ad annum* 925. imo DITMARUS MERSEBURGENSIS Lib. I. apud LEIBNITIUM *Tom. I. Scriptorum Brunsuicensium* p. 326. Hevellos speciatim statim post victoriam Henrici rebellasse, testatur. Otiosae igitur sunt quaestiones reliquae, cum, Marchiam Brandeburgicam tum fuisse institutam, justis argumentorum rationibus nondum sit evictum.

§. XII.

Ulterius progressus est Ill. COCCEJUS, qui in Prudentia *Juris publici* C. III. *Sect.* V. §. 12. testimonio Davidis Chytraei, Chronici Carionis & Albini, Sigfridum, Augustae Fratrem & Comitem Wettinensem, Witekindei generis, facit, in quo tamen adversantem habet

 Witi-

Witichindum, scriptorem coævum; qui Sigfridum consobrinum fuisse memorat Haduidæ, uxoris Henrici, huicque ideo adfinitate conjunctum, de quo eleganter disserit Celeb. GUNDLINGIUS l. c. Comitum deinde Wettinensium nulla tunc temporis mentio in Historia, sed isti propago fuerunt Illustrissimæ & perantiquæ gentis de Tribu Buzici, ut constat ex DITMARO MERSEBURGENSI L. VI. & CHRONICO *Montis sereni.*

§. XIII.

De Ottone M. Henrici Filio, memoratu dignum est, quod tradit ADAMUS BREMENSIS, L. II. *Historia Eccles.* C. III. *Fortissimus Rex Otto universos Slavorum populos suo subjicit imperio. Et, quos Pater ejus uno grandi bello domuerat, ipse Otto deinceps tanta, Dei adjutorio, potentia constrinxit, ut tributum & Christianitatem pro Vita simul & PATRIA libenter offerrent Victori.* Insignis imprimis in hoc bello Slavico extitit opera Geronis, Orientalium Marchionis Lusizi & Selpuli, ab Henrico constituti, ut tradit DITMARUS Lib. II. p. 333. quod etiam affirmat WITICHINDUS *Annalium lib.* II. qui sæpius Slavos, a Gerone victos, memorat. Quem igitur jure sibi vindicat Lusatia, eum recentiores & Marchiæ Brandeburgicæ præfectum fuisse tradunt, idque per conjecturam, liquido testimonio destitutam. In quo tamen tam inique agunt cum Marchia Lusatica & Misnensi, ut, cum deinceps Ducis titulum Geroni tribuant, nihil inde Lusatiæ vel Misniæ accessisse credant, sed, solam Marchiam Brandeburgicam istum ducatum fuisse, magna animi confidentia asseverent. Ajunt enim, Marchionem tum nudi officii nomen fuisse, quod ad extrin-

trinsecam Civitatis administrationem & modum, non ad formam & statum, pertinuerit, unde Lusatia & Misnia nunquam jura Civitatis germanicæ acceperint, sed manserint juris Slavici. At in eo Viri docti sua vineta cædunt. Gero enim respectu Slaviorum nunquam Dux appellatur, sed Marchio, ut habet Charta Gallensis apud GOLDASTVM *Tom. III. Scriptorum Alemannicorum p. 65, Gero Comes Saxoniæ & Marchio contra Slavos*, quod hic quasi in transcursu monemus.

§. XIV.

Istud extra controversiam positum est, devictis Slavis, Ottonem serio in id incubuisse, ut ad disciplinam Christianam barbaras gentes traduceret. Constituit igitur in Castro Havelberg sedem Episcopalem, & utramque Moguntinæ Metropoli subjectam esse jussit, ut vult CHRONOGRAPHVS MAGDEBVRGENSIS, apud PAGIVM *in Critica ad* A. B. Tom. IV. ad An. 967. n. VII. p. 17. p. quodque confirmat Pagius ex Ditmaro, ad cujus mentem Episcopatus Brandeburgensis annis XXX. ante Magdeburgensem Archiepiscopatum cepit initium. Quod vero Geroni Marchioni cura & tutela harum Ecclesiarum tradita fuerit, ut & Marchiam hanc Brandeburgicam cum Lusatica *procurarit*, temere quidem non nego, attamen, inopia probatorum satis monimentorum, non affirmo tanquam rem dubitationis expertem.

§. XV.

Geronem hunc *Witichindus* L. III. *præsidem* notabili phrasi nominat, DITMARVS vero Lib. II. p. 334. *Defensorem Patriæ*, non tantum ideo, quod Slavis præfuerit, sed &, quod Legati Imperatorii dignitatem per

Saxo-

Saxoniam sustinuerit, quod nos docet DITMARUS L. II. p. 331. *Discordia quoque inter concives consociosque oritur non minima, quæ Tammonem Regis & Luidgerdæ concitavit filium, eo, quod Legatio Sifridi, Comitis Merseburgensis, quam sibi idem vindicaverat, Geroni sit tradita Marchioni, hereditasque materna sit ei prorsus ablata.* Caussam harum discordiarum nobis diversa prorsus ratione exponunt recentiores, cum quibus haud obscure facere videtur dociss. PFEFFINGERUS *Tom. II. Vitriarii illustr.* Tit. XVII. p. 629. Ajunt enim, defuncto Sigfrido, Marchiam invasisse Tanquardum, vel ut Witichindo dicitur, Tancmarum, ab Ottone M. iterum pulsum, qui Marchiam tradiderit Geroni, quod nobis, hic superiorem Ditmari locum respicientibus, recitasse sufficiat.

§. XVI.

Majus est Elogium *Ducis*, quod Geroni interdum tribuitur, sed ex indole horum temporum, & longe aliter æstimandum, quam quidem placuit nonnullis ævi nostri Consultissimis Viris, quibus iste titulus multarum conjecturarum extitit fœcundissima mater. Translata Ducatus dignitas in Marchiam quoque, ut supra jam indicavimus, ex colonis Germanis, Germano Duce & in solo Germanico, conditam, Germaniæ igitur Provinciam Ducalem, proprio jure & potestate utentem regnoque mediate subjectam, Auctore hujus amplissimi decoris Henrico Rege. Ita fere COCCEJUS J. C. CHRISTIANUS THOMASIUS *ad Monzambanum* C. III. §. III. lib. c. p. 162. & alii. Inprimis hanc sententiam suam fecit JO. PETRUS LUDVIGIUS, multoque eruditionis apparatu

paratu exornavit, in dissertatione *de Formula Brandeburgici Ducatus*, *Halis* 1706. edita.

§. XVII.

Præfert autem hunc titulum monimentum, in Cœnobio Gerenrodensi Geroni positum, quod Gero instituit, suoque nomine appellavit, ut legitur apud DITMARUM L. II. p. 334. Habet etiam eundem CHRONICON MONTIS SERINI, quod MADERUS in lucem edidit, suæque scriptorum Lusaticorum collectioni inseruit CHRIST. GODOFREDUS HOFFMANNUS V. C. ad A. 1171. p. 44. *Temporibus primi Ottonis Imperatoris duo fuerunt Fratres, Gero Dux & Marchio, & Sifridus Comes.* Nunquam tamen apud Ditmarum, Witichindum, vel in Diplomatibus Ottonis, quæ utilissimo studio collegerunt CASPAR SAGITTARIUS & JOH. CHRIST. BECMANNUS, Ducis Elogium habet, sed *Gero Marchio Comes* simpliciter audit.

§. XVIII.

Ipsum monimentum diligentissimus BECMANNUS, prout istud hodieque in Gerenrodensi Templo extat, æneis tabulis exprimendum fideliter delineandumque curavit, cujus inscriptionem liceat hic exhiberi.

ANNO· DONI· DCCCCLXV· XIIII· KALENDAS·
IVLII OBIIT· ILLVSTRIS· DVX· ET· MARCHIO·
GERO SAXONVM
HVIVS· ECCLESIAE· FVNDATOR· CVIVS AIA:
REQVIESCAT· IN· PACE· AN

Mirum quantum autem discrepat in dispositione verbo-

 rum

rum Epitaphium apud Cel. LVDVIGIVM, quod hic, pace illius, silentio transmittendum, non duco, l. c. lit. b. p. 35.

GERO DVX ET MARCHIO FVNDATOR ECCLESIAE SAXONVM ANNO DNI DCCCCLXV. XIII. KAL. IVLII OBIIT ILLVSTRIS DVX ET MARCHIO HVIVS ECCLESIAE FVNDATOR CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE AMEN

Ex hac vero inscriptione, uti eadem apud Becmannum legitur, quid confici possit pro ducatu Marchico, prorsus non intelligo. Si Gero Dux & Marchio Saxonum fuit, quid hoc ad Marchiam Brandeburgicam? Imo, cum Ducatus Saxoniæ penes ipsum tunc temporis fuerit Imperatorem, secus ac nonnullis persuasum est, quis, Geronem, crederet Saxonum Ducem sensu proprio, quo Dux dignitatis nomen est, cum excellentia Iuris & possessionis, appellari? At contendit CL. LVDVIGIVS, cum, KRANZIO teste in *Vandalia* L. II. C. 26. variæ Saxonum Coloniæ emigrarint in Marchiam subactam, Geronem haud dubie, hujus populi causa, dici Saxonum Marchionem. Sed vix crediderim, hanc conjecturam sufficere apud æquos harum rerum judices, quæ insuper Kranzio nititur, scriptore recentiori, & teste in hoc negotio minus idoneo. Imo sententia, opinioni huic contraria, perspicitur ex supra allato loco Adami Bremensis, qui vix permittit, ut Slavos *Patria* ejectos putes, quod subinde perhibent viri docti. Ut libere dicamus, quod sentimus, totum hoc Epitaphium dignitatem testimonii non sustinet, quippe longo post

Gero-

Geronem intervallo positum, & ab Augusto Principe, Anhaltino, honori memoriæque conditoris, instauratum, ut probe, in re ex instituto acta, animadverit BECMANNVS l. c. p. 174. hujus certe argumenti quam peritus, tam diligens, &, ut spero, extra partium studium positus, mirum tamen, ab eo nullam Ludevigianæ Formulæ mentionem fieri. Faventem interim Vir doctus in hac sententia stylum diplomaticum habet, qui, ad Epitaphium comparatus, clare ostendit, scripturæ genus spectare ad Sec. XIV. vid. JO. MABILLONIVM de *Re diplom. Tab. XV.*

§. XIX

Si fidem porro Diplomatum sequamur, quæ BECMANNVS, *in Chronico Anhaltino Part.* III. L. I. C. VII. p. 167. seqq. exhibet, diserte cogimur negare, Henrici & Ottonis M. temporibus, Geroni nostro Ducis titulum adscriptum fuisse. Vnde Magnifico GRIBNERO, in doctissimo de Gerone Marchione Programmate, sub dubium & ambiguum videtur, utrum illi, qui primum Ducis titulo insigniverunt Geronem, ad Lusatiam, cui præfuit, an ad gentis, ex qua ortus est, fastigium respexerint; utrum propter Ducatus Saxonici administrationem, ipsi concreditam, an denique propter muneris & officii gravitatem, & ob præstitam impp. Henrico & Ottoni adversus Slavos, aliasque gentes, operam, Dux fuerit appellatus. Multum quoque hic tribuendum crediderim adulationi Monachorum, quibus facile fuit, pro tantis beneficiis, in se collatis, reponere Ducis Elogium.

§. XX.

Alia tamen sentire jubemur, si ex stylo veterum

Romanorum, apud quos Dux & Comes Limitaneus paria faciunt, ſententia ferenda eſt de temporibus, ut vocantur, Poſt-Carolingicis. Secundum hunc enim & propter officium limitaneum Gero Dux appellari meruiſſet. Ducum horum limitaneorum mentionem injiciunt AELIVS LAMPRIDIVS *in Alexandro Severo* C. LVIII *Tom. I. Script. Hiſt. Aug.* p. 1024. ubi, limitaneis Ducibus & militibus ea, quæ ab hoſtibus capta fuerant, rura donaſſe Imperatorem, memorat; & doctiſſimus ISAACVS CASAVBONVS, in notis, feudi quandam ſpeciem probe aduertit. VALERIANVS, in Epiſtola ad Gallos apud Trebellium Pollionem, de triginta Tyrannis in Vita Poſtumi ſenioris Tom. II. Scriptorum Hiſtoriæ Aug. p. 259. ſeq. *Transrhenani Limitis Ducem & Galliæ Præſidem, Poſtumium, fecimus, virum digniſſimum ſeveritate Gallorum.* Adjicienda his ſunt, quæ habet Notitia dignitatum utriusque Imperii C LXXVIII. Tomo VII. Theſauri Græviani, &, quæ ibidem præclare PANCIROLLVS, aliique Juris interpretes ad Codicem Theodoſianum, annotarunt. Si igitur Romanorum moribus hic ſtare velimus, ipſius Conſultiſſ. Ludvigii ſententia, Marchio, ſive Dux limitaneus, præfectus erit, cui limitis cura precario jure ab Imperatore fuit demandata, addo, interdum feudi loco conceſſa; quæ tamen parum faciunt pro Gerone, ejusque in S. R. Imperio dignitate ducali. Conſtat enim exemplo non uno, quod & antiqui rerum germanicarum ſcriptores non ſatis ſibi caverint ab iſto ſcribendi genere minus apto, quo res germanicas ſtylo Romano deſcribunt, qui moribus germanis non reſpondet. Proinde fac, Geronem in Epitaphio Gerenrodenſi, ſtylo romano, Ducem appellari, idque ideo, quod limiti fuerit præfectus. Ob hanc

tamen

tamen causam locum non obtinebit inter S. R. Imperii Duces, quales erant, sub Saxonicis Imperatoribus, Duces Saxonum, Francorum, Alemannorum &c. prius, quam probaveris, & terram ipsam juris Germanici fuisse, & inter provincias S. R. Imperii relatam.

§. XXI.

Sed illud maxime enititur Cel. LUDVIGIUS, ut ex diplomatibus ei, quam exposuimus, sententiæ contrarium evincat. Maximum autem momentum ponit in diplomate Imp. Ottonis I. quo Magdeburgensi Episcopatui Anno 962. donat oppida Luborn & Tuchim. Ipsum enim Geronis Epitaphium argumenti vim prius non obtinere, ipse haud obscure innuit §. IV. not. b. p. 35. quam consensu reliquorum argumentorum, in primisque diplomatum, confirmetur. Quocirca hoc diploma tanti ponderis ipsi est, ut literarum clientelarium, hodie quidem perditarum, quibus Brandeburgicum Ducatum Geroni Otto concesserit, vicem, sicut Ille arbitratur p. 38. not. e. præstare possit.

§. XXII.

At, quamvis Viri doctissimi fide, quam præsertim aliis in locis Archivorum auctoritate stipare solet, niti, nec inviti, vellemus, minus tamen assequimur, ubinam legatur in laudato Ottonis diplomate: *Geronis Marchionis Ducis Brandeburgici.* Quod quidem colligit ipse, cum ibidem: *Habes itaque*, inquit, *Ducem Brandeburgicum ipsius Cæsaris Elogio, quo majus sperari non potest.* Idem Vir Celeberr. conficit ex testimonio *Chronici* Lauterbergensis, quod supra in medium produximus, idque ex *Poppenrodio*, *Chytræo*, *Kranzio*, confirmat, qui tamen in hac

controversia, auctoritate destituuntur. Observatu quoque dignissimum est, quod HORNIVS noster, etiam post fata celebratissimus, contra hoc ipsum Ottonis diploma, submonuit, in dissertatione de *Burggraviatu Magdeburgico* §. X. p. 13. seq. *nihil in illo*, prout istud integrum exhibetur apud LEVBERVM de *stapula Saxonica* n. 160. &, quousque ad res Magdeburgenses referri potest, apud SAGITTARIVM in *Antiquitatibus Magdeburgensis Episcopatus* §. 79. p. 34. qui harum rerum longe scientissimus, ad MS. Codices provocat, *nihil*, inquam, *plane de Duce Gerone haberi, sed eo loco, quo vox DUCIS reperiri dicatur, τὸ DUAS* legi. Ita enim verba laudati diplomatis apud Cel. Ludevigium. CONSILIO POPPONIS WIRZBURGENSIS ECCLESIAE EPISCOPI ATQUE GERONIS MARCHIONIS DUCIS emendat vir quondam doctissimus, atque ex serie verborum confirmat: *Otto, divina favente clementia, Imperator Augustus - - - Consilio Popponis, etiam VVirciburgensis Ecclesiæ Episcopi, atque GERONIS MARCHIONIS DUAS CIVITATES nostræ regiæ vel Imperatoriæ proprietatis, Luborn & Tucbime nominatas, in occidentali parte Albiæ fluminis, & in pago Moroszanorum sitas, atque in Comitatu PRAEDICTI MARCHIONIS GERONIS, cum omnibus appendiciis suis, Deo, sanctoque martyri Mauritio, nostro scilicet Patrono in Magadaburg, liberaliter transfundimus & donamus.* Hactenus ille.

ille. Dolemus autem, pro nostro hujus antiquitatis studio, Consultissimo Formulæ Ducalis Brandeburgensis Assertori integrum non fuisse, totum donationis Ottonianæ libellum recitare, quod quidem nos cum Eruditis maxime optassemus. Sic enim spes suberat, fore, ut DUCEM BRANDEBURGICUM, quem in Ottonianis verbis, hic editis, desideramus, reperiremus forte, eademque simul opera id disceremus, quod nulla dum medii ævi Geographia nos docere potuit. Quamvis enim Brennaburg a WITICHINDO, & Episcopatus Brandeburgensis a DITMARO, commemorentur, nondum tamen edocti sumus, a quoquam veterum *Ducatum Brandeburgicum* nominari, nedum Sec. X. cum nec *Marchio de Brandenburg* nobis, nisi extremo fere Sec. XI. occurrat. Cum autem cætera ejusdem diplomatis, hic recensiti, cum *Leuberiana* & *Sagittariana* editione, si *Hornianam* excipias emendationem, per omnia conspirent, pervellemus in primis scire, utrum *Ludevigiani* Scrinii libellus illud pari modo exhibeat: IN COMITATV PRAEDICTI MARCHIONIS. *Prædicti*, inquam, ut constaret tum, MARCHIONEM supra nominatum fuisse, non DUCEM.

§. XXIII.

Addidit Cel. LVDVIGIVS l. c. lit. e. p. 36. argumentum novum, in diplomate, apud *Hoppenrodium* f. *Poppenrodium* p. 423. titulo Marchionis Ducis præmitti formulam *Dei gratia*, quam male congruere existimat cum militari præfecto, *einem Sächsischen Officirer*, qualis est Gero ex mente nonnullorum. Verum hic merito animi pendent alii, an ullum bonæ fidei diploma extet, in quo ista formula legatur cum Elogio Ducis. Quid enim

enim Poppenrodius, pro fide sua minus tuta, ex suo subinde fecerit ingenio, de eo hic secure tacemus. Ipse Gero in literis fundationis Cœnobii Gerenrodensis, quas ex authentico exemplari restituit Beçmannus l. c. p. 168. ita: *In nomine sacra & individuæ trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Ego Marchio Gero, divina favente clementia, omnibus Christi fidelibus &c.*

§. XXIV.

Has rerum temporumque tenebras emensi, propius nunc accedimus ad historiæ lucem. Sub Ottone II. ita pergit Ditmarus Lib. III. p. 345. *Gentes, quæ, suscepta Christianitate, Regibus & Imperatoribus tributaria serviebant,* (en tibi gentes tributarias, non expulsas) *superbia Thiedrici Ducis aggravatæ, præsumtione unanimi arma commoverant, quod Patri meo Sigefrido, priusquam fieret, revelatum ---- Quod etiam III. Cal Julii scelus, percusso in Havelberg præsidio, destructaque ibidem Episcopali cathedra, primum exoritur. Transactis autem trium spatiis dierum, Slavorum conspirata manus Brandenburgensem Episcopatum, XXX. annis ante Magdeburgensem constitutum, cum jam prima sonaret, invasit, fugiente prius tertio Antistite ejus Volcmero & defensore ejus Thiedrico, ac militibus ipsa die vix evadentibus.* Primum igitur hic habemus Marchionem, limiti illi

Slavico

Slavico præpositum, spectata voce ratione officii, non dominii, quem Ducem, phrasi haud dubie militari, appellat *Ditmarus*, quemque paulo post defensorem tantum Episcopi Brandeburgensis facit. Ipsa autem Slavorum rebellio suppressa quodammodo fuit a Thiedrico, reliquisque Saxoniæ Principibus, ut cognoscas ex DITMARO cit. loco, & *Chronographo Saxone* ad An. 983. Brennaburgum autem tunc iterum receptum, vix crediderim. Sub Ottone III. *Chronographus Saxo* ad Annum 990. memorat, Regem, cum magno exercitu Saxonum, Brannenburg obsedisse & demum vicisse. Modum rei nos clarius edocet DITMARUS L. IV. p. 352. *Sed quia superius destructionem Brandeburgensis Ecclesiæ dixi, nunc, qualiter ad tempus præfato subderetur Regi, brevi explicabo. Fuit in nostra vicinitate quidam miles inclytus, Kiza nomine, qui a Marchione Thiedrico aliter, quam sibi placuit, habitus erat. Ob hoc, & quia facultas sua nequaquam impietati suppeteret, ad hostes perrexit nostros, qui in omnibus sibi nimis fidelem cognoscentes, supra memoratam urbem, nobis saepius ad nocendum, eidem commiserunt. Hic postea* (Anno sc. 993. ut habent *Annales Hildesheimenses* apud LEIBNITIUM l.c. p. 720.) *nostris delinitus blanditiis, eam regiæ potestati cum semetipso tradidit. Unde Luitici, nimio furore succensi, eum cum omnibus, quæ habebant, cateruas, illico petebant. Interea Rex in*

 Mag-

Magdeburg fuit, & cum hoc comperiret, quos ibi tunc habebat, celeriter eo misit, Ekkibardum Marchionem, & tres avunculos meos, Henricum, Udonem & Sigfridum cum Friderico Comite Palatino, & Patruo meo. Et hi omnes, eo cum suis venientes, intercepti sunt ab hostibus, se acriter irrumpentibus, & una pars ex nostris in urbem venit, alia vero, qua remansit, caesis militibus nonnullis, rediit. Tunc Rex, collectis undique sociis, illico properat, & hostes nostri, magnam vim defensoribus urbis inferentes, cum ultimam legionem vidissent, cito amoti, fugerunt castris, nostri autem in ereptione interius gaudentes, Kyrie eleison cantant, & advenientes unanimiter respondent. MUNITA URBE PRAESIDIO, Rex abiit, & eandem in sua potestate diu tenuit. Post hac tres avunculi mei, Henricus, Vdo & Sigefridus, cum Ethelgero, piratis sua populantibus IX. Calend. Julii navibus occurrunt, facto invicem certamine, Vdo decollatur, Henricus autem, cum fratre suo Sigefrido & Comite Ethelgero, devictus, dictum miserabile, a pessimis hominum captus, deducitur. Hæc *Ditmarus*, cujus locum paulo longiorem, studio, Marchiones certos ab incertis internoscendi, attulimus, ut in sequentibus apparebit.

§. XXV.

§. XXV.

Tractum autem illum Slavicum denuo Thiederico custodiendum traditum fuisse, HELMOLDUS L. I. C. XVI. p. 552. conceptis verbis testatur: *Eo tempore Slavorum dominio potiti sunt Theodoricus Marchio, & Dux Bernhardus illo quidem Orientalem, isto occidentalem, Provinciam possidente.* Posteriorum quoque temporum historia idem docet, cum nimirum sub Henrico Sancto anno 1013. Slavi, circa Albiam Oderamque inhabitantes, duce Mistevoi, Obotritorum regulo, qui nuptias petierat neptis Bernhardi Ducis, & a Theodorico Marchione consanguinea Ducis, tanquam canis, indignus habitus fuerat, libertatem vindicarent, totam Nordalbingiam igne ferroque vastarent, deinde, reliquam peragrantes Slaviam, omnes Ecclesias incenderent, & ad solum usque diruerent, Sacerdotes & reliquos Ecclesiarum ministros, variis suppliciis enecantes, nullumque Christianismi vestigium trans Albiam relinquentes. Sic enim hanc calamitatem describit fere HELMOLDUS, in *Chronico Slavorum* L. I. C. XVI. Cui addendi, ADAMUS BREMENSIS L. II. *Hist. Eccl.* C. XXX. ALBERTUS STADENSIS ad An. 1001. & alii. Temporis autem rationes curatius investigarunt ANTONIUS PAGI *Crit.* Tom. IV. ad Annum 1012. n. II. III. p. 104. & PFEFFINGERUS in *Vitriario illustrato* Tom. II. Lib. I. Tit. XVI. p. 120. Exitum denique hujus Thiederici, Marchionis Brandeburgici, qui Magdeburgi inter praebendarios vitam finivit, habet ADAMUS BREMENSIS. l. c.

§. XXVI.

Qua vero ratione Slavi denuo Imperio fuerint subjecti, ex ADAMO BREMENSI & aliis referre potuissemus, si istud visum fuerit, instituto conveniens. Fugientem vero hic iterum habemus Historiam Brandeburgicam, cum Marchionis nulla mentio per longum tempus. Anno demum 1089. cum Germania civili bello, Imp. Henricum IV. inter & Thuringiæ Marchionem Ecbertum gesto, premeretur, *Annales Hildesheimenses* ad An. 1089. Marchionem de Brandenburg, Hildensein obsidentem & capientem, memorant, apud LEIBNITIUM Tom. I. *Scriptorum Brunsuicensium* p. 737. Mire hic iterum hypothesi indulgent Viri Docti, quam fovent, de Marchionibus Stadensibus, brevi post excutiendam. CL. JUNCKERO enim in *Geographia medii ævi* Part. II. C. XIII. n. IV. §. 46. p. 488. Marchio iste Udo II. est, Udonis Stadensis filius, quem, ex sententia SAGITTARII, Marchiam recuperasse, arbitratur. Hunc Vdonem titulum Marchionis Brandeburgici primum usurpasse, ex analogia Historiæ conjicit, & hac observatione, apud neminem sibi lecta, impense lætatur. Sed conjectura Viri docti infirmo admodum nititur fundamento, cum nondum ad liquidum perductum sit, quod Marchiones Stadenses ante An. 1101. aliquod habuerint cum Marchia Brandeburgica commercium, ut mox apparebit. Hoc interim adjicimus, rebellantibus quavis occasione Slavis, & sub jugum iterum iterumque missis, Marchiones subinde mutatos, quis miretur? Slaviam autem Transalbinam jam tum in Provinciæ formam redactam fuisse, repugnante tota horum temporum Historia, credere non possumus, præsertim

cum

cum sub finem Seculi XI. Henrici Slavi latissimum per totam Nordalbingiam imperium HELMOLDUS memoret.

§. XXVII.

Plures sunt conjecturæ, quibus nos pascunt historici recentiores. CHYTRAEUS enim, quem sequuntur COCCEJUS & GIOVANNI, Geroni, ad quem iterum cum illis revertimur, successisse statuit filium Brunitonem & Hugonem Nepotem, Ottonis III. Affinem, Hetruriæ Præfectum, ut dicitur in Cenotaphio apud NATH. CHYTRAEUM & PFEFFINGERUM Tom. II. *Vitriarii illustr.* Tit. XVII. p. 629. Cum tamen Gero moriens nullum reliquerit filium, omnibus quippe ante Patrem extinctis, id quod non modo DITMARUS Lib. II. p. 334. clarissime testatur: *Gero, dum UNICI morte turbaretur FILII, suimet Illustris Sigefridi, Romam pergens &c.* verum etiam haud obscure innuit ipse Gero in diplomate fundationis Gerenrodensis Cœnobii aqud BECMANNUM l. c. *Ego Marchio Gero notum esse volo, quod non longe post tempore, postquam Filii mei Sigefridus & Gero viam universæ carnis fuissent ingressi, constructoque EXINDE monasterio Puellarum in Gerenrod.* Fœcundissimus itaque fuit Historicorum calamus, qui etiam post mortem Geroni potuerunt excitare Filium & Nepotem.

§. XXVIII.

Occasionem vero, qua inter Marchiones Brandeburgicos Brunito & Hugo relati sunt, manifestam reddidit Georgius Sabinus, vel qui sub istius nomine inter-

dum latere voluit, Philippus Melanchthon, in Historia de Vita Hugonis & Theodorici, Marchionum Brandeburgensium, REINERI REINECCII *Originibus Stirpis Brandeburgicæ*, *Francofurti* 1581. in f. editis, annexa. Iste enim ægre fert, quod Godofredus Viterbiensis in Chronicis Hugonem nostrum, pro Marchione Brandeburgico, prout eundem laudatum quoque Cenotaphium appellat, dixerit militem Brandeburgicum. Ex quo haud obscure discas, Hugonem, ex mente Viterbiensis, præsidiarium fuisse ducem in Castro Brandeburgensi ab Imp. Ottone collocatum, perinde ac Thiadericum, de quo in antecedentibus. Ipsum Hugonem in Italia mortuum & Florentiæ sepultum, perhibet Sabinus, sed patrem Brumitonem fratresque Brandeburgi conditos, ubi eorum Epitaphia reperiunda, ex quibus tamen, cum vetustate nimia detrita sint, certi nihil licuerit adferre. Equidem in tertio sepulchro aliquando inscripta fuisse hæc verba, quæ, antequam delerentur prorsus, a quodam antiquitatis studioso descripta fuerint in tabula in pariete hemicycli suspensa: III. CALENDAS MAJI OBIIT SEGEHARDUS, CLARISSIMI PRINCIPIS BRUMITONIS FILIUS CHRISTIANISSIMUS memorat SABINUS cit. loc. *Brumitonem* hic quidem habes *Principem*, non tamen, ut recentioribus visum, *Brandeburgicum*. Ipsum nomen, Germanis alias ignotum, Principem Slavicum loquitur ad Christianismum conversum, & inter Christianos Brandeburgi forte degentem; cui conjecturæ inprimis favet elogium *Christianissimi* Filio adjectum, quod obiter additum, non crediderim. De tabulæ vero auctore suppono, eum in restituenda fugiente Epitaphii lectione, de qua re alias conqueritur, conjecturas non esse secutum.

§. XXIX.

§. XXIX.

Inventis autem, ut ad recentiorum fabulas revertamur, Geronis Filio & Nepote mox patuit & Thiedrici genus, quod alias me, fateor, ignorare. Fuit enim Thiedricus ille, de quo supra exposuimus, ex mente eorum, Filius Sighardi, Fratris Hugonis, de quo idem SABINUS in *Vita Theodorici*, sine veterum tamen testimonio. Post hos vero secutam esse ferunt KRANZIUS & CHYTRAEUS alteram Familiam, Comitum sc. Stadensium, primo ex ea Marchione Sigfrido Stadensi, & mox sequentibus ejus Filio & Nepote, Udone I. & II. Istud exploratum satis est, Marchiam, & in primis Soltuedelensem, Marchiæ hodiernæ nobilem partem, Comitibus Stadensibus subditam fuisse, sed, quo demum tempore istam obtinuerint, remotis recentiorum conjecturis, ductu antiquiorum, mox dicemus.

§. XXX.

Ante omnia istud expediamus, necesse est, Comitatum Stadensem Marchiæ, quod ajunt formulam habuisse. Istud vero disertis verbis habet Historia de Guelphis apud LEIBNITIUM Tom. I. *Scriptorum Brunsuicens.* f. 783. *Eggebertus Marchiam illam, quæ est in finibus Saxoniæ, versus Danos, Stadam nominatam, obtinuit.* Unde non sequitur, si interdum Comites Stadenses titulo Marchionis apud Scriptores insigniantur, statim subintelligendum esse Marchionem Brandeburgicum, ut quidem a nonnullis fieri solet; multo minus istud idoneis argumentis adstrui potest, quod nonnullis apud GIOVANNI l. c. in mentem venit, Marchionatum Stadensem ab Hen-

Henrico Aucupe pariter Venedis objectum fuisse, ita tamen, ut Brandeburgico subesset. A priori vero sententia, quam notavimus, non adeo abhorret Cel. LEIBNITIUS in Introductione ad Tomum II. *Script. Brunsu.* n. XXV. p. 26. *Sic per errorem*, inquit, *nata est Marchia Stadensis, cum Marchiones Septentrionales* (*id est Brandeburgici, qua Marchia procul Stada*) *simul Stadam haberent, ibique subinde habitarent.* Verum longe abest a vero Vir summus, quod pace ejus dixerim. Quamvis enim Marchiones illi Stadenses obtinuerint tandem & Marchiam Brandeburgicam, non tamen ideo existimandum est, si conjecturis clara veterum testimonia præstant, Marchiam inde Stadensem per errorem natam, inprimis cum Marchiones appellentur Stadenses Comites, antequam Marchiæ Brandeburgicæ præessent. Ita sc. Sigfridus Stadensis Comes ab ADAMO BREMENSI *Lib. II. Hist. Eccl. C. XXII.* Marchio appellatur eo, quod observari meretur, tempore, quo haud dubie Marchio Brandeburgensis fuit Thiedericus, sub annum nimirum 993. Ex quo multum lucis accipit sententia nostra, qua diximus a Marchione simpliciter ad Brandeburgicum non valere consequentiam.

§. XXXI.

Vt paucis dicamus, quod res est, Sigefridi illius Marchionatus Brandeburgicus ortus videtur ex male explicatis iis, quæ supra ex Ditmaro attulimus, in quo tamen loco altum de ipso Marchionatu silentium. Etiam rationes chronicas lædunt, qui anno MX. Sigefridum Marchia ab Henrico II. investitum credunt, quo Marchiæ ad huc præfuit Thiadericus, ut vidimus supra.

Ad

Ad successores Sigfridi quod attinet, Udonem primum & secundum, repugnant Auctores isti Genealogiæ Comitum Stadensium, quatenus illa ex classico scriptore ALBERTO STADENSI ad Annum 1144. patescit, quando Udonem I. Sigfridi Filium, alterum vero Udonem Nepotem appellant. Udo enim iste primus nepos Sigfridi fuit, secundus vero ejusdem Pronepos. Equidem probe scio, quod non Sigfridum primum, sed secundum intelligant, attamen & istud noto, Sigfridum II. non esse, sed primum, qui bellis, contra Slavos ab Ottone III. gestis, interfuit. Hunc enim DITMARUS avunculum suum nominat l. c. Filius nempe Cunigundæ, Sigfridi I. Sororis. De Udone I. ALBERTUS STADENSIS ait: *Luderus* (Sigfridi II. Filius, cui recte Henningensius Marchiam Salisquellensem concedit) *accepit uxorem Adelbeithim, amitam Rudolphi, quem Saxones elegerunt in Regem contra Heinricum, genuitque ex ea Udonem I. qui factus est Marchio.* Hic plurimi intelligunt, ut supra jam monitum est, Marchionem Brandeburgicum, nullo tamen suæ sententiæ argumento, cum & Stadensis Comitatus Marchia fuerit, quod jam evictum credo, & Marchia Soltuedelensis in Stadensium jam fuerit potestate, ut statim dicemus.

§. XXXII.

Udonem vero *Marchionem & alios plures Saxonum Barbaros, qui Luitici vocantur, invasisse & Urbem, quæ Brandeburch dicitur, honorifice cepisse*, ex CHRONOGRAPHO SAXONE ad Anno. 1101. certo scimus. Udo II. igitur ex Marchionibus Stadensibus primus est, quem inter Marchiones Brandeburgicos jure referre

 possis.

possis. At res successu caruit, siquidem ab Henrico Obotritorum Rege, Godeschalci a Barbaris propter Christianismi professionem occisi, filio, Mestevoi vero Pronepote, Brandeburgenses tanquam rebelles subacti sunt, ut diserte loquitur HELMOLDUS L. I. c. 37. Tom. II. *Script. Brunsu*. p. 569. *Cum ergo vice quadam Brizanorum & Stoderanorum populi, hi videlicet, qui Havelberg & Brandeburg habitant, REBELLARE pararent, visum fuit Henrico armis adversus eos utendum --- Perrexit ergo cum amicissimis suis Nordalbingorum armatis, peragrans Slavorum Provinciam cum ingenti periculo venit Havelberg, eamque obsidione vallavit --- Post paucos autem dies Brizani caeterique REBELLES pacem postulaverunt, datis obsidibus*. Huic loco HELMOLDI parum conveniunt, quae ANDR. ANGELUS apud LUDUIGIUM de F. D. B. lit. q. p. 48. ipso hoc Cel. Viro judice, commiscitur, Imperatorem, odio adversus pristinum Marchionem, sibi forte in domesticis turbis minus faventem, concitasse Primislaum addito Titulo Regis Brandeburgensis. Helmoldus enim non modo in antecedentibus Henrici hujus latissimum per Slaviam regnum, quod jure successionis ad eum pervenerat, commemorat, sed & hoc loco de Brandeburgensibus, dum eos rebelles nominat, tanquam subditis antiquis loquitur.

§. XXXIII.

Marchiam vero Soltuedelensem, sive Balsamorum ter-

terram, longo abhinc tempore Slavis subditam, ut HELMOLDUS L. I. c. 88. p. 612. Udo I. diu ante adeptus est, atque ad posteros transmisit, quod, qua ratione factum fuerit, explicatius dare non possumus, quam ex Auctore libelli de fundatione Cœnobii Bigaugiensis, quem MADERUS *Chronico Montis Sereni* adjecit. Ille enim (in collect. *Script. Lus.* Tom. IV. p. 119) ita inquit: *Henricus Imp. Conradi filius* (adeoque tertius) *regebat tunc Imperium, sub quo respublica pace fruebatur, sub quo Princeps Udo MARCHIAM STADENSEM regebat, VVicbertus ergo Patre VVolffo orbatus, hunc accedens, ab eo, donec adolesceret, educatus est, simulque gladio militari ab eo accinctus, Tangermunda ab eodem Vdone inbeneficiatur, crevit consilio & Audacia in tantum, ut formidabilis etiam notis efficeretur. Ideoque Vdo eum dimittens, municipium, quod habuit juxta Elstram fluvium, nomine Groysta, cum omnibus attinentiis, eidem tradit, pro commutatione regionis Balsamorum. Pro Tangermunda vero ei alia beneficia ad Nortchiam restituit.* Eadem & iisdem fere verbis habet MONACHUS PEGAVIENSIS in *Historia de vita & gestis Viperti* C. II. §. 1. 3. p. 8. in laudata sæpius Scriptorum Lusaticorum Collectione. Jure cessionis igitur Udoni I. & Filio, Udoni II. Marchionibus Stadensibus Soltuedelensis terra obvenit, quæque, cum primum fundamentum fuerit Mar-

chiæ, plenius postea constituendæ, etiamnum Marchiæ veteris nomine insignitur.

§. XXXIV.

Notatu hic inprimis dignum est Udonis II. matrimonium, quod multum lucis affundit toti huic Historiæ, initum cum Ermengarda Helprici Comitis de Plozeke Sorore, de quo nos certiores reddit ALBERTUS STADENSIS l. c. *Marchio Udo proponens ducere Filiam, Filiam Magni Ducis, declinavit in domum Helprici Comitis de Plozece, & videns valde pulchram Sororem suam, Ermengardam, duxit eam.* Per istud enim matrimonium Soltuedelensis Marchia cum ipso comitatu Plocensi Domui Anhaltinæ sive Ballenstedensi justo successionis & hæreditatis ordine accessit, de qua re tot sunt apud Scriptores inania commenta.

§. XXXV.

In duas nunc partes dividere cogimur laborem nostrum, primo enim dispiciendum erit, qua ratione terra Soltuedelensis, deinde Marchia Brandeburgica pervenerit ad Albertum Anhaltinum, cognomine Ursum, sub quo Marchia Brandeburgica provinciæ germanicæ formam accepit. De priori satis superque constat, quod, mortuo Udone, eam obtinuerit Henricus, Udonis & Ermengardæ Plocensis filius, qui hactenus fuerat sub tutela Patrui Rudolfi Comitis Stadensis. Rem omnem exponit CHRONOGRAPHUS SAXO ad annum 1107. p. 281. & ad Annum 1115. p. 284. *Ludegerus Marchio, qui & cognomine Udo - vitam finivit. Rudolfo*

dolfo fratri illius commissa est Marchia per octo annos ab Henrico Rege, ut nutriret Filium ejus Heinricum -- Rodolfus Comes remisit Heinrico, filio fratris sui, Marchiam, expletis octo annis. Per Marchiam procul dubio Chronographus Soltuedelensem, neutiquam Stadensem intelligit, in cujus possessionem nunquam venit Henricus, quoniam Fridericus quidam, cui sub Vdone comitatus istius administratio commissa fuerat, cum nondum ex Ephebis excessisset Henricus, semetipsum fecerat illius dominum, ita ut Henrico præter titulum nihil superesset. Fusius istud, additis circumstantiis omnibus, inprimis, quod Rudolfus Fridericum in urbem Soltuedele captivum deduxerit, dimittendum iterum, interponente sese Imp. Henrico V. ALBERTUS STADENSIS tradit ad An. 1112. p. 153. adjiciens: *Cum igitur Heinricus Marchio vacuum nomen Principatus gestaret & Fridericus tam dominis sui rebus, tam iis, quæ variis modis conquisiverat, afflueret, ex deliberata Comes Rudolfus & nepos suus Henricus cum multa militia properant &c.* Quod vero præsidio Imp. & Luderi Saxoniæ Ducis, magna vi auri coëmto, injuste acquisita retinuerit Fridericus, STADENSIS habet l. c. Henricus tandem sine prole vita excessit Anno 1128. testibus Chronographo Saxone, & Woltero Chronographo Bremensi, apud MEIBOMIUM Tom. II. *Rerum Germ. Intoxicatus fuit veneno Marchio Henricus, Puer adhuc, qui natus fuit Comes Stadensis & ab eodem Comitatu tunc SCRIBEBATUR MARCHIO.* Silentio tamen hic prætermittendum haud est matrimonium Heinrici cum

 Adel-

Adelheithi sorore Marchionis Alberti, de quo ALBERTUS STADENSIS ad Annum 1144. p. 164.

§. XXXVI.

Hæreditatem Henrici venisse Conrado Comiti Plocensi, Helprici supra nominati filio, ajunt ALBERTUS STADENSIS ad Annum 1130. *Principatum Heinrici Marchionis suscepit Conradus, filius avunculi ejus.* & CHRONOGRAPHUS SAXO ad Annum eundem: *Marchia Septentrionalis tradita est Conrado, Filio Helprici de Plozeke.* Marchiam hanc Septentrionalem accipit Cl. PFEFFINGERUS Tom. II. Tit. XVII. p. 674. de Stadensi, in cujus tamen possessionem Conradum nunquam venisse, ex eo probare possumus, quod Fridericus anno demum 1135. mortuo jam Conrado, abierit ad plures. Marchia igitur Soltuedelensis est, quam innuit Chronographus; imo & ipse doctiss. Vir in eadem pagina meliora habet, quando ait: *Mira tunc rerum perturbatio. Proximi Henrico puero heredes fuerunt Patrui ipsius laudati Rudolfi gnati Vdo III. Rodolfus II. & Hartuicus, Comitatum Stadensem sui propterea juris esse, perbibentes; sed Albero Bremensis Antistes eundem beneficiali lege in Fridericum Comitem & administratorem transtulit, & Conradus Plætzcoviensis inde quoque sibi Marchionis titulum vindicavit.* Mortem obiit Conradus, ἄτεκνος Anno 1133. secundum CHRONOGRAPHUM SAXONEM, & CHRONICON MONTIS SERENI

RENI ad h. a. Ut omnia clariora fiant, liceat hic nobis Comitum Stadensium Genealogiam, quo usque huc spectat, annecti.

Udo I.

- *Udo II.* qui & Luderus, Uxor Ermengarda, Soror Helprici Comitis de Plozeca.
  - *Henricus* qui duxit Adelheitim, Sororem Marchionis Alberti.
- *Rudolfus.*
  - *Udo III.* occisus a militibus Alberti Ursi.
  - *Rudolfus II.* cujus varia bella cum Alberto.
  - *Hartvicus* Episcopus Bremensis, qui Stadensem Comitatum Episcopatui intulit.

§. XXXVII.

Post mortem Conradi hæres ejus factus est Albertus Ursus, Filius Ottonis divitis & Eilicæ Magni ducis Saxoniæ, e stirpe Billingica ultimi, & quidem propter affinitatem cum Henrico Marchione, qui duxerat Adelheithim, ejus sororem. Per hanc hæreditatem accessit non modo Alberto terra Soltuedelensis, unde & HELMOLDUS eundem subinde Marchionem de Saltuedele appellat L. I. C. LXII. p. 588. apud LEIBNITIUM, & Lib. II. p. 623. C. VII. verum etiam Comitatus Plocen-

censis, quem credo, tum primum Comitatui Anhaltino adjectum. Veterum testimonia, quibus nitimur sunt CHRONOGRAPHI SAXONIS ad An. 1134. p. 290. *Adelbertus Comes successit Conrado Marchioni* & CHRONICI MONTIS SERENI ad An. eundem p. m. 35. *Adelbertus Comes successit Conrado Marchioni.* Successionem hanc Conradi & Alberti in hæreditatem Heinrici, quam quidem indigne ferebant Comites Stadenses, animum indignantem in bellis Henrici Magnanimi cum Alberto satis ostendentes, sistimus Tabula præsenti:

Hilpericus Comes de Plozeke.	*Ermengarda* Uxor *Udonis II.* Marchionis Stadensis & Soltuedelensis.
|	|
Conradus Comes de Plozeke Hæres Heinrici Marchionis.	Heinricus Marchio Soltuedelensis Uxor *Adelheidis* Soror *Alberti Ursi*, qui successit Conrado.

§. XXXVIII.

Verum hic graviter a nobis dissentiunt Historici recentiores, qui modo longe alio Marchiam Soltuedelensem in potestatem Illustrissimæ Gentis Anhaltinæ pervenisse contendunt. Sequemur in commemorandis eorum placitis Cel. BECMANNUM, qui ductu *Enzelii*, *Henningesii*, rem ita gestam memorat in *Chronico Anhaltino Part.* V. L. I. IV. §. 3. p. 21. Albertum VI. sc. filium Alberti V. ex stirpe Ascania primum, ab Henrico II. beneficii loco accepisse Marchiam Soltuedelensem, propterea, quod Vdo II. collusionis cum Slavis fuerit postulatus, qui tamen Principatu cedere noluerit, donec

tribus

tribus cruentis præliis fuerit ejectus. Verum talia procul dubio coacti sunt fingere, circumstantiisque ornare, quæ fabulas manifesto sapiunt, Scriptores isti, ex ignoratione eorum, quæ modo ex genuinis antiquæ Historiæ monimentis attulimus. Locum quoque hic sibi vindicat observatio elegantissima Cl. Pfeffingeri, Anhaltinæ gentis Genealogiam ultra Adelbertum, Ottonis divitis patrem, qui semetipsum in diplomate An. 1073. *Comitem Adelbertum* nominat, atque Cœnobio Nienburgensi *Præposituram Ballenstedi nuncupatam, & jure hæreditario hactenus a se possessam* apud Dom. BECMANNUM *Part.* III. Lib. IV. C. II. p. 433. donat, cujusque mentio in diplomate Henrici IV. An. 1063. duci non posse. Collabuntur inde omnia, quæ de donata ab Henrico II. circa An. 1001. Marchia Soltuedelensi comminiscuntur chronographi recentiores, quamvis adhuc hodie apud plures fidem inveniant. Pergit BECMANNUS §. V. p. 22. Ottonem de Ballenstede iterum Marchiam Soltuedelensem domui Anhaltinæ acquisivisse per matrimonium cum Eilica Filia Magni Saxonis, Marchiæ tum possessoris, quæque eidem An. 1108. ab Imp. Henrico Feudi loco fuerit concessa. Citati supra Scriptores longe alios terræ Soltuedelensis dominos sub istud tempus memorant, quorum auctoritate, si stare volumus, cogimur & hanc historiam inter fabulas referre. Ab omni vero probabili ratione abhorret, quod COCCEJUS perhibet l. c. ab eodem Henrico V. in Ottonem hunc & Vandalicæ Provinciæ Ducatum collatum fuisse, quam sententiam deinceps refellemus.

§. XXXIX.

Dum supra Genealogiam Anhaltinam in partes traximus,

ximus, successionem Alberti Ursi in Marchiam Soltuedelensem afferentes, diffiteri non possumus, valde obstare nostris aliam Genealogiam apud BECMANNUM, quæ, quamvis ad Anhaltinam proprie spectet Historiam, hic tamen examinandam ducimus. Familiam enim Ottonis divitis ita sistit nobis cum aliis Vir doctus:

Otto dives - Uxor Eilica.

Theodoricus Comes Plocensis.		Hilpericus, Albertus Ursus, Adelheidis.		
Conradus, Hilpericus, Irmengardis Uxor Udonis.		Conradus Marchio.	Bernhardus Comes Plocensis.	Irmengardis Abbatissa Heckling.
Henricus Marchio.				

Hæc Genealogia plane adversatur ALBERTO STADENSI, qui ait Henricum Marchionem Alberti Ursi sororem Adelheidim habuisse in matrimonio, secundum hanc vero Genealogiam Henricus Ottonis divitis fuit Pro-Nepos, qui igitur Ottonis Filiam, & quod inde sequitur, suam consanguineam duxisse, dicendus est. Addit ALBERTUS STADENSIS, Udonem primo ambiisse matrimonium Eilicæ, postea vero ex domo Helprici junxisse sibi Ermengardam; in hac Genealogia vero Ermengarda Eilicæ neptis est, nisi dixeris Theodoricum Ermengardæ patrem ex alia uxore ab Ottone fuisse susceptum, quod tamen apud neminem inveni. Interim non auderem cum BECMANNO, vetustos Scriptores ex hac recentiori Genealogia emendare, & pro liquidis eorum testimoniis reponere conjecturas, cum istud exploratum satis sit & cognitum, quantis difficultatibus & tenebris laborent res Genealogicæ apud HEN-

NIN-

NINGESIUM, BROTUFFUM & alios. Accedit, quod Genealogiam ex nullo idoneo Scriptore firmarit Vir doctus, & ex diplomatibus, ab ipso allatis, in favorem ejus colligi nihil possit, referentibus iis nuda Theodorici & Helprici nomina, genusque tacentibus.

§. XL.

In errorem tamen hac Genealogia se induci passus est CL. PFEFFINGERUS, quem alio in super auget, supra jam notato, quando Tom. II. p. 6. ita inquit: *An. 1134. defuncto ex fratre Nepote Conrado, surrogatur in Marchia septentrionali sive Stadensi Albertus*, & p. 630. eundem Conradi Patruum nominat & Salisquellensium Marchionem, cui Marchia Stadensis sive Septentrionalis, obvenerit Verum cum Conradus nunquam possederit Marchiam modo dictam, ut jam probavimus, nec jure satis valido ad eam postulandam instructus fuerit, me ignorare fateor, quare hæreditas Conradi in supra adductis veterum Scriptorum locis extendenda sit ultra Marchiam Soltuedelensem & Comitatum Plocensem. Fortassis quoque non longe absumus a vero, si credamus, Comites Plocenses diversos primum fuisse ab Anhaltinis, sive Ballenstedensibus, non obscure istud innuente Alberto Stadensi. Ex quo id demum conficitur, Albertum Conradi patruum dici haud posse, quamvis affinitatis vinculum non inficiemur.

§. XLI.

Nunc tandem accedimus ad veras origines Marchiæ Brandeburgicæ, in eo positas, *quod Marchia acceperit Germanicæ Provinciæ formam*, cum nemo Slavos adhuc Marchiam tenentes, in Rempublicam susceptos facile

credat. Supra diximus Henricum Slavum anno 1107. Brandeburgum denuo sub obsequium suum revocasse, de eodem autem Henrico tradit nobis rem notatu dignissimam fragmentum vetusti Chronici Brandeburgensis apud MADERUM *in Antiquitatibus Brunsuicensibus* p. 274. *Hujus*, (Suigeri Episcopi Brandeb.) *temporibus fuit in Brandenburg Rex Henricus qui slavice dicebatur Pribezlaus: qui Christianus factus, Idolum, quod in Brandenburch fuit, cum tribus capitibus, quod Tryglau slavice dicebatur, & pro Deo colebatur, & alia idola destruxit, idololatriam & ritum gentis suæ detestans, cum filium non haberet, Adelbertum Marchionem, dictum Ursum, hæredem sui instituit Principatus.* Nobile istud fragmentum Pulkava, Bohemus Historiarum Auctor, ex perantiquo Chronico MS. quod Carolus IV. ei donaverat, confirmat apud BALBINUM & Cel. GUNDLINGIUM de *Henrico Aucupe* XXII. lit. x. p. 166.

§. XLII.

Temporis rationes, cum in obscuro lateant, expedire satis non possumus, si Scriptores sequamur, qui Adelbertum Marchionem subinde nominant, jam ante annum 1129. eundem Pribislai hæredem factum, existimandum foret; ita enim CHRONOGRAPHUS SAXO ad hunc annum ait: *Adelbertus Marchio Hildesburch quadam nocte cepit & combussit*, sed isti πρόληψιν videntur adhibuisse. Idem dicendum est de diplomate Magdeburgensis Archiepiscopi Friderici de anno 1147. in quo de ven-

venditione quadam, facta sub Nortberto ejus antecessore, Anno 1134. mortuo, sermo est, & *Adelbertus Marchio* inter testes adducitur. BECMANNUS in sæpe laudato *Chronico Anhaltino* P. V. L. I. C. V. p. 26. Marchionis titulum de Marchia Soltuedelensi interpretatur; verum cum Conradus eandem hoc tempore adhuc tenuerit, qui etiam in diplomate Imp. Lotharii a CASP. SAGITTARIO primum vulgato de anno 1130. subscripsit: *Marchio Conradus de Plozeca.* hic iterum cogimur deserere Virum doctum. Istud extra dubitationem positum est, Albertum nostrum ante annum jam 1139. quo cum Henrico Magnanimo propter Ducatum Saxoniæ ipsi lites fuere, Marchionis dignitate illustrem fuisse, Soltuedelensis scilicet, quam Marchiam Anno 1134. accepit; unde & ALBERTUS STADENSIS ad Annum 1140. memorat Rudolfum Comitem Stadensem, a partibus Heinrici stantem, eidem Comitatum & Marcam eripuisse, per interpositionem Imp. Conradi deinceps reddendam. Supra allatum fragmentum apud MADERUM diserte ait, quod Suigerus, sub quo Marchia Brandeburgensis translata est ad Albertum, Episcopus Brandeburgensis esse cœperit Anno 1139. Anno inde 1147. Albertus noster primum, quoad ejus constat, titulo *Marchionis de Brandenburg* usus est, in diplomate apud SCHATENIUM, TOLLNERUM & PFEFFINGERUM Tom. II. *Vitriarii illustr.* Tit. XVI. p. 63. quam inscriptionem præfert quoque diploma quoddam apud laudatum modo PFEFFINGERUM l. c. p. 64. quod primus in lucem edidit, & An. 1152. scriptum conjicit: *Adelbertus, divina favente clementia Brandenburgensis Marchio.* adde diploma de anno 1160. apud

Becmannum Part. III. L. IV. C. V. p. 425. & aliud de anno 1167. Part. III. Lib. I. C. V. p. 154.

§. XLIII.

Ex his rationibus chronologicis solutio pendet dubitationis illius, cujus materiam dedit ipse Cel. LUDVIGIUS, quodque ejus de Ducatu Brandeburgicó sententiam valde premit. Ait enim in *Germania princips* l. c. p. 540. Imp. Conradum Saxoniæ Ducatum Alberto concessisse, ratum, consuetudinibus imperii adversari, quod Henricus superbus duobus, Bavariæ Saxoniæque ducatibus simul praeesset, cum nihil impedire credidisset, quo minus Marchiæ Brandeburgicæ Saxonia accederet. In his Vir doctus arma iis ipse subministrat, qui negant Marchiam unquam Ducatum fuisse. Nullam enim habuisset justi speciem Imperator, si alteri tradidisset duos ducatus, alteri eripuisset, causatus, legibus imperii non licere, duos ducatus esse penes unum. Sed nolim hæc mea facere, cum ex temporum rationibus pateat, Anno 1139. Albertum Marchiam Brandeburgicam nondum fuisse adeptum.

§. XLIV.

Quamvis autem Pribislaus Albertum nostrum hæredem Brandeburgicæ terræ scripserit, in ejus tamen possessionem non statim videtur pervenisse. Ad quam conjecturam nos compellit ALBERICUS ad An. 1157. p. 331. *Brandeburcb castellum in terra Slavorum trans Albim, per quod Pagani Christianos graviter affligebant, Albertus Marchio Comes in Saxonia,*

nia, obsedit & cepit, positisque in eo militibus Slavos humiliavit, & per hoc Christianorum fines multum dilatavit. Cui jungimus HELMOLDUM, qui Lib. I. *Chron. Slavorum* c. 88. p. 612. rem clarius eloquitur: *In tempore illo* (Anno 1160.) *Orientalem Slaviam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Ursus, qui etiam propicio sibi Deo, amplissime fortunatus est in funiculo sortis suae. Omnem enim terram Brizanorum, Stoderanorum, multarum gentium, habitantium juxta Havelam & Albiam misit sub jugum & infrenavit rebelles ipsorum. Ad ultimum, deficientibus sensim Slavis misit Trajectum & ad loca Rheno contigua, insuper ad eos, qui habitant juxta Oceanum, & patiebantur vim maris, videlicet Hollandos, Seelandos, Flandros, & adduxit ex eis populum magnum nimis, & habitare eos fecit in urbibus & oppidis Slavorum.* Coloniae hujus, in Marchiam & terras Anhaltinas deductae, memoriam conservant non modo varia diplomata BECMANNO diligenter notata, sed & urbium nomina, quae hodie Circulo Saxonico Electorali accessere, Kembergae, Niemeck & Flaemingae tractus &c. quod probe advertit SCHURZFLEISCHIUS in *Appendice ad Vitam Alberti animosi*, quae est inter dissertationes ejus Lipsiae junctim editas XXIX. p. 146. imo Exc. I. P. GUNDLINGIUS *in Conrado* III. notat,

notat, Nobilitatis, urbiumque Marchicarum monimenta ultra Albertum non assurgere.

§. XLV.

Marchiam hac ratione a Principe Germano, colonis germanis ac belgis constitutam, atque in formam Provinciæ germanicæ redactam, statim inter summos Germaniæ Principatus eminuisse, istud cumprimis docet, quod locum inter Imperii officiales præcipuos obtinuerint Marchiones Brandeburgenses. Quæ quidem dignitas Viris doctis ab Alberto in Marchia fundata videtur; ipsi certe Ottoni Filio aperte vindicatur in *Epistola* ALEXANDRI III. P. R ad Episcopum Eboracensem & Episcopum Dunelmensem, qua ille *nobilis*, *magnus & potens & Camerarius Imperatoris* (Friderici Ænob.) vocatur; extat illa apud ROGERIUM de HOVEDEN, CHERUBINUM *in magno Bullario Romano* Tom. I. p. 72. seq. & GOLDASTUM *Constit*, *Imp*. Tom. III. p. 355. Istud crediderim certissium esse, penes primarios Imperii Principes summa Imperii officia semper fuisse, quamvis eadem in Imperatoris arbitrio ante Sec. XII. posita fuerint; addo fuisse iisdem conjunctas præcipuas in eligendo Rege partes, seculo inprimis XIII. unde & Marchionis nostri Brandeburgici suffragio, in Richardum Anglorum Regem collato, magnum pondus tribuit Urbanus IV. P. R. in Epistola ad Richardum, electum Regem Romanorum, apud LEIBNITIUM & S. V. JANUM DE ORIGINE *Electorum*, in appendice Monumentorum N. III. §. 7.

§. XLVI.


Non potest igitur non esse id, quod ex hoc summo Im-

Imperii officio colligunt COCCEJVS & LVDVIGIUS, Marchiam Ducatus formulam habuisse, cum ipse ARNOLDVS LVBECENSIS, cujus testimonio utuntur Viri Docti, Duces inter & Marchiones aperte distinguat. Adscribimus ipsa ARNOLDI verba. *Fridericus Imp. edixit curiam famosissimam & celeberrimam apud Moguntiam, quæ celebrata est in Pentecoste, anno verbi Incarnationis MCLXXXII. ut filium suum Henricum Regem militem crearet, & gladium militiæ super femur ejus potentissimum accingeret. Officium Dapiferi, Pincernæ, Camerarii, Marschalci, nonnisi Reges vel Duces aut Marchiones administrabant;* ubi ipse LUDVIGIUS subjicit: *Sed hunc Marchionem Brandeburgicum fuisse, nemo unquam dubitavit.* Hypothesi autem inservit COCCEJUS, quando asserit, extincto sub Henrico V. Ducatu Francico, ex necessitate quadam, & ipso jure, sine ulla nova constitutione, officium Camerarii ad serenissimum Marchionem Brandeburgicum, tanquam quartum Provinciæ Ducem, pertinuisse. Fallitur enim, quando ducatum Franciæ sublatum tunc temporis existimat, quem post Imp. Conradum in Friderico Rotenburgensi, Imp. Friderico I. & Conrado VI. ad finem Sec. XII. adhuc durasse, certo constat; fallitur quando Ducatum Vandalicum Ottonem Ascanium Alberti Patrem tenuisse

ſtatuit; unde & ea, quæ de neceſſitate ſucceſſionis attulit, corruunt. Malunt potius hic alii ſpectare gratiam Imperatoris, qua ſumma gentis Aſcaniæ merita excipiebantur, adeo, ut deinceps illud juris eminentiſſimi decus ad glorioſiſſimos illius Poſteros transferretur, perpetuaque firmaretur lege. Plura ne adjiciamus, prohibemur inſtituto, ſupereſt, ut animum tantæ Majeſtati devotum Potentiſſimo Boruſſorum Regi, ſub cujus tutela Marchia Brandeburgenſis jam requieſcit, teſtemur, DEOque, noſtrum adjuvanti laborem, perinde ac pietas jubet, ex intimis animi ſenſibus gratias perſolvamus.



X.



X.

JUSTUS CHRISTOPHORUS DITHMARUS, de quo superius pag. 215. ad Num. VI. quædam diximus, *Marchia Brandenburgensis Initia a variis Erroribus vindicata* Francofurti ad Viadrum Anno MDCCV. ventilanda proposuit. Defendit hanc Dissertationem Respondens JOACHIMUS SIGISMUNDUS SCHARDIUS Berolinensis, qui aliquot ante annos Ratisbonæ Legationis Prussicæ in Comitiis ab Epistolis Secretis decessit. In Sylloge, quæ CL. DITHMARI Dissertationes Academicas complectitur, Lipsiæ MDCCXXXVII. edita, reperies hoc Scriptum P. I. Num. XVII. pag. 357. recusum.



X.

JUSTI CHRISTOPHORI DITHMARI

MARCHIAE BRANDENBURGENSIS INITIA A VARIIS ERRORIBUS VINDICATA.

SUMMARIA.

§. I. *Vulgaris circa initia Marchiæ Brandenb. opinio.* §. II. *Vandali & Venedi populi ab invicem diversissimi.* §. III. *Sigfridus non fuit ab Henrico Imp. constitutus Marchio*

chio Brand. nec Mathildis Augustæ frater fuit, sed Comes Merseburgensis, atque Hatheburgæ, prioris Henrici conjugis consobrinus. §. IV. *Ejus uxor Jutta, e prosapia VVitichindea orta, Mathildi posteriori Henrici conjugi cognata.* §. V. *Gero e Comitibus Stadensibus non est ortus, sed Sigfridi frater fuit.* §. VI. *Brunnico quis fuerit?* §. VII. *genuina Marchiæ Brandenb. initia,* §. VIII. *ejusque Status publicus & cum Imperio nexus.*

§. I.

MArchiam Brandenburgensem, ut fabulas taceamus, quibus initia ejus jam ad Seculum V. referuntur (*a*) ab HENRICO AUCUPE apud (*b*) VANDALOS institutam, primumque Marchionem vel (*c*) HENRICUM vel JOHANNEM (*d*) Comitem Stadensem, vel juxta plerosque (*e*) SIGFRIDUM, Comitem Ringelheimensem, Mathildis, Augustæ, fratrem ei præfectum fuisse, atque hujus viduam Magdalenam (*f*) successori ejus GERONI, ex Comitibus Stadensibus orto (*g*) nupsisse, huic vero in Marchia ejus filium BRUNICONEM

 NEM

NEM (*b*) successisse, quem hujus filius HUGO (*i*) primus Elector (*k*) Brandenburgensis ac Hetruriæ simul Præfectus exceperit; Marchiam denique peculiaris (*l*) Ducatus jam tum rationem habuisse, referri atque asseri solet: in quæ impræsentiarum paucis inquirere atque genuinas Marchiæ illius origines exponere in animum nostrum induximus, rati, illustri hoc argumento operæ nos pretium esse facturos.

(*a*) In veteri Chronico Saxonico ap. *FRID. REIMANNUM*, Pastorem Ermslebiensem, ex quo Cl. *BECMANNUS* in *Chron. Anhalt. P. V. p. 3.* refert: daß ein und zwar der erste Marckgraff zu Brandenburg, welches er Ostwendland nennet, mit Nahmen *WIGHBALDUS* gewesen, so Anno 438. verstorben, und einen Sohn hinterlassen *EKBOLDUS* oder *EKENBOLDUS* genannt, welcher A. 490. Todes verblichen, mit seiner Gemahlin aber Nahmens *JUSTINA* zween Söhne gezeuget, von welchen der älteste *BRANDANUS*, der jüngere *ANNANO* geheissen. *BRANDANUS* hätte Ostwendland behalten, der jüngere *ANANO* aber das Anhaltische Land bekommen.

(*b*) *ALB. KRANZIUS* Lib. II. Vandal. c. 27. *Quo tempore*, scribit de Henrico Aucupe, *Urbem Wandalorum primariam BRANDENBURGUM idem Henricus per Brumam oppugnavit, castra figens in glacie & labore magno expugnavit.* Wandalos itaque & Venedos eundem populum esse censuit, unde & Historiam Venedorum WANDALIÆ nomine appellat, opinione familiari ipsi *Helmoldo* in *Chr. Slavorum* Lib. 1. c. 2. & pluribus aliis, quorum *BANGERTUS* in *Notis* ad illum locum multos refert.

(*c*) FRANC. IRENICUS *Exeg. Germ. Lib. III. c. 17.* HENRICUS, ait, *Cæsar sui nominis primus habita de Ungaris*

gariis Victoria Marchionatum tum erexit, ac ei quendam, HENRICUM *nomine, proprium Comitem præfecit.*

(d) ERNEST. BROTUFIUS in *Geneal. Anhalt. Lib. II. c. 4.* scribit: Dieser Marckgraff zu Brandenburg, welchen Kayser Henrich, als er die Marck geordnet, anfänglich eingesetzt, ist JOHANNES genannt, ein Graff zu Staden und Hertzfeld.

(e) CASPARUM PEUCERUM in *Chron. Carionis Lib. IV.* ANDR. ANGELUM *Lib. I. p. 40.* CHYTRÆUM in *Saxonia p. 37.* & recentiores scriptores plures, quos commemorare tædet.

(f) CL. BECMANNUS *l. c. p. 18.* Und weil die Märckische *Historie* des ersten Marckgraffen zu Brandenburg Sigfried Gemahlin *Magdalenam* davor halten dieses *Alberti* 3. Tochter gewesen zu seyn, diese auch mit ihrem andern Gemahl noch Kinder gezeuget, welches Sie Alters halben, wenn Sie *Alberti II.* Tochter gewesen, nicht würde haben thun können, so wollen wir Ihr auch hier Ihre Stelle geben. Ist also diese *Magdalena* dem ersten Marggraffen zu Brandenburg und Graffen zu Ringelheim Siegfriden beygeleget worden; Marggraff Siegfried aber, und nicht die *Magdalena*, ist umbs Jahr 938. gestorben, und hat Sie sich darauf zum andernmahl an den berühmten und zwar an den Marckgraffen zu Brandenburg *Geronem* verehliget. ANDREAS POPPERODIUS, ad quem is provocat, in *Annal. Gerenrodensibus* apud MEIB. *T. II. p. 421. Ante* de Gerone memorat, *interitum Siegfridi Senex pater amisit ætate immatura filium Geronem, ac dilectam conjugem Magdalenam filiam Alberti Ursi, quam non dubium est fuisse ex antiquissima & celeberrima familia Principum Ascania.*

(g) ANDR. POPPERODIUS *l. c. p. 417.* de hoc Gerone *natus fuit e celeberrima prosapia stirpis Comitum Stadensium, quorum*

rum ea ætate præcipua celebritas fuit in Saxonia. Hunc postrà sequuti fuerunt CASP. PEUCERUS l. c. p. 558. & FABRITIUS de *Orig. Misen. p. 246.* Vide quoque CHRIST. KNAUT. in *Antiqu. Pagorum & Comitatuum Principatus Anhalt. p. 5.* ubi plures de ortu *Geronis* sententiæ referuntur.

(h) Aliis *Brumito* de quo CHYTRÆUS in Saxonia p. 37. *Geronis*, ait, *filius fuit Brumito:* cui quoque SAGITTARIUS in *Hist. March. & Elect. Brandeb.* adscripturi videtur.

(i) WOLF. JUSTUS de *Septem Insign. Famil. Brandeb.* hæc narrat: *Hugo filius Brumitonis*, MARCHIO BRANDENB. *primus Elector Imperii Rom, Vicarius & supremus Præfectus Ottonis III. Imperat. propinqui sui in Etruria Italiæ per sex annos, quem Roma obsessum consilio pleno fidelitatis & prudentiæ liberavit, & Etruria Romam advolans adducto secum Henrico Bavariæ Duce, qui postea Ottoni III. successit in Imperium.* Eadem ratione GEORG. SABINUS in vita Hugonis illius, *Imperante*, scribit, *Ottone III. Marchiam Brandenb. tenuit* HUGO *Princeps Clarus & Honoratus, qui in Italia magnam consecutus est famæ celebritatem. Egit enim illic Vicarium Ottonis, cui erat propinquitate conjunctus, & Hetruriæ provinciam fidei suæ commissam fidelissime gubernavit.*

(k) ANDR. ANGELUS *Annal. Brandenb.* p. 18. Vom Marckgraffen *Hugone* zu Brandenburg, so der erste Chur-Fürst soll gewesen seyn, lieset man, daß Ihn Käyser Otto dieses Nahmens der Dritte zum Statthalter in *Tuscia* und *Hetruria* angenommen und verordnet habe. Ita quoque WOLF. JUST. v. *præced. lit.* (i)

(l) Præcipue id contendit atque tum ex Inscriptione sepulchrali in Abbatia Gernrodensi, tum Diplomatum fide adse-

adserit Vir Illust. *JOH. PET. a LUDWIG* in Diss. *de Formula Marchiæ Brandenburgensis.*

§. II.

Insita vero de initiis Marchiæ Brandenb. narratione, spretis Chronici Saxonici, quod Marchiæ illius originem jam ad Sec. V. refert, fabulis, Henricus primum apud VANDALOS Marchiam instituisse, perperam dicitur, quippe cum terras Marchicas illo tempore non Vandali amplius, sed Venedi incoluerint, populi ab invicem diversissimi. Vandali enim origine Germani (*a*) fuere, atque iidem fere cum Suevorum (*b*) gentibus, quæ, ut antiquas (*c*) illarum migrationes taceamus, Imperio Rom. ad interitum vergente, in Provincias Romanas, atque aliæ in Galliam (*d*), aliæ in (*e*) Hispaniam & (*f*) Africam, aliæ in (*g*) Italiam irruerunt. Pristinas vero horum populorum sedes, omnemque intra Albim, Danubium, Vistulam & Mare Balthicum tractum Venedi dein, origine (*h*) Sarmatæ, occuparunt, Slavi (*i*) appellati, atque in varios pagos & nationes (*k*) divisi, e quibus ditiones Marchicas Tolenses (*l*) Redarii (*m*) Lebusii (*n*) & Hevelli (*o*) aliasque sibi subjecerunt.

(*a*) Diserte enim *PLINIUS H. N. Lib. IV. c. 14. Germanorum*, ait, *genera quinque: VINDELI* (*TACITO Vandalii*) *quorum pars Burgundiones*, *Varini*, *Carini*, *Guttones*. Anglos quoque Eudoses, Nuithones, Reudingos, Longobardos, Semnones & reliquas in tractu Maris Balthici gentes, quæ a PLINIO commemoratas interjacent, ad Vandalos pertinuisse, dubium non est, pluribusque id docet CLUVERIUS A. G. Lib. III. c. 46. Ceterum a studio sedes suas mutandi, Wande-

ler, potius, quam à conditore suo Vandalo, de quo TACITUS de M. G. c. 2. illas gentes Vandalos appellatos fuisse crediderim.

(b) Suevorum enim nomine, etsi illi paulo latius se extenderint, eosdem intra Albim, Oceanum & Vistulam populos venisse, ex TACITO de M. G. inde a cap. 38. & quæ de Finibus Suevorum in *Notis* ibidem diximus, satis liquet. Procul dubio quoque eadem de caussa, qua Vandali, SVEVI suere appellati, Schwaben.

(c) Semnonum puta, ditionum olim Marchicarum, Lusatiæ & Silesiæ incolarum, quos Gallorum Senonum apud Florum Lib I. c. 13. aliosque scriptores Græcos & Romanos nomine, magno exercitu olim in Italiam profectos fuisse, ostendimus in *Notis* ad TACITVM cap. 39.

(d) Burgundiones, qui Regnum in Gallia condiderant, a Francorum Regibus eversum, ut Auctorum probatorum fide SCHVRTZFLEISCH. *Diss. de Veteri Regno Burgundico* pluribus refert.

(e) Huc SVEVI se contulerunt atque Regnum in Gallæcia condiderunt, a GOTHIS, natione pariter Svevica, quæ *Catalaniam*, ab ipsis & *Alanis* ita dictam quasi GOTH-ALANIAM, eversum, dum alius VANDALORVM exercitus Andalusiæ ditiones occuparet; de quibus rebus vid. *IDATIUS* in *Chron. ISIDORUS HISPAL.* in *Hist. Goth.* & *Vandal. MARIANA* aliique Scriptores in *Biblioth. Hisp. illustr.* ut & LAZIVS de *Migr. Gent.*

(f) Quo, post brevem moram in Hispania, Vandali trajecerunt, a JUSTINIANO Imperat. qui Vandalicum pro-

propterea in Procemio Institut. se nominat, devicti. vid. PROCOPIUS in *Vandal.*

(g) In hanc post *Herulos*, *Visigothos*, ac *Ostro Gothos*, *Longobardi* tandem irruerunt; de quorum expeditionibus rebusque gestis vid. PROCOP. de *Bello Gothico*, ISIDORUS l. c. PAULUS DIACONUS de *Gestis Longob.* M. PRÆTORIUS in *Orbe Gothico*, atque horum aliorumque probat. script. fide HERTIUS in *Not. Vet. Germ. P. III.*

(h) Circa originem Venedorum, an ad Germanos, an ad Sarmatas referenda sit, TACITUS c. 46. hæsitavit, atque prius vero credidit similius, sed nullis idoneis rationibus. Origine vero eos Sarmatas esse, tum Veterum Scriptorum auctoritate, tum lingua & moribus, a Germanis penitus diversis, jam satis abunde docuere BANGERTVS in Not. ad *Helmoldi Chr. Slav. p. 6. & seqq.* SCHURTZFLEISCH Diss. de *Rebus Slavorum.*

(i) Voce Slavonica SLAWA i. e. *fama*, eo quod famæ studiosi, celebres per orbem populi fuerint, ut censet M. PRÆTORIUS *Orb. Goth.* Lib. II. p. 8.

(k) Wiltorum, Wagriorum, Obotritorum, Rugiensium, Pomeranorum, Cassubiorum, Silensium, Lusiziorum, Lutiziorum, Daleminciorum, Milcenorum, Soraborum, Behemorum, Moharensium, de quorum omnium aliorumque sedibus, ne extra oleas nunc vagemur, vid. si placet KRANTZIVS in *Vandalia* Lib. II. 21. HENELIVS in *Silesiographia*. SCRIPT. RER. LVSAT. ab Excell. Viro, CHRIST. GOTHOFR. HOFFMANNO editi, GOLDASTVS *de Regno Boh.* BOH. BALBINVS in *Epit. Rer. Bohem.* REIN. REINECCIVS in *Append. prima* ad *Helmold.* de *Gentium German. & Henetarum adpellationibus.* SPEN. in *Not.*

Geogr. Med. pag. 384. seqq. CHRIST. JUNCKERUS Anleitung zu der Geographie der mittlern Zeiten p. 171. seqq.

(l) Circa fluvium Tolenß & lacum Tollen-See in finibus Marchiæ Uckeræ non in *Nova* juxta JUNCK. l. c. p. 286. Erant illis vicini *Uchri*, *s. Utrani*, quorum CONT. *Regin.* meminit A. 934.

(m) HELMOLDUS L. I. c. 2. *Post Oderam*, scribit, *lenem meatum*, & *varios Pomeranorum populos ad occidentalem plagam occurrit Vinulorum provincia*, *eorum*, *qui* THOLENTI, seu *REDARII dicuntur*. *Civitas eorum vulgatissima* RHETRE *sedes idololatriæ*. *Templum ibi magnum constructum dæmonibus*, *quorum Princeps est* RADEGAST. AD. BREM. *Hist. Eccl. c. X. Mox*, ait, *sequuntur Chizzini & Circipani*, *quos a Tholosantibus & Rhetaris Flumen Panis separat*. Vicini ergo sibi fuere hi populi & magnam partem in Uckera Marchia collocari debent. DITHMARUS Lib. VI. p. 381. Urbis meminit in pago Redariorum *Riedegast*, ejusdem forte cum *Rethre* a cultu sic appellatæ idoli Radegasti, de quo vid. *Ill.* a LUDWIG de *Idolis Slav.* Diss. II. §. II. n. 7. In vicinia quoque Redariorum oportet fuisse Lunckinum, cujus meminit DITHMARUS L. 1. p. 236. & WITICHINDUS apud Meibom. Tom. I. p. 639. *ad quorum* (Slavorum rebellantium) *ferocitatem reprimendam traditur exercitus cum præsidio militari* BERNHARDO, *cui ipsa Redariorum provincia erat sublegata*, *additurque legato Collega Thiatmarus*, & *jubentur urbem obsidere*, *quæ dicitur* LUNCKIN: quo nomine *Lentzen* ad Albim in Prignizia solet intelligi; quia vero iste locus *Leontium* ab HELMOLDO L. I. c. 22. dicitur mallem *Lunkinum* ad LOEKENITZIUM in Marchia Uckera collocare. Vide quoque infra §. VII.

(n) HEL-

(n) HELMOLDO Lib. I. c. c. *Leubuzi*, incolæ tractus Lebusiensis inter Francofurtum ad Oderam & Berolinum. Cave tamen putes *Lebus*, *Lubusuam s. Lubuzuam* apud DITHMARUM L. I. fuisse caput nostrorum Lebusiorum, atque Urbem pristini Episcopatus Lebusiensis, Francofurto vicinam, ut recte monet Cl. Auctor *Exercit. Hist.* de *Urbe Lebus* T. III. Sect. II. Exercit. Francof.

(o) *Heruli* quoque HELMOLDO L. I. c. 2. ubi *sunt*, ait *& alii Slavorum populi, qui inter Albim & Oderam degunt, longeque sinu ad Austrum praetenduntur, sicut Heruli vel Hevoldi, qui sunt juxta Habolam fluvium & Doxam*. III. Vir HIER. GUNDLINGIUS *Lib. sing. de Henrico Aucupe* p. 161. Havelam fluvium olim *Harlam* quoque, & ab illo tam Herulos, veterem populum Germanicum, quam Herulos Slavos appellatos fuisse, atque ab his pagum *Darlingen* in Dipl. Ottonis ap. Meib. T. I. p. 754. ut & *Heveldun* pagum ab Hevellis, nomen suum accepisse observat. Urbs Hevellorum præcipua, teste Witichindo L. I. p. 639. fuit *Brennaburg*, lingua Slavonica BRANNY-BOR i. e. sylvæ custodia. BOH. BALB. in *Epit.* I. c. 7. Ceterum de Stoderanis, Ploniis, aliisque Slavorum in Marchia Brandenb. nationibus vide illustris Viri atque de Republ. litteraria optime meriti JAC. PAULI DE GUNDLING *Atlantem Brandeburgensem*, cui, ut Geographiam medii ævi, quam pag. 9. promittit, perficere possit, vitam atque otium optamus.

§. III.

Missis Henrico & Johanne, quos Irenicus atque Brotuffius primos Marchiones Brandenburgenses confingunt, ad fabulas quoque referenda sunt, quod SIG-

FRIDUS Marchio Brandenburgensis ab Henrico Imperatore constitutus, hujusque conjugis, Mathildis, frater fuisse dicitur, quippe cum fide Scriptorum Veterum Comes potius (*a*) Saxoniæ fuerit, Marchiam vero Henricus variis (*b*) Comitibus administrandam reliquerit; tantum quoque absit, ut Sigfridus Mathildis Augustæ (*c*) frater fuerit, ut Comitem (*d*) Merseburgensem, atque prioris Henrici conjugis, Hatheburgæ, consobrinum eum fuisse certa Annalium fide constet.

(*a*) *WITICHINDUS* Annal. Lib. I. p. 643. *Sigfridus vero*, ait, *SAXONUM optimus, & a Rege secundus, gener quondam Regis, tunc vero affinitate conjunctus, eo tempore PROCURABAT SAXONIAM, ne qua hostium interim irruptio accidisset, nutriensque juniorem Henricum secum tenuit.* &c: p. 644. *Illo quoque tempore defunctus est* SIGFRIDUS COMES, *cujus ditionem cum sibi vindicasset Thancmarus, eò quòd propinquus ei esset (: nam mater ejus filia materteræ erat Sigfridi; de qua genuit Rex Henricus Thancmarum:) & regali dono cessisset* GERONI COMITI, *afflictus est Thancmarus tristitia magna.* Dithmarus Lib. II. p. 331. *Discordia*, scribit, *inter concives, consociosque oritur non minima, quæ Thammonem, Regis & Luitgardæ concitavit filium, eo quod* LEGATIO SIGFRIDI COMITIS MERSEPURGENSIS, *quam sibi idem vindicaverat, Geroni sit tradita Marchioni, hæreditasque materna sit ei prorsus ablata.*

(*b*) De BERNHARDO, quem Slavis REDARIIS in Uckero-Marchia præfecit, WITICHINDUS Lib. I. pag. 639. *Redarii*, scribit, *defecerunt a fide, & congregata multitudine impetum fecerunt in Urbem, quæ dicitur Walislevi, ceperuntque eam, captis & interfectis omnibus habitatoribus ejus innumerabili videlicet multitudine. Quo facto omnes barbaræ nationes erectæ iterum rebellare ausæ sunt. Ad quarum* feroci-

procacitatem reprimendam traditur exercitus cum præsidio militari BERNHARDO *cui IPSA REDARIORUM PROVINCIA ERAT SUBLEGATA.* De TUGUMIRO, Principe Hevellorum, *IDEM SCRIPTOR* Lib. II. p. 647. *Fuit quidam Slavus a Rege Henrico relictus, qui jure gentis paterna successione Dominus esset eorum, qui dicuntur Heveldi dictus Tugumir.*

(c) Mathildem ex Witichindea prosapia ortam fuisse hoc Stemmate:

WITICHINDUS Dux Saxonum
Uxor Geva, Sigfridi Danorum Regis filia.

WIGBERTUS Comes ob. ante A. 834. Uxor Odrada — Gisela corrupte *Hasala* Ux. Brunonis Angari unde Ottones Impp. prodiere.

WALBERTUS Comes A. 872. Ux. Altburgis.

WICBERTUS Episc. Verdensis A. 908. — REGINBERTUS vel Reginbernus Comes, qui a Danis Saxoniam liberavit. Ux. Mathildis.

THEODORICUS Comes Oldenb. & Ringelheimensis. Ux. Reinhilda, Dano-Frisica Princeps. — Witichindus II. Comes. — Imadus Sator Sirpis Immedingorum. — Reginbertus Frisiæ præfectus.

RUPERTUS Archiep. Trev. — MATHILDIS Henrici Imp. Uxor. — Amalrada, Frideruna, Bia, Ansfridus Comes.

WITI-

WITICHINDI, AUCTORIS *Vita Mathildis* apud Leibnitzium T. I. S. R. B. aliorumque probatorum scriptorum fide III. ECCARDUS in *Hist. Geneal. Princip. Sax. Sup.* pag. 24. & seqq. multis jam probavit, in eo tantum diversus ab III. GUNDLINGIO in *Henrico Aucupe* p. 35. & sqq. quod hic Witekindum, Imadum, & Reginberum apud WITICHINDUM L. I. p. 638. Mathildis, ille vero Patris Theodorici fratres fuisse existiment. Mathildem itaque unum habuisse fratrem, Sigfridi nomine, inde liquido apparet.

(*d*) Ita DITHMARUS loc. *cit.* (*a*) adducto diserte eum vocat; consobrinum vero Hateburgæ ipsum fuisse, WITICHINDUS, *ibidem* testatur, atque juxta illum cognatio Hateburgæ cum Sigfrido ita sese habuit:

Ervinus Comes Merseb. & Marchio. — N. Matertera Sigfridi. — N. Mater Sigfridi.

Ervinus junior. — Hatheburga Ux. Henrici Imp. I — Thancmarus. — SIGFRIDUS Comes Mers. & Marchio post Ervinum — GERO. Hidda

Sigfridus Jutta. — Sigfridus, Gero. *vivo patre def.* Ux Hedwigis.

Etenim Hatheburgæ patrem ERVINUM fuisse, testatur DITHMARUS, qui L. I. p. 324. *cujusdam*, ait, *Matrona famam, qua Hatheburch dicebatur, Henricus comperiens, qualiter eam sibi sociaret, juvenili exarsit amore. Hac erat filia* ERVI-

ERVINI Senioris, qui in urbe, quam antiquam civitatem (Altstädt) *nominamus, maximam tenuit partem.* Quî autem Sigfridus *gener* Henrici a Witichindo I. c. vocari potuerit? e *Cujacii Observ.* L. VI. XVI. ostendit laudatus GUNDLING. l. c. p. 164. videlicet quod consobrinæ fratrum & sororum, horumque mariti, ac vice versa ex monachorum errore, uxorum fratres *generi* nomine sæpe veniant. Ceterum de Sigfridi liberis, ut & fratre & sorore, eorumque liberis dicetur §. seqq.

§. IV.

Sigfridi quoque conjugem non Magdalenam fuisse, Anhaltinam, sed JUTTAM (*a*) e prosapia Witichindea forte ortam, atque Mathildi posteriori Henrici conjugi (*b*) cognatam, certum est. Neque de uxore Geronis veteres scriptores (*c*) quicquam memoria prodiderunt.

(*a*) Liquido illud constat ex Donationis Abbatiæ Corbeiensi factæ, atque a FOLCHIMARO Abbate A. 936. confirmatæ Diplomate, quod ex FRID. ERN. KETTNERI *Antiq. Quedlinburgensibus* integrum dabimus.

In nomine Domini Omnipotentis. Folchimarus Nova Corbejæ indignus Abbas, omnisque congregatio inibi Deo serviens omnibus S. Matris Ecclesia filiis salutem. Quia statuta sæpe majorum perturbat turba pravorum, & juste possessa aliquando injuste putantur acquisita, iccirco universitati vestræ notum fieri voluimus, qualiter Comes quidam SIGFRIDUS nomine, ob spem & præmium retributionis æternæ tradidit hereditatem suam ad monasterium nostrum in pago Hartago in loco, cujus vocabulum est Wester-Græningen sito juxta fluvium Bode, hoc est, ipsam Ecclesiam cum Clericis, quos ibi proprios habuit, & metallis & quicquid in

 dustra-

australi parte Ecclesia intra Urbem est, & quicquid extra urbem hereditatis possidet, in agris, & pratis pascuis cultis & incultis, aquis, aquarum decursibus, pro rege gloriosissimo videlicet Henrico cum Serenissima Machtilde & regia prole Ottone, Henrico, Brun, Gerberg, Hadwin, nec non & pro se ipso, una cum conjuge JUTTA & pro omnibus suis debitoribus, ea ratione, si fieri posset, ut eum juvaremus, monasterium ibi construere & ut duobus Monachis de nostra congregatione ipsum locum perpetuo commendaremus. Quod & fecimus in praesenti insuper & alios Clericos cum eis direximus. Hac traditio facta est, praesente Deo coram majori Altari Sacratissimorum Christi Martyrum, Stephani, protomartyris Novi Test. & Viti, nostra adstante paucitate, simulque advocato Hogero cum aliis testibus Luitprando, Aged, Thiademaro Heodwardo & aliis. Actum nova Corbeja A. 936. 7. Kal. Jun. postridie Urban.

Confirmat hæc fragmentum Chronici apud LEUCKFELDIUM *Antiq. Grœningensium* p. 168. atque post amissos fatali morte liberos, Sigfridum & Juttam, parentes bona sua sita in *Wester-Grœningen* piis usibus destinasse memorat.

(*b*) Ut ita conjiciamus, facit tum WITICHINDUS. qui l. c. Sigfridum *generum quondam Regis, nunc vero* (post alterum ejus matrimonium cum Mathilde) *affinitate* Ottoni Regi *junctum fuisse* refert; tum donationis, quam in *prae.* adduximus, confirmatio pro Henrico non solum, sed & Mathilde ejusve liberis, qua sane opus haud fuisset, nisi Sigfrido & Juttæ sanguine fuissent juncti, atque hinc jus aliquod in horum bona olim prætendere potuissent.

(*c*) POPPERODIUS enim, quem alii sequuntur, recentior est scriptor, atque Epitaphium, quod ap. MEIB. T. II. p. 425. adducit, non omni caret dubio. Quæ vero apud MANLIUM *Comment. Rer. Lusat.* Lib.

II, 10.

II. 10. §. 5. de Conjuge Geronis, Hidda, referuntur a SAGITTARIO in *Hist. Lusat.* merito rejecta sunt.

§. V.

Geronem præterea e Comitibus Stadensibus ortum fuisse, nulla veri specie nititur, cum inter Comites illos nussus unquam Geronis nomine extiterit (*a*) Missis quoque aliorum sententiis, (*b*) Sigfridi, cui successit, fratrem eum fuisse, certiori (*c*), fide asseritur

(*a*) Ut liquet ex Genealogia istorum Comitum quam PFEFFINGERUS in *Not.* ad VITRIARII *Jus Publ.* T. I. p. 668. & GEORG. ROTH. Rector Scholæ Stadensis, in *Orat: de Rebus Stadensibus*, quam notis illustratam 1714. edidit, probatis testimoniis confirmarunt. Errori forte occasionem dedit, quod postea Comites Stadenses longo tempore Marchiones Brandenb. simul fuerint.

(*b*) M. HIERON. HENNIGES *Oper. Geneal.* in IV. Monarchia, COMITEM RINGELHEIMENSEM atque filium Theodorici ipsum fuisse scribit. Sed de hujus Theodorici liberis vide *supr.* §. 3. aliorum vero sententias apud laudatum KNAUT *Antiqu. Pag. & Comit. Princip. Anhalt.* p. 5.

(*c*) CHRONICON MONTIS SERENI p. 36. *Temporibus denique primi Ottonis duo fuerant Fratres* GERO DUX & MARCHIO & SIGFRIDUS. *Horum Soror* HIDDA *dicebatur. Gero Filium habuit unicum Sigfridum, qui in Juventute obiit, de cujus morte adeo turbatus est, ut Romam petens coram Altari B. Petri arma deponeret, impetratove S. Cyriaci brachio, domum rediens cum omni hereditate sua ad Christum confugit, construens Ecclesiam quæ Gerenrode ejus nomine dicitur, filiique sui viduam,* HEDVIGAM, *quam*

quam ille annis VII. habuerat, a Bernardo Halberstadensi Episcopo velatam eidem Monasterio præfecit, consummatisque feliciter omnibus, XIV. Caland: Julii obiit A. 965. SIGFRIDVS *quoque* FRATER *ejus in honorum B. Viti construxit Ecclesiam, quæ* GRONINGE *dicitur.* Conferas si placet §. *præc.* neque desideres SIGFRIDVM, majorem procul dubio natu, postpositum esse minori fratri, cum Ordinis inter liberos monachi non semper rationem habuerint. In eo vero auctor istius Chronici erravit cum Dithmaro, quod Geroni unicum tantum filium tribuat, cum duos se habuisse filios, Sigfridum & Geronem, ipse Gero, Pater, referat, in *Dipl. Fundat. Abbat. Gerenrod.* ap. BECMANNVM HIST. ANH. P. III. p. 168. Vid. quoque laudatus ECCARDVS in *Hist. Geneal. Princ. Sax.* P. III. p. 123.

§. VI.

BRUNNICONEM, quem alii Brumitonem vocant, Geroni surrogatum fuisse ANDR. POPPERODIUS (*a*) auctor est. Filius certe Geronis esse haud potuit, quia duo, quos habuit filios, ipso vivo obierunt, (*b*) atque fabulas agunt Genealogi Saxonici recentiores, qui e Witechindea familia illius ortum derivant: (*c*) HUGO autem e serie Marchionum Brandenburgensium penitus expungendus est, (*d*) & quæ de Electorali dignitate dicuntur, fabulis (*e*) nituntur, de collegio Electorum ab Ottone III., vel P. R. Gregorio V., vel utrisque simul instituto.

(*a*) Qui apud MEIB. T. II. p. 421. *Marchiam*, ait, *Lusatiæ quadraginta duobus annis fortiter defensam propter affinitatem designavit Duci Christiano, qui e Sorore Geronis filium Dithmarum reliquit: Brandeburgensem vero Marchiam triginta duobus annis summa cum gloria gubernatam obtinuit* BRUNNICO, *cujus*

cujus sepulchrum Brandeburgi extat in monte Harlungorum. Nemo autem Scriptorum Veterum hujus BRVNNICONIS meminit, nisi eundem velis cum BRVNINGO, de quo WITICHINDVS p. 644. *Cessantibus*, ait, *bellis externis, civilia oriri cœperunt. Nam Saxones imperio Regis facti gloriosi, dedignabantur aliis servire nationibus, quæsturasque, quas habuere, ullius alius, nisi solius Regis gratia habere contemserunt. Unde iratus Everhardus contra BRUNINGUM, collecta manu succendio tradidit civitatem illius Elveri.* Is enim Geroni forte surrogatus fuit, sed provectæ jam ætatis Marchiæ haud diu præfuit, nisi, quod vereor, inter Marchiones Brandenb. plane non sit referendus. vid. §. seq.

(*b*) Vt liquet ex *Diplomate Fundat. Abbat. Gernrodensis*, de quo vid. §. 5. *lit.* (c) in f.

(*c*) Hoc Stemmate:

Witichindus M.
Dux Saxonum.
Witichindus II.
Ditgremus.
Fridericus C. Wetin.

Fridericus Marchio Misniæ.	Bruno C. Wetin.	Dedo. I. C. Wetin.
Ricdagus Marchio Misniæ.	Guntherus C. Pleissensis.	BRVNICO Conditor vet. March. Brand.

de quo vero laudatus ECCARDVS p. 158. merito *speciosum*, ait, *schema est fateor, sed dolendum, quod ne unica quidem connexio ex veteribus probari possit.*

(*d*) Vnde fabula de HVGONE, Marchione Brandenburgensi,

gensi, orta fuerit, CHYTRÆVS innuit, qui in *Saxonia* p. 37. *Geronis*, scribit, *filius fuit BRUMITO Brandeburgi in monte Harlungorum una cum filiis Meinfrido, Sighardo, Hermanno sepultus. Quorum frater fuit HUGO ille Hetruriæ Gubernator ab Ottone III. Imperatore designatus, qui Ottonem Romæ obsessum, consilio pleno prudentia & fidelitatis liberavit. Hic a Viterbiensi in Chronicis miles Brandenburgensis vocatur. Is Pistorii in Italia mortuus Florentiæ in Abbatia S. Benedicti a se condita humatus est, cujus sepulchro hæc verba adscripta leguntur:* Ugoni Ottonis Imp. Affini & Comiti, Marchioni Brandenburgensi, Hetruriæ præfecto, quod D. Benedicto hic olim & sex alia cœnobia condidit, pii hujus loci Monachi de se bene merito sepulchrum vetustate attritum instaurarunt, anno salutis 1481. obiit anno sal. 1001. XI. Calend. Januarii. Nititur itaque illa de Hugone fabula tum Viterbiensis auctoritate, tum inscriptione sepulchrali absurdissima, quæ potius sic se habet:

D. O. M.

UGONI. OTTONIS III. AC. CAMERTI. MARCHIONI. ANDEBURGENSI. QUI. D. BENEDICTO. HOC. OLIM. ET. SEX. ALIA. CONDIDIT. PII. HUJUS. LOCI. MONACHI. DE. SE. BENE. MERITO. SEPULCHRUM. VETUSTATE. ATTRITUM. INSTAUR. AN. SAL. MCCCCLXXXI. H. M. H. S. OBIIT. AN. SAL. M. L XII. CAL. JANUARIAS.

Ast Hugonem illum non ex Principibus Germaniæ ortum fuisse, sed *avum* HUGONEM, Provinciæ in Francia Comitem, postea Regem Italiæ, *aviam* WANDELMODAM; *Patrem* OBERTUM s. HUBERTVM, Marchionem Tusciæ; *matrem* GUILLAM *sive* WILLAM, Bonifacii Marchionis Spoletani filiam, habuisse, peculari EXERCITATIONE T. I. Sect.

Sect. II. *Exercit. Francof.* ostendimus, quæ pluribus dein confirmavit Illust. GUNDLIGIUS P. XXI. *Gundling.* Maxime vero gratum mihi fuit, quod Celeb. Virum JUSTUM FONTANINUM, P. R. Bibliothecarium, eandem de Hugone nostro sententiam fovere intellexerim ex Ejus Epistola ad Illustrem atque Eruditissimum Virum, PHILIPPUM de STOSCH scripta, quam hic integram recensere, nec abs re alienum, nec B. L. ingratum fore spero, Est autem hæc:

PHILIPPO STOSCHIO, V. C.
JUSTUS FONTANINUS S. P. D.

Illustri Becmanno populari Tuo Marchiæ Brandenburgicæ Annales scribenti suppetias laturus, quæsivisti ex me, ornatissime Philippe, cur Johannes Mabillonius, Vir in Republ. literaria magni nominis Hugonem Tusciæ Marchionem, qui exeunte Seculo X. floruit, in suo Itinere ex Albo Marchionum Brandenburgensium expunxerit, qui tamen aliquando apud Florentinos pro Brandenburgensi & quidem Ottonis III. Imperatoris affini habitus fuisset. Ego vero continuo respondi, hunc Hugonem fuisse genere Francum, *non* Germanum *aut* Saxonem; *ideoque secundum placita legis Salicæ non Allemannicæ, aut Saxonicæ vivere professum, ut tamen necessario vixisset, ex Principum Germanorum Stemmate ortus. Hæc Tibi Viro criticæ perspicaciæ instructissimo, quum arrisissent, à me postulasti, ut quæ rem undequaque conficerent, literas traderem. Quare accipe.*

Ineunte Seculo X. floruit Hugo Provinciæ Arelatensis Comes & Marchio ex Theutbaldo & Bertha, Lotharingiæ Regis filia genitus, A. D. 916. in Regem Italiæ nuncupatus est. Hac de re consulatur Anthonius Pagius A. D. 916. §. 2. & A. D. 1002. §. 4. ubi ex Luitprando, historico æquali, observat, hunc Hugonem Italiæ Regem ex Wandelmoda concubina Obertum *genuisse, qui etiam* Ubertus & Hubertus *in Italicis monumentis*

voca-

vocatur. Ex hoc Oberto spurio & ex Willa seu Gvilla Bonifacii Spoletanorum Marchionis filia ortus est Hugo, ab Avi, Hugonis Italiæ Regis, nomine sic appellatus, quem post Obertum patrem & ipsum Tusciæ Marchionem fuisse novimus. Ne vero sine idoneis & probatis testibus rem agere videar, unum Petrum Damianum laudare sufficiat, qui in opusculo LVII. de Principis officio Differt. 2. C. 3. Tom. 3. oper. pag. 381. editionis Parisiens. A. D. 1664. hunc Hugonem Italiæ Regem, & Obertum Marchionem filium sic memorat:

Obertus Marchio, pater Hugonis Marchionis, filius naturalis Regis Hugonis, Gvillam majoris Bonifacii Marchions filiam conjugali fœdere sibi copulavit. *Petro Damiano scriptori æquali concinunt veteres tabulæ apud Franciscum Mariam Florentinum lib. III. de Comitissa Matilda pag. 43. ubi hæc leguntur:* Ego Ubertus Marchio, lege vivens Salica, filius bonæ memoriæ Domini Ugonis Regis. *PLACIDUS PUCCINELLUS, Monachus Casinas, in* Chronico Abbatiæ Florentinæ *multa diplomata vulgavit, in quibus Hugo se passim Tusciæ Marchionem ex præscripto legis Salicæ viventem, & Uberti Marchionis filium appellat, quorum aliqua indicabo. Diplomate XXVII. quod scriptum est A. D. 995. pag. 212.* Ego Ugo gloriosissimus Marchio, Filius Domini Uberti, qui fuit Marchio, lege vivens Salica. *Diplom. XXVIII. 996. pag. 214.* Ego in Dei nomine *Ugo* gloriosissimus Marchio filius bonæ memoriæ Uberti, qui fuit *itidem* Marchio. *Diplom. XXXV. anni 998. pag. 215.* Ego in Dei nomine Ugo Dux & Marchio lege vivens Salica, filius bonæ memoriæ Uberti, qui fuit similiter Marchio lege vivens Salica. *Vides, dubitari non posse, quin Hugo fuerit ex Genere Francorum. Obiit Pistorii A. D. 1001. ut ex vetusto martyrologio Lucensi docet Puccinellus pag. 56. Ejus cadaver postmodum Florentiam translatum in urna porphyretica reconditum fuit, addito epitaphio, quod pro-*

præstat apud Baronium A. D. 1002. §. 3. Sed quinque Seculis jam tandem ab obitu Hugonis elapsis, Monachi Abbatiæ Florentinæ A. D. 1481. veteri titulo sublato, aliud monumentum, bono animo quidem, sed non æque prudenti erigendum curarunt, ubi Hugonem, si Deo placet, & Ottonis III. affinem & Marchionem Andeburgensem *ex ingenio fecerunt, vita etiam fabulosissima de tanto Viro edita. Baronius antiquitatis amantissimus, loco jam indicato hæc memorans, in hujusce Rei autores vehementer excanduit. Ejus verba recitabo, quæ fictitiam Hugonis patriam, recens epitaphium & vitam merito explodunt.* Siccine (*inquit vir magnus*) didicerunt æditui de benefactore adeo insigni bene mereri? & quod deterius, ejusdem Hugonis vitam mendaciis locupletatam edere, quæ piget enumerare. Et inprimis deforme illud, quod vestibulum ingredienti lectori fit obviam, non invitans ipsum, sed verberans & expellens, dum ibi asseritur Hugo iste fuisse Princeps Magdeburgensis, Etruriæ vero ab Ottone III. Imperatore præfectus, quibus adversantur Petrus Damiani, Luitprandus, Glaber & alii ejusdem temporis, dum ostendunt hunc non Germanum, sed Italum, avitaque hæreditate possedisse Principatum Etruiæ. At non est nostri instituti hic errores reliquos numerare, ac confutare fabulas, inani studio concinnatas: præstat tanti Principis Vitam ex purioribus deducere fontibus, nempe ex Petro Damiano & aliis, ex quibus nobilissima Florentinorum ingenia panegyricas Orationes, dici solitas dum eidem parentatur annis singulis die anniversaria obitus ejus feliciori Minerva depromant. *Hæc Baronius, Hugonem in fabuloso Epitaphio Magdeburgensem dici opinatus, qui tamen* Andeburgensis *dicitur: pro quo Mabillonius* Brandenburgensem *dicere maluit: Scilicet viri summi* Magdeburgum *vel* Brandenburgum *pro* Andeburgo, *quod nusquam esse noverant, ab indoctissimo auctore intelligi potuisse crediderunt, ipsi tamen neutrum probantes. Hunc eun-*

dem Hugonem quispiam ex nostratium Historicis Atestino Stemmati inserere ausus est, quem nobis refellere opus fuit in Defensione Ima Dominii Apostolicæ sedis in civitatem Comachensem §. *XX. p. 125. Editionis primæ. Ex his patere arbitror, Marchiam vestram Brandenburgensem nobilissimam quidem, nullum unquam Hugonem Marchionem Italiæ s. Tusciæ dedisse, quod sane infortunio nostro vertimus hac tempestate, qua clarissimi Becmanni eruditio & eloquentia Hugonis gesta pertractans rebus nostris multum ornamenti attulisset. Vale, meque, ut soles, tua consuetudine frequenter dignare. Dabam ex Museo nostro die III. Junii. 1715.*

(e) Quarum Auctores vide apud Cl. JOH. GUIL. JANUM in *Judiciis Eruditorum* de *Orig. Electorum* cap. II. Rerum Germanicarum haud expertes rectius nunc de Serenissimi Collegii Electoralis Origine edocti sunt, atque nos illam pluribus exposuimus DISSERT. de *Orig. Elect. S. R. Imperii.*

§. VII.

Genuina igitur Marchiæ Brandenburgensis initia hæc sunt. Ex quo imperator Henricus I. induciarum, quas cum Hungaris in novem annos inierat, tempore, Germaniam munitiorem atque milites suos ad pugnam exercitatiores reddiderat, ut periculum faceret suarum virium, Slavorum gentes, quæ ab Imperio (a) Germanorum defecerant, ad officium redigere studuit, atque HEVELLOS, primum (b) aggressus fuit, quibus devictis REDARIOS aliasque nationes Slavorum sibi quoque subjecit. Primos vero, qui illum Imperii

perii limitem, sive Marchiam Septentrionalem (c) tuerentur, constituit BERNHARDUM, (d) TUGUMIREM, (e) ET SIGFRIDUM. (f) His dein sub Ottone I. surrogatus fuit GERO, (g) quem BRUNICO, sive BRUNINGUS, (h) atque hunc THEODORICUS (i) excepit.

(a) Carolum enim M. ita Slavos omnes *perdomuisse*, ut *tributarios eos fecerit*, refert EGINH. in *Vita* Ejus. c. XII. & XV. Sæpius vero sub ejus successoribus nonsolum defecere, sed & Danis & Hungaris adversus Germanos opem tulerunt, atque maxima insuper in hos sævitia usi fuere, cui reprimendæ Henricum institisse, scribit REGINO ad *A. 921.*

(b) Witichindus Lib. I. p. 639. *Tali lege ac disciplina cum cives assuefaceret, repente irruit super Slavos, qui dicuntur HEVELLI, & multis eos præliis fatigans, demum hyeme asperrima, castris super glaciem positis, cepit urbem, quæ dicitur Brennaburg, fame, ferro, frigore; cumque illa potitus & omni regione.* item, *cum vicinæ gentes a Rege Henrico factæ essent tributariæ Abotriti, Vulzi, Hevelli* &c. Witichindum exscripsit CHRONOGR. SAX. A. DCCCCXXVI.

(c) Quo nomine illa Marchia initio venit. CHRONOGR. SAX. An. 1130. MARCHIA *etiam* SEPTENTRIONALIS *tradita est Conrado filio Helperici de Plozeke.* Marchiones vero *septentrionales* vel *contra Slavos* appellabantur. JOACH. VADIANUS ex. L. II. de *Colleg. & Monast. Germ.* ex charta S. Galli: *anno* DCCCCL *Comes Saxonicus* MARCHIO CONTRA SLAVOS, *Vir religiosus*, KERO *nomine, a liminibus Principum Apostolorum reversus, Monasterium S. Galli orationis*

causa visitavit. Albertus vero Ursus, successor Conradi Plozekensis, *Marchionem Brandenburgensem* se primum appellare cœpit, ut liquet ex Diplomatibus Conradi III. de A. 1142. & 1149. apud SCHATENIUM T. I. *Annal. Paderb.* quibus *Marchionis Brandenburgensis* nomine subscripsit. In diplomate Donationis Ecclesiæ Magdeburgensi sub eodem Imperatore, incertum tamen quo anno, factæ, apud PFEFFINGERUM in *Not. ad Vitriar.* T. II. p. 64. *In nomine*, ait, *Sanctæ & individuæ Trinitatis*, ADELBERTUS *divina favente clementia* BRANDENBURGENSIS MARCHIO. Ab auctore *Chronici Montis Sereni* jam An. 1128. MARCHIO ALBERTUS de BRANDENBURG vocatur.

(*d*) Quem REDARIORUM PROVINCIAE fuisse præfectum, jam supra §. 3. *lit.* (*m*) ex Witichindo vidimus; e Principum Anhaltinorum Stemmate eum fuisse ortum, sui nominis III. putat *Ill.* ECCARDUS l. c. p. 496. celebrem insuper clade ingenti Redariis eorumque sociis illata juxta LUNCKINUM; quo *Lentzen* designari, sunt qui putant, auctoritate adducti CHRONOGR. SAXONIS, qui Anno DCCCCXXX *pugna*, inquit, *valida facta est juxta Albiam prope Lungini, in qua Saxones gloriose vicerunt, prostratis Slavorum CXX. millibus, in captivitatem vero DCCC ductis.* Quia vero Witichindo teste locus iste apud Redarios fuit, in Uckera Marchia, quam illi incoluere, Urbes vel *Lœkenitz* ut *supra* §. II. (*m*) vel *Lichen* juxta *Ill.* GUNDLINGIUM de *Henr. Aucupe* p. 184. intelligendas esse putamus, quippe cum & maria, quibus pars hostium mersa fuit, inde haud longe absint, adeo ut necesse haud sit, cum BANGERTO in *Not.* ad HELMOLD. Lib. I. c. XII. p. 38. locum istius prælii ad mare Balthicum quærere.

(*e*) De

(e) De quo WITICHINDUS Lib. II. p. 657. *Fuit quidam Slavus a Rege Henrico relictus, qui jure gentis paterna successione dominus esset eorum, qui dicuntur Hevelli, dictus* TUGVMIR. Is sub Ottone I. adhuc superstes fuit, atque, ut pergit, WITICHINDVS *pecunia multa captus, venit in urbem, qua dicitur Brennaburg a populo agnitus, ut & DOMINUS susceptus, in brevi, qua promisit, implevit. Nam nepotem suum, qui ex omnibus Principibus gentis supererat, ad se invitans dolo captum interfecit, urbemque cum regione ditioni Regis tradidit. Quo facto omnes barbara nationes usque in Oderam fluvium simili modo tributis regalibus se subjugarunt.*

(f) De quo supra §. 3. egimus. Etsi enim is Comes Saxoniæ fuerit, præcipue tamen *Marchia* quoque *septentrionalis* eum curam habuisse puto, quia Gero, Lusatiæ Marchio, non prius Marchiæ illius rebus præfuit, quam in *ditione s. legatione* Sigfridi suffectus esset. Vid. WITICHINDUS L. II. p. 644. DITHMARUS Lib. I. p. 245.

(g) Marchio jam Lusatiæ, atque ut §. 3. diximus, frater Sigfridi, cui, quamvis invito Thancmaro, consobrinæ suæ, Hatheburgæ ac Henrici imperatoris filio, substitutus fuit. Vid. WITICHINDUS L. II. p. 644. cujus verba supra §. 3. *lit.* (a) retulimus. MANLIUS L. II. c. X. p. 161. *Marchiam Lusatiæ Henricus commendavit Geroni s. Geroni Comiti, Stadensi secundum Peucerum, prapotenti Principi. Eidem etiam post a An. 937. quo & obiit Auceps Otto I. Imperator, Aucupis filius & successor tradidit Marchiam Brandenburgensem & reliquam ditionem Sigefridi, sine liberis extincti.* De rebus ejus, in Marchia præsertim Uckera, gestis, vid *WITICHINDUS* L. II. p. 647. & L. III. p. 655. 657. *DITHMARUS* L. III. p. 333. obiit DCCCCLXV. ut patet ex *Ne-*

crologo apud *LEIBNITZIUM* T. III. p. 764. & *Annalibus Gernrod.* p. 425.

(*h*) De quo vide *supra* §. VI. *lit.* (a)

(*i*) Marchiæ Brandenburgensi sub imperatore Ottone II. *MARCHIONEM THIEDERICUM* præfuisse, testis est *CHRONOGRAPHUS SAXO*, qui ad an 982. *Gentes*, ait, *quæ suscepta christianitate Regibus & Imperatoribus tributaria servierant, superbia THIEDERICI DUCIS aggravata, præsumtione unanimi arma commoventes III. Idus Junii percusso in HAVELBERGA præsidio, Episcopalem cathedram ibidem destruxere. Trium autem transactis spatiis dierum conspirata manus Slavorum Brandenburgensem Episcopatum XXX. annis ante Magdeburgensem Archi Episcopatum constitutum, cum jam prima sonaret, invasit, fugiente prius tertio ejusdem Ecclesiæ Antistite, Volcmaro, & DEFENSORE ejus THIEDERICO.* Desumta hæc sunt ex Dithmaro, qui L. IV. p. 345. pergit; *Conveniunt Episcopi Giselerius & Hillibardus, cum MARCHIONE THIEDERICO ceterisque Comitibus Ridago* &c. Hunc Theodoricum laudatus *ECCARDUS* l. c. p. 498. & 499. *BERNHARDI* III. de quo §. 3. egimus, nepotem, atque eundem fuisse putat cum *THIEDERICO DUCE*, qui a *DITHMARO* L. II. p. 332. OTTONI I. adversus filium adstitisse refertur, atque *WITICHINDO* L. III. p. 653. & 654. *THIADERICUS* vocatur; ut & qui A. 966. Diplomati Ottonis M. apud MEIB. T. I. p. 750. subscripsit, & ab eodem Imperatore una cum Herimanno per Epistolam A. 968. *ibid* p. 661. admonetur, ut Redariorum destructioni finem imponant, Marchionatu tandem, qui in LOTHARIUM Walbecensem fuerit translatus, privatum, atque mortuum A. 983. vel 985. Præter filias *Odam, Thietbergam, Othelhuldam & Mathildem,* filium

filium quoque BERNHARDVM ei tribuit, qui a WERINHARIO, Lotharii Walbecensis filio, Marchiam receperit, circa annum 1018. mortuum, filia relicta *Thietburga*, moniali Quedlinburgensi. Admodum speciosa sunt, in quibus tamen suspensos ac ancipites nos tenent *primum*, quod Theodoricus Marchio Brandeb. circa An. 991. adhuc superstes fuerit, quippe cujus invidia KIZO, nobilis quidam, ductus fuit, ut urbem Brandenburgum occupaverit, ut refert DITHMARVS L. IV. p. 352. his verbis: *Fuit in nostra vicinitate quidam miles inclitus KIZA* (Quizo) *nomine, qui a Marchione THIEDERICO aliter quam sibi placeret, habitus est: Ob hoc & quia facultas sua nequaquam impietati suppeteret, ad hostes perrexit nostros, qui eundem sibi in omnibus nimis fidelem cognoscentes supra memoratam urbem* (Brandenburgum, quam Kizonis instinctu occupaverant) *nobis satius ad nocendum eidem commiserunt.* Cui accedit, quod HELMOLDUS L. I. c. 16. & ADAMUS BREMENSIS L. II. c. 30. & 31. Theodoricum Marchionem memorent, qui, cum Duci Saxoniæ Bernhardo circa An. 1010. dissuasisset, ne filiam suam Mistevojo Principi Slavorum, utpote Cani, in matrimonium daret, ideo a Slavis, ditionibus suis ejectus, ut præbendarius apud Magdeburgum miserrime obierit. *denique*, quod, FRID. ZOLLMANNUS in *Stemmate Buzico Saxonico* seu de *Serenissima ac Potentissima Saxonia Ducum hodiernorum familia*, omnia, quæ supra ex Dithmaro, Witechindo & aliunde de Theodorico Marchione Brandenburgensi dicta sunt, ad THEODORICUM, Satorem Serenissimæ illius Familiæ haud spernendis argumentis referat. Quæ omnia, cum temporis ac chartæ, cui includimur, angustia nunc

impe-

impediamur, alia occasione penitius expendere, atque Successionem Marchionum Brandenburgensium inde quoque a Thiederico justo suo ordini restituere studebimus.

§. VIII.

Quod denique ad Statum Marchiæ Brandenburgensis publicum, ejusque cum Imperio sub primis illis Marchionibus nexum attinet, haud quoque extra omnem controversiæ aleam is positus est. Etenim Virum incomparabilem, PERILLUSTREM a COCCEJUM (a) sequutus illustris Vir, JOH. PET. a LUDWIG, Marchiam adservit (b) Brandenburgensem jam ab ejus initio primarii Ducatus formam habuisse, atque Marchiones jure Civitatis Germanicæ Comitiorumque Imperii fuisse participes factos, dum Marchiones Lusatiæ & Misniæ juris manserint peregrini, nec unquam locum & suffragium in Comitiis habuerint. Ab illis vero Celeberrimi Viri, CASP. HENR. HORNIUS (c) MICH. HENR. GRIEBNERUS (d) aliique (e) in diversas abierunt partes, atque Ducatum Brandenburgensem pariter ac discrimen inter Brandenburgenses, Lusatiæque ac Misniæ Marchiones in dubium vocarunt, omnesque eodem semper loco habitos fuisse contenderunt. (f)

(a) Quem

(a) Quem vide in *Juris Publici Prudentia* C. III. §. 68. & seqq.

(b) In *Formula Marchiæ Brandenburgensis* §. IV. DUCIS præcipue & DUCATUS nominibus, quibus Marchiones & Marchia Brandenburgensis, Scriptorum probatorum, diplomatum, aliorumque documentorum fide ab initio ejus Marchiæ jam venerint.

(c) Programmate de *Marchia Misnensi* Dissertationi inaugurali 1706. adjecto.

(d) Duobus Programmatibus de *Jure Civitatis Germanicæ Lusatiæ competente*, & de *Marchione Gerone*, quæ T. II. *Script. Rer. Lusat.* recensentur.

(e) Inprimis qui in *Perillustr.* a *COCCEII Juris publ. Prud.* nuper animadversiones edidere, *Ill. Vir. FRID. LUD.* N. D. a *BERGER* & *JOH. MICH. LANGGUT*, ante quos idem quoque egit duobus de *GERONE Programmatibus GODOFR. HECHTIUS*, Scholæ Luccav. Rector, ut alios taceamus.

(f) Quo jure, ut inquiramus, temporis & Dissertationis hujus spatium haud sinunt. Certe præter Ottonianum Diploma, quod *Ill.* a *LUDWIG* produxit, nullum in quo Gero *DUX & MARCHIO* appelletur, exstare, nimis audacter a nonnullis fuit assertum. In *Diplomate* enim *Fundationis Episc.*

 Bran-

Brandenburgensis Otto Imp. illam Episcopalem Sedem se constituisse ait, *consultu Marini venerabilis presulis Romane Legati Ecclesie, nec non Friderici ac Adaldagi Archiepiscoporum, aliorumque Episcoporum quam plurium ac cari fratris nostri Brunonis, Procerumque nostrorum, precipuere GERONIS dilecti DUCIS ac MARCHIONIS nostri.* Sed pluribus hac de re alio tempore & loco.



XI.

JACOBUS PAULUS GUNDLING Franconia oriundus Historiarum cognitione & scientia Scriptisve celebris. Cum ad exornandam Academiam Equestrem (Ritter Academie) à FRIDERICO I. Rege Prussiæ Berolini institutam Viri eruditione & doctrina excellentes congregarentur, & noster Gundlingius in eorum numero fuit, ipsique Historiam docendi partes fuerunt impositæ. Ex quo autem ejus ingenii dotes innotuere FRIDERICO WILHELMO D. Regi Prussiæ, adeo IPSI gratus acceptusque fuit, ut nobilitate eum, variisque dignitatibus conspicuum redderet. Nec aliis summis Principibus fuit incognitus, a quibus magni semper fuit habitus, muneribusque affectus. Fato est functus die II. Aprilis MDCCXXXI. & Bornstadii prope Postamum sepultus. Maximam operam impendit illustrandræ Marchiæ Brandenburgensis Historiæ, scriptaque ejus, quæ ad illam pertinent, habentur sequentia.

1.) Leben und Thaten Albrechts des I. Marggraf zu Brandenb. Ottens des I. Ottens des II. Albrechts des II. Johannis und Ottens Fol. Totius Historiæ March. Brand. quam scribere instituerat, Fragmentum.

2.) Leben und Thaten Friderich des I. Marggr. und Churfürst zu Brandenb. 8. 1725.

3.) Leben und Thaten Friderich des II. Churfürsten zu Brandenb. 8. 1725.

4.) Auszug der Brandenburgischen Geschichten Churfürst Joachim des I. Joachim des II. und Churfürst Johann Georgen zu Brandenburg 8. 1722.

5.) Leben und Thaten Friderich Wilhelm des Grossen Churfürst zu Brandenb. 8. 1710.

6.) Brandenburgischer Atlaß, oder Geographische Beschreibung der Chur-Marck Brandenburg und des dasigen Adels. 8. 1724.

7.) Pommerscher Atlaß, oder Geographische Beschreibung des Hertzogthums Pommern und des dasigen Adels. 8. 1724.

8.) Geographische Beschreibung des Hertzogthums Magdeburg, und und der dasigen Noblesse. 8. 1730.

9.) Bellica Progymnasmata à Joachimo I. Elect. Brand. Ruppini celebrata a Publio Vigilantio Arbilla descripta 12. 1719.

10.) Historische Gedancken, als Seine Königl. Majest. in Preußen die Erb-Huldigung zu Stettin den 10. Aug. 1721. eingenommen. 4.

11.) Dissertatio de origine Marchionatus Brandenburgensis Fide Diplomatum suffulta, quam jam typis iterum descriptam communicamus, 1726. fol. ab ipso publicata & Viro Illustri Domino de ** fuit dicata. Quæ cum eruditionis plena sit, & insignem Historiæ Brandenburgicæ partem pertractet, eique lucem afferat, nec non ob difficilem ejus copiam, locum in actis Eruditorum, quæ Lipsiæ prodeunt Tom. IX. supplement. p. 173. meruit.

XI.



XI.

JACOB. PAUL. DE GUNDLING

DE ORIGINE MARCHIONATUS BRANDENBURGENSIS FIDE DIPLOMATUM SUFFULTA.

SUMMARIA.

§. I. *Varia de primordiis Marchionatus Brandenb. referuntur sententiæ & refutantur.* §. II. *Sub Ottone II. Imp. ob violentiam Theodorici Marchionis*

onis deficiunt Slavi, contra quos sub Imperatoribus succedentibus ancipiti fortuna pugnatum est, donec ipsos debellavit Adelbertus Ascbariæ Comes. §. III. *qui a Conrado III. Imp. proscripto Henrico Superbo, Ducatum Saxoniæ obtinet, sed illum reddere cogitur,* §. IV. *in cujus amissi solatium Adelberto occupatum inter summos Imperii Officiales fastigium relinquitur, & dignitas Archi-Cameriatus tribuitur.* §. V. *inquiritur in tempus, quo Adelbertus Marchionatum Brandenb. cum omnibus Ducatus juribus sit consecutus,* §. VI. VII. *illudque constituitur fide Diplomatum, & dubia, quæ fiunt, removentur.* §. VIII. *Praemientia Adelberti, ejusque obitus.*

§. I.



Idimus plures & hac ætate magnæ eruditionis Viros, qui in inquirendis rerum originibus somnum vigiliasque posuerunt ac omnes ingenii vires intenderunt, ut verum tempus conditi Marchionatus & Electoratus Brandenburgensis, ac vera primordia ex rerum temporumque caligine eruerent & vera initia tanti Principa-

cipatus indicarent. Fuerunt, qui initia conditi Marchionatus Brandenburgensis ad Romanorum & Augusti Octaviani tempora festinanter satis rejecerunt: Imo alii crediderunt, a Carolo Magno Marchionatum fuisse erectum eo tempore, quo Venedos Vilzosque armis sibi subjecit. Alii Henricum Aucupem conditorem illius extitisse putant, qui Sigefridum primum Marchionem constituerit, cui Otto Magnus, & Otto secundus Geronem & Theodoricum substituissent, eo inducti argumento, quod Gero & Theodericus Marchionis appellatione ornati in historia legantur. Sed si recta mentis acie rem totam perlustramus, facile apparebit, nec Geronem, nec Theodericum unquam dominium hujus regionis habuisse, quod ad Henricum Aucupem belli jure, & post ad Ottonem Magnum ipsiusque filium Ottonem secundum, ut Saxoniæ duces, potius spectavit, qui bella sub ducibus Gerone & Theoderico contra (a) Rhedarios gesserunt, ac Episcopatus instituerunt & confirmarunt, (b) quod nunquam ab ipsis fieri potuisset, nisi dominium harum regionum habuissent. Nihil præter regiones aliquas & prædia & dominia aliqua ad illos Duces Vicarios & Marchiones cum magna tamen potestate pertinuit, qui officio & munere contenti, quod Marchiones dicerentur, nihil amplius ambiverunt.

§. II.

Hic rerum status usque ad annum nongentesimum octuagesimum tertium (c) duravit; hoc enim anno Miste-

(a) Epist Ottonis M. apud Witichindum. (b) Literæ fundationum apud Cl. Lunigium de Episcopatu Havelbergen. & Brandenburgensi. (c) Annalista Saxo. III. Dn. de Eckard.

Miſtevojus Obotritorum Rex frena mordebat, & Ottoni ſecundo Imperatori ob violentiam Theoderici Marchionis has regiones eripuit, qui vicaria poteſtate abutebatur. Licet vero ſtatim & poſt ab Ottone tertio arma in Obotritos ſint mota; eventus tamen docuit, eos ſub Henrico II. & Conrado Salico ipſiusque filio magis fuiſſe triumphatos quam victos. Omnia in deterius poſt Wilhelmi Marchionis Septentrionalis (d) ſtragem & interitum & apud Prizlavam prope Werbenam ruebant, qua clade factum, ut Venedi libertatem ſibi vindicarent, percuſſo cum Henrico IV. fœdere, cui contra Saxones ſuppetias tulerunt. Repreſſit eos apud Cothenam Anhaltini Principatus oppidum Otto Aſcharienſis Comes, (e) expugnato cis & trans Albim inſigni terrarum tractu, qui nunc ex parte Ducatus Saxoniæ appellatione inſignitur. Poſtea Lotharius, tunc Saxoniæ Dux, (f) eos devicit & vectigales reddidit; ſed mox cum ad ingenium rediiſſent, Adelbertus Aſchariæ Comes & Luſatiæ quondam Marchio antiquam Marchiam ſeu Soltwidelenſem ab Imperatore Lothario adeptus, juſto bello eos plane devicit, & extructis caſtris eos debellato Prebizlavo Obotritorum ac Hevellorum Rege A. 1137. ſub jugum miſit, noviſque incolis Friſiis, Weſtfalis, Saxonibus, aliisque deinde terram hanc implevit.

§. III.

Poſt Imperatoris Lotharii ex hac vita diſceſſum, Conradus III. Imperator eligebatur, qui ob avitas inimi-

(d) Annaliſta Saxo. Hildeſienſe.

(e) Annaliſta Saxo.

(f) Chronicon

inimicitias, Henricum Saxoniæ & Bavariæ Ducem superbum, odio habere cœpit, quem postea proscripsit & Ducatu Saxoniæ & Bavariæ privavit. Ambibat Adelbertus Saxoniæ Ducatum, eo quod Mater ipsius Eilica, ultimi Saxoniæ Ducis Magni esset filia, ob quam ille successionem in Ducatu Saxoniæ prætendebat. Arripiebat occasionem fronte capillatam Conradus tertius Imperator, ac Ducatum Saxoniæ Adelberto Marchioni tribuebat.

Assumsit Adelbertus statim dignitatem, (g) nomen & titulum, ac in omnibus Imperii rebus ut Dux Saxoniæ negotia tractavit, & Imperatorum in tabulis & præceptis ut Dux Saxoniæ inter testes est adhibitus.

Statim ad arma res deveniebat, nam novus Saxoniæ Dux Adelbertus Ducatum Saxoniæ, ac in eo urbes plurimas expugnavit, sibique vindicavit. Non duravit tam felix belli alea, quæ facile turbatur, quæque Welfo Henrici Leonis patruo favere cœpit, ut ipse Adelbertus regionibus suis a Saxoniæ Principibus expelleretur, ac ad Cæsaris Conradi gratiam cogeretur confugere.

Quemadmodum vero odia humana cum morte hominum, qui odio habentur, defervescere solent; ita alia rerum temporumque facies apparebat, post-

(g) Diploma Astensibus datum Anno 1140. apud Cl. Tolnerum: Quorum nomina sunt hæc: Fridericus Dux Suevorum, Henricus Com. Palatinus, Conradus Dux Karinthiæ, *Adelbertus Dux Saxoniæ.*

quam Conradus tertius Imperator, post fata Henrici superbi Francofurti ad Mœnum, pace cum Henrico Leone inita, fratri uterino suo Bavariam relinquere, Henrico Leoni vero Saxoniæ Ducatum jam in Adelberti potestatem delatum, restituere secum constituisset.

§. IV.

Igitur Adelbertus spe sua de retinendo Saxoniæ Ducatu dejiciebatur, ita ut hujus Principis rationes exigerent, novam ac aliam gratiam ab Imperatore Conrado efflagitare, ut inter summos Imperii Officiales in occupato fastigio relinqueretur.

Non ex re Imperii Conrado III. videbatur Adelbertum, tam insignem, tam fidum sibi ac tam fortem Principem, ab occupato inter Duces Germaniæ loco dejicere, aut pati, ut is, qui inter Imperii summos officiales Sacri Romani Imperii Archi-Marschallus fuerat, ac res maximas & publica negotia tractaverat, inter Principes sequiores locaretur. Igitur ut Adelbertus eo facilius Ducatum Saxoniæ dimitteret, videndum sibi ratus, quo potissimum modo ea posset resarcire, quæ dimissione Saxoniæ Ducatus Adelbertus (b) amitteret. Igitur Archicamerariatus dignitatem Adelberto concessit, ac Marchionatum Soltwidelensem cum regione inter Albim & Oderam conjunxit, additis omnibus Ducatus

(b) Hæc optime Albertus Krantzius exposuit Saxon. l. 6. c. 8.

catus juribus, quæ Duces tum temporis reddebant illustriores.

Non erant in his regionibus Marchio, nec Palatinus, Landgravius, aut alii Principes seculares, nec Comes, qui aliquid haberet, quod putaret esse suum. Nobiles, quos in hac regione locabat Adelbertus, erant ipsi clientelari fide addicti, nec ullus se in censu Imperii esse credebat. Episcopus uterque subditi illi erant, licet Principes Imperii fuerint ob eminentem saltim, quam habebant, dignitatem, quæ ipsis tamen non ut terrarum Dominis competebat.

Igitur Adelberto à Saxoniæ Principibus patria propulso, felicior postero tempore rerum decursus favere cœpit, ex quo hostes ipsius, ipsi sua restituere ac omnem regionem reddere compellebantur. Accidit hoc fere post (*i*) quinquennium, ex quo à Principatu erat dejectus, quod ipsi anno millesimo centesimo & trigesimo nono contigit. Igitur candidior nunc illi dies ibat, postquam Imperator utramque regionem sub Marchionatus Brandenburgensis appellatione illi concesserat, ac Archicamerariatus munus illi conjunxerat.

§. V.

Nemo adhuc certum annum potuit indicare, quo Adelbertus primum Marchio Brandenburgensis sit appellatus.

(*i*) Vide diploma in fine dissertationis hujus exhibitum *Lit. A.*

Fuerunt quidem rerum alias peritiſſimi, qui ex diplomate anno 1147. Francofurti ad Mœnum dato, eruere voluerunt, Adelbertum noſtrum prima vice illo anno Marchionem Brandenburgenſem dici. Et ſane id quam veriſſimum eſt, dici in hoc diplomate Adelbertum Marchionem Brandenburgenſem, qui vice Wincenburgenſis Comitis Keminadenſe Monaſterium, Corbejenſi Abbati Wiboldo tradidit, quod diploma Tollnerus aliique exhibuerunt.

Sed altius tanti momenti initia petenda videntur, maxime quod nonnulla reperiantur documenta, in quibus ipſe Imperator Conradus tertius, Adelbertum noſtrum Marchionem Brandenburgenſem appellat, quæ anno milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto Hirsfeldæ & Nordhuſæ data ſunt.

Igitur altioris indaginis quæſtionem putavi, ſi in primordia tam magni Principatus inquireretur. Incidi in diploma Friderici Archiepiſcopi Magdeburgenſis, in quo legitur, Adelbertum Marchionem ex emergentibus & magnis cauſis a Principibus Saxoniæ Patria ferme per quinquennium fuiſſe propulſum, qua de cauſa recurrendum mihi erat ad annum, quo ipſe ex antiqua Soltwidelenſi Marchia ejiciebatur.

Indicavit vera Annalium fides, id anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono contigiſſe, ex quo facile apparebat, reditum Adelberti Marchionis in annum milleſimum centeſimum quadrageſimum quartum incidere, in eundem annum, quo Conradus III. ipſum Marchionem Brandenburgenſem appellavit.

§. VI.

§. VI.

Nituntur hæc fide diplomatum (*k*) Conradi inter Germaniæ Reges Tertii, inter Romanos Imperatores vero Secundi. Primum quod ad manus est, Hirsfeldæ celebri olim in Hassia monasterio, Reinhardo Reinehusensis cœnobii Abbati datum est, quo omnia, quæ ejus monasterio data sunt, auctoritate imperiali confirmat, quod Illustris (*l*) noster Leibnitius exhibuit. Inter testes illius præcepti memorantur, Henricus Moguntinus Archiepiscopus, Bucco Wormatiensis Episcopus, Wigerus Brandenburgensis Episcopus, Wiboldus Stabulensis Abbas, Henricus Hersfeldensis Abbas, Conradus Helmwardeshusensis Abbas, ADELBERTUS MARCHIO de BRANDENBURG, Comes Herimannus de Winzenburg & Frater ejus Henricus, & Ludovicus Landgravius de Thuringia, qui præsentes adfuerunt.

Hæc quidem indicasse sufficeret, sed & (*m*) aliud adhuc Conradi III. Imperatoris superest documentum, quo ille Canonicis reditus & proventus auget Ecclesiæ Goslariensis, quam Proavus Henricus III. Imperator suis sumtibus fundavit ac construxit. Inter testes adhibentur Bucco Wormatiensis Episcopus,

(*k*) Vide Diploma *Lit. B.* in fine dissertationis hujus exhibitum. (*l*) In Tomo I. Rerum Brunsuicensium. (*m*) Vide Diploma sub *Lit. C.* in fine dissertationis hujus exhibitum.

pus, Wiboldus Stabulenſis Abbas, ADEL-BERTUS BRANDENBURG. Marchio, Hermannus Comes de Winzenburg, Conradus Sporiad Tibertus de Spielberg, Rabodus Dei miles, Henricus Marſchalcus, Arnoldus de Burchdorff, quorum nomina juſſu Imperatoris a Notario apponebantur. Hæc ſatis probare videntur, Marchionatum Brandenburgenſem tum temporis pace facta cum Henrico Leone fuiſſe erectum ac conditum.

§. VII.

Ajunt quidem Adelbertum jam A. milleſimo centeſimo quadrageſimo in alio diplomate Magdeburgènſi cœnobio B. Mariæ dato, Marchionem Brandenburgenſem dici. Sed annus non eſt appoſitus & tunc temporis Dux Saxoniæ appellatur. Et licet Adelbertus noſter Brandenburgenſis Marchio hoc in anno in Diplomate Springirsbacenſi monaſterio dato inter teſtes ADELBERTUS MARCHIO de SAXONIA appelletur; ſciendum tamen & hanc appellationem ad tempus aliquod non fuiſſe inuſitatam, quemadmodum & nonnulla diplomata occurrunt, in quibus Adelbertus noſter Marchio ſaltim nominatur, non facta mentione Marchionatus Brandenburgenſis, quod eo tempore ſæpe factum in recenſione Ducum, Palatinorum, Landgraviorum & Marchionum, non appo-

apposita appellatione Ducis Bavariæ, Palatini ad Rhenum, aut Badensis, Vohburgensis, Misnensis & Lusatiæ Marchionum, quod facile rerum periti tot testimonis inducti sunt concessuri. Imo reperitur (*n*) aliud diploma, in quo Hartvicus ex Stirpe Stadensium Comitum & Septentrionalium Marchionum, Anno millesimo centesimo quadragesimo quinto terram Jerichowam cum aliis castris Magdeburgensi Ecclesiæ contulit, cui firmando Heinricus Dux Saxoniæ, Heinricus Palatinus Comes de Rheno, Adelbertus Marchio aliique adhibebantur, evidenti rei indicio, Henricum Leonem anno millesimo centesimo quadragesimo quinto cum Adelberto pace facta jam fuisse concordem. Eodem anno Adelbertus (*o*) Villæ suæ Stendaliæ Jus fori concessit, in quo diplomate licet versio Germanica antiquissima quidem mihi modo visa, Adelbertus se DEI Gratia Marchionem Brandenburgensem appellat, cum tamen in literis (*p*) ipsius Conradi Imperatoris III. Monasterio Gratia DEI appellato a. 1146. datis, Marchio Adelbertus modo nominetur. Eodem modo Beatrix Quedlinburgensis Abbatissa anno 1146. Adelbertum (*q*) in literis fundationis Monasterii Michelsteinensis, Marchionem appellat, cum illum contra A. 1147. Francofurtense Diploma celeberrimum & notissimum ab Imperatore Conrado

(*n*) Apud Mushardum. (*o*) Codex Diplom. meus MStus. (*p*) Apud Rev. Dn. Leuckfeldium Antiq. Monaster. Gratia DEI. (*q*) Apud eundem in antiquitatibus Michelsteinensibus.

rado III. Adelbertum Marchionem de Brandenburg nobis exhibeat. Gandersheimense Diploma anno 1148. datum ipsum Marchionem designat, quo Ludgardis Gandersheimensis Abbatissa permutationem prædiorum Hermanni Comitis confirmat.

Mox Anno millesimo centesimo & quinquagesimo (r) Adelbertus se divina favente Clementia Marchionem Brandenburgensem appellat, certissimo indicio Marchionatus Brandenburgensis titulum illi jam ante sexennium competivisse, licet ipse Adelbertus in multis diplomatibus, quæ mihi servo, se tantum interdum Marchionem scripserit, ac in aliis rursus Brandenburgensem Marchionem se nominarit.

§. VIII.

Igitur Adelbertus Brandenburgensis Marchio, Marchiam Septentrionalem cum universa Wilzorum regione feliciter conjunxit, ac cum Ducatus jure, quod ad Henricum Aucupem & Imperatores Otttones spectaverat olim, a Conrado Imperatore obtinuit; cui accessit summa Archicameralis dignitas, quæ a Sueviæ Ducatu, in Marchionatum Brandenburgensem translata est, quam ipse Conradus, qui Sueviæ Dux fuerat, ipsi concessit, quod sine ipsius assensu fieri haud potuisset.

Appa-

(r) Diploma Codicis Diplomatici mei MSti.

Apparet deinde Adelbertus in nummis, quos cudi jussit, cum clave, evidenti rei indicio, ipsum inter Imperii Officiales Archicamerarium jam fuisse, ac in tam celso fastigio inter illos eminuisse.

Obiit Princeps eminentissimus anno millesimo centesimo & septuagesimo, testantibus multis antiquioribus rerum autoribus, licet fuerint, qui dicant, domesticam traditionem serenissimorum suorum posterorum obstare, quæ confirmet ipsum jam anno millesimo centesimo sexagesimo octavo obiisse. Sed haud firmo talo stat hæc traditio, cum (s) Diploma mihi ad manus sit, ex quo apparet, ipsum solenni Curiæ Bambergæ Anno 1169. habitæ interfuisse, ubi inter testes donationis factæ a Friderico imperatore primo nominatur, adjecta filiorum Ottonis & Hermanni mentione, qui Parentem illuc secuti, eandem traditionem testimonio suo firmarunt.

Hæc benevole, Vir Illustris, Tibi exponere volui, nullo alio argumento adductus, quam ut rem difficillimis scopulis subjectam planiorem redderem, ac vera rerum initia tam potentis Electoratus demonstrarem.

(s) Diploma a. 1169. Cod. mei MSti. diplomatici.

Lit. A. Diploma. I.

In nomine sancte & individue Trinitatis FRIDERICUS DEI Gratia sancte Magdeburgensis ecclesiæ Archiepiscopus. Noverit universitas fidelium, quod in villa Mose dicta ecclesia beatæ Marie ex antiqua traditione V. mansos possederat reliquam vero ejusdem ville partem *Marchio ALBERTUS* ab archiepiscopo Magdeburgensi itemque a Marchione Comes Otto in beneficium habuerunt. Interea novis quibusdam & magnis emergentibus caussis, *cum Marchio Albertus a Principibus Saxoniæ propulsus fuisset ferme per quinquennium a Patria*, comes Otto ob spem refrigerii sempiternam idem beneficium Conrado nunc temporis hujus Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopo eo tenore resignavit, ut ecclesiæ beate Mariæ condonaret.

Lit. B. Diploma. II.

Et ut hæc rata omni tempore permaneant, præsentis præcepti paginam sigilli nostri impressione communiri jussimus, testesque, qui affuerunt, subternotari fecimus, quorum nomina hæc sunt: Henricus Mogunt. Archiepiscopus, Bucco Wormatiensis Episcopus, *Wigerus Brandenburgensis Episcopus*, Wiboldus Stabulensis Abbas, Heinricus Hersfeldensis Abbas, Conradus Helmwardeshusensis Abbas, *Adelbertus Marchio de Brandeburg*,



VI.

JUSTUS CHRISTOPHORUS DITHMARUS, ortus in Hassia patre est usus Verbi Divini Ministro Primario. Præstantis Eruditionis fama insignis Anno MDCCXII. in Academia, quæ est Francofurti ad Viadrum, Professor Juris Nat. & Gent. nec non Historiarum Publ. Ord. fuit constitutus. An. MDCCXXVII. provincia ipsi data, ut studiosam Juventutem Privatæ atque Publicæ præsertim Oeconomiæ, Rerumque ad Politiam & ærarium Publicum spectantium notitia imbueret. Institutum REGIS FRIDERICI WILHELMI D. incomparabili salutis publicæ cura dignum. Spartam hanc non modo præclare sustinuit, sed eam quoque, ut ingenii monimenta testantur, exornavit. Excessit è vita A. MDCCXXXVII. cum annos vixisset sexaginta tres. Scripta confecit varia, quæ in pretio habentur, ex his, cum omnia non sint hujus loci, illa tantum quæ ad Historiam Prusso-Brandeburgicam spectant, indicamus. Sunt vero.

1.) Il-

1.) Illud, quod iterum jam damus impressum, de *Hugone Marchione*, prodiit inter *Exercitationes Francofurt.* Tom. I. Sect. II. num. 9. An. 1717. & in Auctoris *Sylloge Dissert. Academic. Part. II. num. III. pag. 413.*

2.) Initia Marchiæ Brandenburgensis a variis Erroribus vindicata, quæ *Pars hac II.* infra sub *num.* X. *pag.* 330. denuo sistit.

3.) Exercitatio de Pseudo-Marchione Brandenburgensi Waldemaro. 1722.


4.) Entwurff der Königlich Preußischen und Chur-Brandenburgischen Staats Wissenschafft. 8. 1734.

5.) Geschichte des Ritterlichen Johanniter-Orden. mit Kupf. 4. 1728.

6.) Chur-Märckische Adels-Historie oder Genealogische Beschreibung derer in der Chur-Marck Brandenburg blühenden ältesten Adel. Geschlechter. Erstes Stück. mit Kupf. Fol. 1737.

7.) Werneri Teschenmacheri Annalibus Juliæ Cliviæ &c. notas & observationes cum Codice Diplomatico adjecit. Fol. 1716.

8.) Breves Animadversiones in succinctam Deductionem Jurium successionis Domus Palatinæ Neoburgico-Solisbacensis in Ducatus Juliæ Cliviæ & Montium Fol. & 4to 1733.



VII.

JOANNES DAVIDES KOELERUS Regi Magnæ Britanniæ a Consiliis Aulicis, Juris Publici & Historiarum Professor. Publ. Ordin. in Academia Göttingensi floret. Vir omni eruditionis & doctrinæ genere ac scriptis illustris, cum olim in Academia Altdorffina Historiam publice profiteretur, publicavit Dissertationem hanc de *Pribezlao* sive *Henrico Rege Brandenburgico* An. MDCCXXIII. in laudatæ Academiæ Sacris Secularibus, ejusque sub Præsidio GEORG. LUDOV. WILHEL. FROBE-

FROBENIUS *Onoldinus*, pro consequendo Magisterii Honore illam defendit. Eodem Auctore eximium prodiit scriptum, olim & huic Collectioni ornamento futurum, quod insignitur: Sacra & Illustris Sodalitas B. Mariæ Virginis in monte ad Vetus Brandenburgum h. e. Die Gesellschafft unser lieben Frauen auf dem Berg bey Alt-Brandenburg. 4. 1723.



deburg, Comes Herimannus de Winzenburg, & frater ejus Henricus, Ludowicus Landgravius de Tyring.

Lit. C. Diploma. III.

Testesque qui affuerunt subternotari fecimus, quorum nomina sunt hæc; Bucco Wormatiensis Episcopus. Wiboldus Stabulensis Abbas. *Adelbertus Brandenburg. Marchio.*

Lit. D. Diploma. IV.

Ad hujus enim rei firmitudinem perpetuo manendam præsentem paginam impressione imperialis signi decoravimus. Hujus rei testes sunt *Christianus* Moguntinus Archiepiscopus. *Philippus* Coloniensis Archiepiscopus. *Wicmannus* Magdeburgensis Archiepiscopus. *Heroldus* Wirtzeburgensis Episcopus. *Heinricus* Dux Bavariæ & Saxoniæ. *Conradus* Palatinus Comes de Reno. Marchio *Adelbertus* de Saxonia.




SCRIPTORES RERUM MARCHIÆ BRANDENBURGENSIS.

PARS TERTIA.

Nihil historia debet continere nisi notum. CICERO *de Oratore.*

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
apud JO. JOACHIMUM FRIEDEL.
Typis HUBNERI.
M.DCC.XLIV.



XII.



ASPAR. SAGITTARIUS Patre usus est Pastore ad Ædem S. Johannis Luneburgi: Præfuit scholæ Salfeldensi, unde se contulit Jenam, ibidemque Professionem Historiæ Universalis nactus. Vitam cum morte commutavit Jenæ MDCXCIV. Catalogum Scriptorum, quibus inclaruit, lucemque Historiæ tam Civili, quam Ecclesiasticæ affudit, curæ & industriæ Cl. Viri JOH. ANDR. SCHMIDII debemus, ac legere licet in Auctoris Introduct. in Hist. Ecclesiast. Præclare commentatus est de rebus antiquis Archidiœceseos Magdeburgensis, nec non Episcopatus Halberstadensis,

ſis, ſed cum opera noſtra tantum circa Brandenburgica verſetur, hic inprimis locum occupat, Ipſius HISTORIA MARCHIÆ SOLTWEDELENSIS in qua potiſſimum ALBERTI VRSI Vita & Res geſtæ exponuntur, quæ jam dudum ſatis fuit deſiderata. Publicavit eam JENÆ MDCLXXXV. D. & Hiſtor. Prof. P. per morem diſputandi; Reſpondentis partes geſſit JOHANNES Hilgendorff Soltwedelio-Palæo-Marchicus, qui & eandem, Viris Illuſtr. THOMÆ de KNESEBEK, Conſiliario Intimo atque Aulæ Magiſtro ſupremo Brand. Toparchæ in Tylſen; nec non DITERICO HERMANNO a SCHULENBURG in Veteri Marchia Directori & Commiſſario Bellico, Toparchæ in Betzendorff, Apenburg, Rittleben, Rohrbeck & Probſtey Saltzwedel; ut & LEVINO FRIDERICO a BISMARCK in Veteri Marchia, Commiſſario Bellico, Toparchæ in Crebeſen, Brieſt & Dobelin; tandemque Dn. JOACHIMO Rademachern, JCto & Urbis Soltwedelenſis Conſuli dicatam hiſce verbis obtulit.

Cujus libet anni exordium ſtrenis olim apud Romanos fuiſſe illuſtratum, literarum monumentis conſignatum eſt. Romanos mores in eo jam pridem ſecuti ſunt Germani noſtri, ac Patronorum favores ſive conciliare, ſive retinere his ſtrenis laborarunt clientes. Idem apud Vos, VIRI MAXIMI;


MI, MÆCENATES ac PATRONI SVMMI facerem, modo quod offerrem, Vestro splendore non indignum suppeteret. Quod si tamen non vestram magnitudinem, sed religiosum parvitatis meæ obsequium suspexeritis, nullus dubito, quin literarium hoc, quod Vobis humiliter ac observanter dedico, munusculum aliquo loco sitis habituri, nec tam ipsam strenam, quam devotissimum dicantis pectus æstimaturi. Atque ut id faciatis, ac porro studiorum meorum cursum Vestro patrocinio promoveatis, majorem in modum rogo. Quod reliqum est, votorum meorum summam unico veterum dicto FELICITER! concludens, in eo omnigenam Vobis beatitudinem apprecor.

Ne vero aliquid scripti, quod à tanti nominis Auctore proficiscitur, nostra incuria intercidat; addimus disticha, quibus Respondenti JOH. HILGENDORF Præses gratulatus, fausta quævis ominatur.

Sic quoque dulcis amor Patriæ te suscitat, ortum
Illius ut mecum quærere sit volupe.

Nec

Nec remoras stupifaciunt, sed concitus ardor
Curarum crescit per graviora magis.
Et licet in disco Solis nondum omne repostum,
Atque bona nodus parte superstes erit.
Absque tamen fructu non hac industria abibit,
Posterior pandet pluraque forte dies.
Gratulor interea Patria de cive, paterna
Qui gesta egregie concelebrare studet.
Atque ipsi civi de toto pectore grator,
Ac porro in studiis fata benigna precor.



XII.



XII.

CASPARIS SAGITTARII
HISTORIA MARCHIÆ SOLTWEDELENSIS, IN QVA POTISSIMUM ALBERTI VRSI VITA ET RES GESTÆ EXPONUNTUR.

SUMMARIA.

§. I.

S*copus Dissertationis*. §. II. III. & IV. *Origo Marchiæ Soltwvedelensis male refertur à Brotufio & Enzelio ad Romanos*, §. V. VI. VII. *qui sub Druso Albim transire frustra conati, intra Visurgim & Albim trophæis constitutis, recesserunt*. §. VIII. IX. X. & XI. *Fabula quoque est,*

Soltvvedelium a Longobardis esse conditum, & a phano Solis accepisse nomen, §. XII. XIII. *nec non commentum, Civitatem Soltvvedel à Jul. Cæsare exstructam, & quarto Planetarum Soli esse dicatam,* §. XIV. *vel, ut alii tradunt, eam à Carolo M., destructa Solis statua, esse conditam.* §. XV. XVI. & XVII. *vero similius à salis fontibus nomen Soldvvedel derivatur.* §. XVIII. XIX. & *XX. examinatur significatio vocis VVedel.* §. XXI. XXII. *Marchia Soltvvedelensis quondam fuit dicta Pagus Seremode & Sermund, nec non Balsamorum regio* das Balsamer-Land. §. XXIII. XXIV. *non tamen à Carolo Magno, aut ullo alio Carolingicorum Regum & Imperatorum, sed ab Henrico Aucupe Imp. instituta videtur.* §. XXV. XXVI. & XXVII. *Distinctio inter Marcam & Marchiam conciliatur.* §. XXVIII. XXIX. & XXX. *in Marchiæ Brandenburgensis locum succedit Marchia Soltvvedelensis,* §. XXXI. XXXII. *sed utraque Marchia Slavis parere coacta usque ad tempora Henrici IV. Imp.* §. XXXIII. *circa quæ Sigfridus ex Comitibus Stadensibus renunciatus legitur Marchio Brandenburgensis,* §. XXXIV. & XXXV. *non vero Soldvvedelensis Marchiæ, sive Regionis Balsamorum, cujus Possessores sub Henrico IV. & V. Imp. fuerunt majores Vipertorum Misniæ & Lusatiæ Marchionum.* §. XXXVI. *Tandem in Marchionum Brandenburgensium manus pervenit Marchia Soltvvedelensis,*

quæ

qua deinceps §. XXXVII. XXXVIII. *ad Ottonem Comitem Ballenstedensem transiit.* §. XXXIX. XL. & XLI. *Quo jure & modo id factum, quicquid etiam VVolffgang. Justus, David Chytraus, Brotusius, Enzelius, Angelus aliique Anhaltina & Marchica historia scriptores referant, lubrico nititur fundamento.* §. XLII. *Otto hic Comes Ascbania an recte appelletur Dives?* §. XLIII. *Is Ecclesiam collegiatam in castro suo Ballenstet commutat in Monasterium Benedictini Ordinis, in quo cum uxore Eilica sepultus.* §. XLIV. *Ejus Liberi.* §. XLV. *Albertus unde Vrsi cognomen acceperit non liquet. Capitur ab Vldarico Bojemorum Duce.* §. XLVI. XLVII. *Graves lites oriuntur inter Conradum Misnia Marchionem & Albertum Vrsum.* §. XLVIII. XLIX. *qui Marchiam Lusaticam occupat, & quamvis istam Henrico VViperti filio reddere cogitur,* §. L. *brevi tamen post istam Marchiam recuperat.* §. LI. *Qua de Alberti itinere in Italiam narrantur suspecta & fide carent.* §. LII. *Conradus III. Imp. Ducatum Saxonia Henrico superbo Bojoaria Duci ademptum confert Alberto Marchioni.* §. LIII. LIV. *unde inter ipsum & Henricum magna oritur contentio.* §. LV. *Albertus in angustias ab Henrico redactus auxilia implorat Conradi Imp.* §. LVI. & LVII. *qui in Comitiis Quedlinburgicis Marchiam Brandenburgensem tradit Alberto, ut is dimittat saxoniam Henrico. De Urbibus ab Alberto*

conditis & amplificatis, quæ traduntur, sunt incerta. Filio Bernhardo Albertus Ursus arcem Plötzkensem resignasse videtur. §. LVIII. LIX. *Post Henrici Superbi obitum, Albertus Ducatum Saxoniæ recuperare, infelici successu, conatur.* §. LX. *Sed mox hæc sopitur concertatio.* §. LXI. *Albertus arbitri partes sustinet inter Henricum Leonem Saxoniæ Ducem & Hartwicum Ecclesiæ Bremensis Præpositum.* §. LXII. *Idem, terram sanctam ipsam non adiit, etsi inter Principes cruce signatos fuerit.* §. LXIII. *Principes Poloniæ cum Alberto Marchione affinitatem contrahunt.* §. LXIV. LXV. & LXVI. *Albertus nimis crescenti fortunæ Henrici Leonis iniquus, cum ipso de hereditate Hermanni Comitis Wincenburgensis amplissima, acriter contendit, eorum dissensionem Fridericus Imp. in Comitiis Mersburgensibus, (quo tempore Albertus solenni ritu, Marchio Brandenburgensis inauguratus fertur) sedare frustra laborat.* §. LXVII. LXVIII. *Sed Wurtzburgi tandem Henricum Leonem & Albertum discordantes pacificat, quæ pax inter hos cognatos Principes haud fuit diuturna.* §. LXIX. LXX. *Friderico Imperatori ex Italia reduci occurrit salutatum Albertus; Interest quoque Exequiis Conradi Misniæ Marchionis & obsidioni Brandenburgi.* §. LXXI. *Ipse cum uxore iter in Palæstinam votivum aggreditur.* §. LXXII. *Reversus Marchiam Brandenb. auget coloniis, & in locum Slavorum Hollandos, Selandos & Flandros sufficit.* §. LXXIII. *de Richardo de Saltwedele.* §. LXXIV. *Henricus Leo, Alberti auxiliis contra Slavos utitur.* §. LXXV. LXXVI. *Nova ingravescentes simultates inter Albertum & Henricum Leonem,* §. LXXVII. *quem inimicis conciliare Fridericus Imp. in Comitiis Bambergensibus annititur.* §. LXXVIII. *Alberti Ursi obitus & sepultura.* §. LXXIX. *Ejusdem uxores &* §. LXXX. LXXXI. LXXXII. & LXXXIII. *Liberi illorumque fata. Conclusio Historiæ Marchiæ Soltwedelensis.*

§. I.

§. I.

SOLTWEDELIUM, veteris (uti vocant) Marchiæ nobile oppidum, caput quondam fuit Marchiæ, ac sedes Marchionum primaria. In hujus SOLTWEDELENSIS Marchiæ antiquitates, ac Marchionum priscorum, potissimum autem incluti Principis, ALBERTI VRSI gesta præsenti dissertatione paulo diligentius inquiremus.

§. II.

Qui ad Romanos referunt Marchiæ hujus origines, a vero nimis abeunt, ac nescio an supra argumentum ex nomine Soltwedelii petitum aliis documentis fidem opinioni suæ queant facere.

§. III.

Quis primus hujus commenti auctor, ambigo. Id scio, ERNESTUM BROTUFIUM *in Genealogia Anhaltina*, itemque CHRISTOPHORUM ENZELIUM *in Chronico Marchico* germanice scripto, Magdeburgi an. CIƆIƆLXXIX. edito, ac nuper recuso, ei suum addere calculum. Hujus ENZELII memoria duplici nomine mihi perjucunda est: tum, quod patriam habuerit Salfeldium, non insvave mihi per aliquot annos hospitium; tum, quod e sacra cathedra docuerit Osterburgi, in qua civitate optimus pater meus lucem

adſpexit. Ita autem ejus habent verba latine reddita: *Regio hæc alias vocatur vetus Marchia, vel Marchia Soltwedelenſis.* Ac iterum: *Adhuc vocatur vetus Romana Marchia, vel Marchia Soltwedelenſis.*

§. IV.

Nec ſufficit BROTUFIO & ENZELIO, ex Soltwedelenſi Romanam fabricaſſe Marchiam; ſed ipſius Marchiæ conditorem faciunt Druſum, & primum Marchionem Clodium. *Conſtituebat* inquit ENZELIUS, *Principem Luctandum nempe primum Marchionem, nomine Clodium, nobilem Romanum, contra incurſionem Svevorum & Germanorum ſupra Albim, & Saxonum, qui ad ſuperiora loca ſe contulerant.* Et mox: *Sic igitur habet benevolus lector, quod primam in his terris marchiam ordinaverit Druſus, anno circiter ante natum Chriſtum duodecimo: eratque primus Marchio Romanus Princeps, dictus Clodius.* Nec aliter ANDREAS ANGELUS, civis & Eccleſiaſtes Struthiomontanus lib. I. *Chronici Marchiæ Brandenburgenſis:* Druſus *omnia ad Albim usque pervagatus eſt, in veteri Marchia multa caſtella erexit, Marchiam Soltwedelenſem condidit, eoque Marchionem deſtinavit, nomine Clodium, cui certum & egregium militem tradidit.*

§. V.

Jam novimus quidem ab Auguſto in Germaniam miſſum eſſe Druſum; qui primus domuiſſe fertur Vſipetas, inde ſubactis Friſiis in Chaucorum, ac Cheruſcorum fines ad Viſurgim usque proceſſiſſe. Sic enim habet DIO *lib.* LIV. ex latina verſione: *Druſus Germanis intentus, qui Rhenum transmiſerant, eos repulit, atque ipſe poſtea in Vſipetarum regionem juxta inſulam Batavorum, & deinde in Sicambrorum terram progreſſus, magnum agri partem vaſtavit. Inde ſecundo*

do Rheno in Oceanum devectus, Frisios subegit, ac per paludem in Chaucorum fines profectus in discrimen venit, navibus ob maris defluxum in sicco destitutis: tamen Frisiorum opera, qui pedestri militia se ei junxerant, superato discrimine inde digressus (jam enim hiems appetebat) Romam pervenit. Sequenti anno Q. Ælio Tuberone, Paulo Fabio Maximo Coss. initio veris rursum in bellum profectus, Rhenum trajecit, Vsipetas subjugavit, Lupiaq; fluminis ripis ponte junctis, in Sicambros erupit, perque eos in Cheruscorum regionem usque ad Visurgim processit: Visurgim etiam ipsum transiturus, ni eum inopia alimentorum ac hyemis propinquitas, praterea etiam examen apum in castris visum deterruisset.

§. VI.

Constat porro ex DIONE, victorem Drusum in tutelam locorum devictorum præsidia atque custodes ubique disposuisse ad Mosam fluvium, ad Albim, ac Visurgim: sed cum Albim transmittere non posset, inter Albim ac Visurgim trophæa fixisse. Sic enim iterum DIO initio *lib.* LV. *Drusus in Cheruscos iter convertit: transgressusque Visurgim, omnia populando ad Albim usque perrexit. Hunc cum frustra conatus esset transire, trophais constitutis recessit.* Vbi autem locorum illa Drusi trophæa fuerint statuta, plane non liquet: ceu fatetur PHILIPPUS CLUVERIUS *Germania antiqua lib. III. cap. XIX.* & nos quoque nuper fassi sumus *in Antiquitatibus Magdeburgicis §. XXIII.*

§. VII.

Quod si igitur Drusus Albim non transmisit, utique nec in terras illas, in quibus Soltwedelium fuit situm, pervenit, nec Marchiam ibidem condidit, ac multominus Clodionem quendam Marchionem constituit. Valeat ita-

itaque Marchia Soltwedelensis a Druso condita; valeat item Clodius Marchio, nullo genuinæ antiquitatis testimonio comprobati, nec unquam probandi.

§. VIII.

Quia tamen fabulosæ ejusmodi narratiunculæ aliquo fundamento videntur niti; nullus propemodum dubito, quin nomen Soltwedelii iisdem ansam dederit: quod dum a Solis vocabulo factum conjiciunt, in honorem Solis hoc castrum a Druso conditum putarunt. ENZELIUM denuo audiemus: *Ex Gardelegione Drusus perrexit in terram Zermundanam, inter Zeram & Jetzam, oppugnans vetus Soltwedelium, eoque occupato juxta construebat castrum firmissimum, & novum phanum Solis, quod nunc est hodierna vetus civitas Soltwedel, & arx, —— ac ibidem relinquebat forte præsidium Romanorum in extremis Romanorum finibus per has regiones.*

§. IX.

At cum ENZELIUS existimet, jam ante tempora Drusi Soltwedelium hoc habuisse nominis, opus erat hanc fabulam novo commento incrustare, nempe jam tribus ante natum Servatorem sæculis Soltwedelii fanum Solis a Longobardis fuisse erectum, & ab eo ipsi civitati nomen adhæsisse. Huc ergo spectant sequentia ENZELII: *Præcipue mane ac vesperi adorarunt Solem, inspectorem omnium rerum. Ideoque singulare phanum ac civitatem condidere annis ante nativitatem Christi trecentis atque octodecim, & hoc Soltwel nominarunt, tanquam domum Solis: nam wel veteribus Germanis denotat domum; domus quasi solis, Soltwel.* ENZELIUM eo nomine laudat, ac fere sequitur ANGELUS *Anno,* inquit, *ante natum Christum trecentesimo, octavo decimo, a condito autem mundo ter millesimo, sexcentesimo, tertio & quin-*

quinquagesimo, Longobardos ferunt, antiquum oppidum Soltwedelium in veteri Marchia primum cœpisse condere: uti Enzelius indicat. Nomen civitatis nonnulli derivant a Deastro SOLE, qui ibidem ab ethnicis incolis fuerit cultus, cui etiam phanum vel ædiculam illic construxerint, & Solwel vocarint, quasi domum Solis.

§. X.

Solem quidem, uti a plerisque aliis gentilibus, ita a Germanis nostris religiose fuisse cultum, nemini ignotum arbitror, ac pluribus illud confirmarunt PHILIPPUS CLUVERIUS *Germania antiqua lib. I. cap. XXVI.* & ELIAS SCHEDIUS *de Dis Germanis syngrammate I. cap. IV.* Nec multum discreparet nomen Soltwedelii. Licet enim Germani Solem, die Sonn, vel dialecto Saxonica, Sunn & Sünn appellent; potuissent tamen Logobardi Svecica vel Danica dialecto, *Sole, Sool*, & *Soel* pronunciare; cum præsertim Longobardi Gothicæ fuerint prosapiæ. Svecos autem & Danos, ita, ut diximus, efferre Solem, testis est CLUVERIUS *d. l. Hoc sidus*, inquit, *Germani nunc fere omnes appellant SON. Angli quidem in Britannia scribunt SUN, prope tamen eodem proferunt sono, quo ceteri Germani suum* Sonn. *Ex septemtrionalibus Svedi idem sidus vocant SOLE; & Dani SOOL, sive SOEL, pari cum Svedis sono, quasi per u.*

§. XI.

Sed fac Longobardicam fuisse dialectum *Sool*, vel *Soel;* an inde sequetur statim, vel Soltwedelium a Longobardis esse conditum, vel a Sole id accepisse nominis?

§. XII.

Quamobrem alii C. Julium Cæsarem ferunt, septem per Saxoniam castella, septenario planetarum numero

dicata, & in his Soltwedelium in honorem Solis condidisse. Idipſum olim affirmavit Chronicon vetus Saxonicum a JOHANNE POMARIO *in Chronico Magdeburgenſi* aliisqve hoc nomine laudatum. Huc quoqve ſpectant ſequentia SCHEDII *de Dis Germanis ſyngrammate IV. cap. I.* Fabulantur *D. Jul. Cæſarem ponte ad Coloniam Ubiorum trans Rhenum facto exercitum traduxiſſe, totamqne Germaniam debellaſſe, victoria obtenta in perpetuam rei egregie navata memoriam ſeptem urbes in honorem ſeptem planetarum extruxiſſe. Primam fuiſſe fuerunt in Saturni honorem erectam, & vocatam* Saterburgh, *alteram* Hamburgh, *in Jovis Hamonis, tertiam* Marsburgh *Martis, quartam in Solis* Solwedel, *quintam in Veneris honorem, dictam* Magdeburgh, *ſextam Mercurio dicatam* Heresburgh, *ſeptimam Lunæ* Lüneburgh. Ac iterum cap. V. *Cæterum civitatem* Soldtwedel *in Marchia veteri, quarto Planetarum Soli erectam fuiſſe fingunt, & a D. Julio templum illud Soli ſcilicet dicatum. Forma idoli fuit hominis, qui ante pectus ambabus manibus flammantem rotam tenebat. Non inconveniens autem ipſis videtur idolum hoc Soli erectum fuiſſe: a* Wedell *enim nobis caudam ſignificante, qualis leonum eſt, dicunt Solem ita dictum a radiorum flammis, in pectore circumfuſis.*

§. XIII.

Cave tamen credas, probaſſe SCHEDIUM vulgatam de ſeptem caſtellis Cæſareis commentatiunculam. Nam e contrario in illam graviter invehitur, & falſe admodum perſtringit. *Nugæ* (ipſa SCHEDII verba repeto) *ſunt hæ, nugaciores nugis quibusvis anilibus, ad focum ab otioſis fœminis excogitata. Qvis enim tam perverſæ mentis eſt, ut credat, fidemqve eorum gerris adbibeat, nullo authorum dignorum fulcimine nixis? Helleboro opus erat, ut tam ἄσοφον, ne dicam Hiſtoricorum, cerebellum, purgaretur, qui viris melioris*

nota

nata otium sibi largientibus, inutilibus & malesferiatis scriptis illudere tentant, tricas suas somnio praeceptas scriptis illinentes. Sed diu ante SCHEDIUM hoc commentum explosit ALBERTUS KRANZIUS, ex cujus *Saxoniæ lib. I. cap. XXV.* nonnulla adscribemus: *Libet hoc loco exagitare eorum inscitiam, qui Julium Cæsarem ajunt in Germania septem opportunis locis arces de nomine septem planetarum fundasse: quam velut sacram historiam stulti adorant.*

§. XIV.

Ceterum gemino loco habenda est opinio, de Solis fano per Carolum M. Soltwedelii disjecto, ac condita nova civitate Soltwedelensi. Id tamen credidisse Soltwedelenses, testis est MICHAEL ANTONIUS BAUDRANDIUS in Supplementis *Lexici Geographici* PHILIPPI FERRARII. *Narrant*, inquit, *incolæ, conditum fuisse oppidum a Carolo Magno, destructa Solis statua, quæ Numinis instar colebatur.* Hujus quoqve opinionis meminit MARTINUS ZEILERUS *Itinerarii Germaniæ cap. XXX.* Carolus M. *hanc civitatem renovasse, & imaginem Solis, cui divini honores exhibiti, disjecisse fertur.*

§. XV.

At enim si a Sole nomen non habuerit Soltwedelium, unde illud deducendum censeamus, aliquis quæsiverit. Quod si igitur nostram hic fateremur ignorantiam, nemo id jure nobis vertere posset vitio: cum tot sint germanicarum urbium nomina, quorum veros natales nesciamus. Neque tamen a vero multum putarem aberrare, qui a Salis fontibus derivant, si præsertim (quod nonnulli affirmant) constaret certo, salinas olim ibi locum habuisse. In hanc sententiam *Syngrammate IV. cap. V.* hæc scripsit ELIAS SCHEDIUS. *Doctores opinantur, dicendum esse* Solt-

well, hoc est, Salis domum. To Will (*forte* Well) *enim &* Wedel *etiam prisco Germanorum idiomate domum notat, & eam quidem, quæ ex limo constat. Unde & exstructores ædificiorum, & qui parietes calce inficiunt,* Weller *dicuntur, hoc est incrustatores. Quibusdam tamen* Soltquell *legitur a Salinis. quod fontes hic Salis uberrimi fuerint; cui sententiæ & nos acquiescimus, donec quis notiora, & veritati proximiora adducat. Nam ab omnibus refertur, salinas olim hic plurimas fuisse: quæ uberrimo fonte colonos opulentissimos reddiderunt.*

§. XVI.

Mallem doctissimus Juvenis aliquos laudasset, qui *salinas Soltwedelii olim plurimas fuisse* asseruerint: nobis sane vix unus atqve alter sese obtulit. Quid? quod ENZELIUS impugnans hanc sententiam, in hæc erumpit: *De voce Salisquella, unde nonnulli derivationem suam petunt, nihil habeo dicere. Si autem omnia loca Salisquella, vel Salzwedel deberent vocari, ubi salis fontes, plures forent Salzwel.* Quæ repetit ANGELUS *in Chronico Brandenburgensi.*

§. XVII.

Neque tamen satis validum est Enzelianum argumentum: cum ex eo, quod quis Soltwedelium a salis fontibus nomen sumsisse, diceret, non sit, nec debeat esse consequens, omnia loca, ubi sunt salis scaturigines, *Soltwedel*, aut *Soltquellas* appellanda. Suffecerit ad hoc etymon quadamtenus defendendum, indicasse, quod complura Germaniæ oppida, in quibus sal coquitur, ab ipso sale nomen suum acceperint: id quod in dissertatione nostra *de Sulcia Luneburgensi* longe exemplorum indice probavimus. Huc accedere videtur pervulgata inter Germanos nostros opinio, quæ adeo invaluit, ut Misnensibus aliisqve

liisqve superioris Germaniæ incolis Soltwedel plerumqve audiat Saltzwedel; cum si a Sole nomen putassent traxisse, forte Sonnenwedel vel Sonnwedel extulissent. At priusquam pergamus, MARTINI ZEILERI detegenda est hallucinatio, inter *Soltquellam* & *Soltwedelium* distingventis *Itinerarii Germaniæ cap. XXX*. Enimvero unam & eandem esse civitatem, in propatulo est: sic tamen ut nominis prioris usus in vulgus non sit receptus, sed fere semper efferatur Soltwedel.

§. XVIII.

Ultima illa vocula Wedel quid in hujus oppidi nomine significet, certo nondum arbitror constare. Si tamen extra controversiam esset positum, antiqnos Germanos ita nuncupasse *domum*, vero esset persimile, Soltwedelium denotare *domum salis*: uti doctiores apud SCHEDIUM audivimus opinari. Ad hanc significationem facit, quod laudato loco attulit ENZELIUS: Well *significat veteri Germanorum dialecto domum, unde Soltwel, qvasi domus Solis. Hinc dicimus* Welsandt, *hoc est, arenam in domo, vel arenam domesticam, qua pavimentum domus stringimus, vel etiam fabri ferrarii utuntur domi suæ. Ita dicere solemus* Wellerwand, *hoc est, parietem domus, quæ domum cingit; sicuti in Borda & Thuringia videre est.* Consentire videtur ZEILERUS, cui Wedel est habitaculum, eine Wohnung, sic tamen ut a Wallen derivet. *Nam sic ab uno loco in alium peregrinamur* (hæc verba sunt ZEILERI latine versa) *hoc vocatur* Wallen, *ac inde descendit verbum* Wedeln. *Quando igitur veteres in loco quodam consedere, nonnunquam vocem* Wellen, *vel* Wedel, *apposuerunt.*

§. XIX.

Quod si autem hæc ita se habent, miror non imme-

rito, curtam paucæ Germanicæ urbes in Weel, vel Wedel desinant. Mihi sane supra castrum in Westphalia *Langwedel*, cujus KRANTZIUS *Metropol. lib. VIII. cap. XX.* meminit, & vicum Wedel in ripa Albis fluvii versus Oceanum, haud procul Hamburgo, ubi Johannes Ristius, celebris Poeta Germanicus diu Ecclesiasten egit, non alius innotuit locus ita finiens. Et hic quoque a veteribus non dictus est Wedel, sed *Welanao.* Sic enim habetur in vita Anscharii, primi Hamburgensis Archiepiscopi cap. XII. *Cui etiam Dominus Imperator locum unum ultra Albiam, qui vocatur* Welanao *dederat.* An vero vox Weel, sive Wedel, ex Weiler sit corruptum (in quam suspicionem aliquis venire possit) non facile dixerim. Non incelebres alioquin sunt civitates & castra in Weiler finientia: ut pote Anweiler, Badenweiler, Bischweiler, Buschweiler, Rappoldsweiler, Reichenweiler, Salmonsweil, Utenweiler.

§. XX.

Ex SCHEDIO paulo ante audivimus, vocem Wedel etiam *caudam* significare. Id an se ita habeat, dubitaverim. Flabellum quidem ita solemus nuncupare, & quandoque composita voce, einen Fliegenwedel, a ventilando scilicet. Et hoc quantumvis conveniat brutorum caudis, non puto tamen exindè voculam Wedel, caudæ esse synonymum.

§. XXI.

Tantum de fabulosis Marchiæ urbisque Soltwedelensis originibus, quæ ansam nobis dederunt de nomine Soltwedelii quædam commentari. Nunc propius accedamus ad Marchiæ illius incunabula. Prius tamen est monendum, tractum illum terræ, in quo situm Soltwedelium, quondam dictum esse pagum *Seremode* & *Sermund.* De eo

nos

nos docuit Vir Clarissimus, HENRICUS MEIBOMIUS, cujus ex eleganti libello de *Pagis Saxoniæ* nonnulla adscribemus: *Pagus Sermundius complectitur totum illum tractum, quem vulgo Marchiam Soltwedeliensem, sive Veterem appellant.* Et paulo ante: *Nomen huic pago obvenit a fluvio Zere, a viculo hujus nominis, quem præterfluit, ita nuncupatus, prius nomen*, die Hammen, *amittens, unde pagus hic quibusdam Zeremunde.* Confer ENZELIUM *in Chronico Veteris Marchiæ pag. X.* Affert autem MEIBOMIUS Excerpta duorum diplomatum Ottonis Magni, quæ & ipsa subjiciemus. Et primo quidem Otto meminit Pagi SERMUND, *quem filio suo Luidolfo in proprietatem donarit: Luidolfus vero, Conradi Ducis & Marchionis Geronis interventu, tres marcas ejusdem regionis, cum omnibus suis appenditiis, supra nominato Marchioni suo jure perenni in proprietatem manu sua donarit, in pago* SERMUND; *in comitatu Theotmari, civitatis Osterburgensis.* Diploma datum est V. Kl. Augusti, anno Domini Incarnationis DCCCCLII. Indict. VIII. Deinde Otto Imp. *ob inter-* 952.
ventum Ottonis Ducis, nepotis suo, concessit cuidam Liwoni nepoti suo, villam Biendorp, in pago SEREMODE, *in comitatu Thitmanni sitam, in proprium.* Actum Dornburg IV. Non. Novembris anno DCCCCLXX. 970.

§. XXII.

Quia voro *Zera* fluvius alio nomine dicebatur *Balsamus*, hinc & pagus Sermundanus vocabatur *Balsamorum regio*, das Balsamer-Land. Meminit hujus regionis aliquoties AUCTOR libelli *de fundatione cœnobii Bigaugiensis:* cujus verba inferius adducemus. Sic HELMOLDUS *Chronici Slavorum lib. I. cap. LXXXVIII.* meminit *terra, qua dicitur Balsemerlande.* Vide ibi in Notis HENR. BANGERTUM. In literis Gardolfi Episcopi Halberstadensis ad annum

CIↃCXCVI.

CIϽCXCVI. mentio fit Romani *Archidiaconi Balsamiæ.* Perperam igitur ERNESTUS BROTUFIUS aliique eundem secuti existimarunt, Balsamorum terram esse Holsatiam.

§. XXIII.

Quod ad ipsam Marchiam Soltwedelensem attinet, extra controversiam positum autumo, neque ante Carolum Magnum, neque ab illo, aut ullo alio Corolingicorum Regum Imperatorumve eam esse conditam. Enim vero ad ista si referre vellemus tempora, unicum saltem in hanc rem proferendum foret probatæ fidei testimonium. Sed ejuscemodi neque hactenus allatum, nec inposterum, credo, afferetur.

§. XXIV.

Henricum Aucupem diceremus conditorem, modo non plerique omnes in eo consentirent, Brandeburgensem Marchiam ab ipso fuisse constitutam: id quod nuper in compendiaria *Marchionum Brandenburgicorum Historia* comprobavimus. Quia tamen in una provincia plures quandoqve marchiæ locum babuerunt, tam Brandenburgicæ, quam Soldwedelensis, auctor esse potuisset Henricus. Fidem dictis conciliamus sequentibus HELMOLDI lib. I. cap. LXVII. *Vocantur usitato more Marcomanni gentes undecunque collectæ, quæ marcam incolunt. Sunt autem in terra Slavorum marcæ quam plures:* quæ exscribit HERMANNUS LERBECIUS *in Chronico Comitum Schawenburgensium.*

§. XXV.

Quid si autem inter *Marcam* & *Marchiam* distinxeris? quandoquidem plures fuerunt marcæ, de quibus tamen affirmare tuto non licet, singulares iisdem præfectos Marchio-

chiones. Sic ex diplomate Ottonis paulo ante intelleximus, Ludolphum ejus filium pagi Zermundani tres marcas Geroni Marchioni contulisse: ut adeo pagus ille plures habuerit marcas. Porro diplomata fundationis & donationis monasterii Gandersheimensis mentionem faciunt marcarum aliquot, *Hericbusana*, *Gandesbemia*, *Rindenia*, *Loderingia*, *Laacbianderpia*, *Dungdia*, *Berabia & Alunagia*: quas verosimile est, fuisse omnes monasterio finitimas, *Rindenia* excepta, quæ fuit in diœcesi Coloniensi. CHRONICON LAURISHAMENSE inculcat Marchas *de Basinsheim* & *de BirStat*, item *Rocbersheimer-marcham*: CHRONICON PEGAVIENSE & Additiones ad LAMBERTUM SCHAFNABURGENSEM *Marchiam Dudersladiensem*: Privilegia Bremensia *Marcham Romersletensem*: quæ certæ regiones limitaneæ censeri dicique minime possunt. Quamobrem MEIBOMIO in Notis ad *Lerbecii Chronicon*, *persvasissimum est*, *Marcam esse pagi alicujus partem*, *sive territorium non ita magnum*.

§. XXVI.

Rectius, me judice, dixeris, *Marca & Marchia*, vocabulum esse πολύσημον, & quandoqve vicum vel villam, nonnunquam pagi alicujus, aut provinciæ partem; non raro terminum, seu limitem alicujus regionis; sæpius Marchionis territorium designare.

§. XXVII.

Hæc singula facile exemplorum variorum congerie liceret confirmare; modo non hanc industriam alii reservare vellemus operæ. Interea, quia in præsenti de Marchia Soltwedelensi agitur, non aliam quam extremam nos significationem spectare, præmonemus. Apud priscos quidem, quos habemus, scriptores nescio an diserta

Marchia Soltwedelensis exstet memoria; quia tamen HELMOLDUS, ALBERTUS STADENSIS, & nonnulli alii *Marchiones Soltwedelenses* nominant, ex eo recte ad Soltwedelense territorium iisdem subjectum perrexeris.

§. XXVIII.

Vt ad propositum, unde paululum digressus sum, revertar, vero esse dixi consentaneum, Henricum Aucupem tam Brandenburgensis, quam Soltwedelensis marchiæ fuisse conditorem. Quod si tamen id minus alicui videbitur probabile, agedum aliam comminiscamur originem: nimirum in Brandenburgensis marchiæ locum Soltwedelensem nostram successisse, eandemque Marchionum sedem aliquamdiu permansisse, donec procedente tempore Marchiones Brandenburgum repetentes Soltwedelium deseruerint, eoque Soltwedelensis Marchia exspiraverit.

§. XXIX.

Nimirum ex quo Henricus ille I. fortissimus ac felicissimus Rex Germaniæ, expugnato Brandenburgo, custodem limitis adversus Henetos Slavos ibidem constituit; (hoc factum volunt circa annum seculi decimi quintum & vigesimum) Marchiones Brandenburgum tenuere adextrema usque tempora Ottonis II. Imperatoris, quibus Ditericus Marchio a Mistevojo Principe Heneto marchia illa exutus est. Ex Chronicorum DITMARI MERSBURGENSIS Præsulis *lib. III.* nonnulla hoc argumentum illustrantia afferam: *Transactis trium spatiis dierum, Slavorum conspirata manus Brandenburgensem Episcopatum triginta annos ante Magdeburgensem constitutum cum jam primus fuisset, invasit, fugiente prius tertio Antistite ejusdem Volcmaro, defensore ejus*

cum (is erat Marchio) *Thiedrico ac militibus ipsa die vix evadentibus. Clerus ibidem capitur, & Dodilo ejusdem sedis antistes, qui a suis strangulatus, tres annos jacuit sepultus, tunc vero e tumulo eruitur, & integro adhuc ejus corpore ac sacerdotali apparatu, ab avaris canibus predatur, & iterum temere reponitur: omnis Ecclesiæ thesaurus distrahitur, & sanguis multorum miserabiliter effunditur.* Et tunc quidem Sclavorum furor usque ad Tongeram fluvium, qui Tangermundæ nomen dedit, pervagatus, urbes ac villas marchicas incendit. DITMARUS iterum: *Desolatis tunc omnibus præda & incendio urbibus ac villis, usque ad aquam, quæ Tangera vocatur, convenerunt e Slavis peditum ac equitum plusquam triginta legiones, quæ sine aliqua lesione, residua quæque suorum auxilio Deorum tunc devastare non dubitarunt, tubicinibus præcedentibus.*

§. XXXI.

Commissa autem fuit a Slavis Brandenburgensis urbis & arcis cura Kizæ militi a Diterico Marchione læso; sed quod is ad saniora flexus urbem Ottoni III. vellet reddere, Slavi de eo certiores facti eam strenue defensarunt. Opera tamen Eccardi I. Marchionis Misniæ aliorumque procerum, quos ipse Otto mox secutus, Brandenburgum Slavis ereptum fuit. Juvat audire DITMARUM: *Quia superius destructionem Brandenburgensis ecclesiæ dixi, nunc qualiter ad tempus præfata subderetur Regi, brevi explicabo. Fuit in nostra vicinitate quidam miles inclytus Kiza nomine, qui a Marchione Thiedrico, aliter quam sibi placeret, habitus est. Ob hoc, & quia facultas sua nequaquam impietati suppeteret, ad hostes perrexit nostras, qui in omnibus sibi nimis fidelem cognoscentes, supra memoratam urbem nobis satius ad nocendum, eidem commiserunt. Hic postea nostris delinitus blanditiis, eam regiæ potestati cum semetipso tradidit. Unde Liutici nimio furore*

rore succensi, vim cum omnibus, quas habebant catervis, illuc petebant. Interea Rex in Magdeburg fuit, & cum hoc comperiret, quos ibi tunc habebat, celeriter eo misit Ekkihardum Marchionem & tres avunculos meos, Heinricum, Udonem, Sigfridum, cum Friderico Comite Palatino & patruo meo. Et hi omnes eo cum suis venientes, interrupti sunt ab hostibus, se acriter irrumpentibus, & una pars ex nostris in urbem venit, alia vero quæ remansit, cæsis militibus nonnullis rediit. Tunc Rex collectis undique sociis, illo properat, & hostes nostri magnam vim defensori urbis inferentes, cum ultimam legionem vidissent, cito amoti fugerunt castra. Nostri autem in ereptione interius gaudentes, Kyrie eleison cantant, & advenientes unanimiter respondent. Munita urbe præsidiis Rex abiit, & eandem in sua potestate diu tenuit.

§. XXXI.

An tum Diterico reddita fuerit Marchia Brandenburgensis, non habeo dicere. Id scio, per Slavos, quorum Principem appellaverat *Canem*, ac neptis Bernhardi Saxoniæ Ducis matrimonio indignum censuerat, a pristino honore depulsum, omnique dignitate privatum inter Magdeburgenses Canonicos ingloria morte obiisse. Primus id narrat ADAMUS BREMENSIS lib. II. c. XXXI. *Eo tempore Dux Slavia petiit filio suo neptem Ducis Bernardi dari in Conjugium, quod & Dux consensit. Tunc Princeps Winulorum misit filium suum cum Duce in Italiam, cum mille equitibus, qui fere omnes ibi sunt interfecti. Post hæc cum filius ducis Slavis pollicitam sibi expeteret uxorem, Thiadericus Marchio intercepit consilium, proclamans consanguineam Ducis non esse dandam cani. Iste Thiadericus Slavorum erat Marchio, cujus ignavia coegit eos fieri desertores. Qui postmodum ab honore suo depulsus, & ab omni hereditate sua, apud Magdeburg præbenda-*

rint, vitam, ut dignus erat, mala morte finivit. Disertius hæc & locupletius enarrat HELMOLDUS *Chronici Slavorum lib.* I. *cap.* XVI. quem sequuntur recentiores, quos in Historia *Marchionum Brandenburgensium* laudavi. Qvia autem clades illa Slavica, extremis temporibus Libentii Bremensis Archiepiscopi contigit, ac is anno CIƆXIII. vita excessit; vel ad hunc, vel ad annum præcedentem hæc gesta retuleris. 1013.

§. XXXII.

Sic igitur Slavis non modo marchia Brandenburgensis, sed & finitimæ terræ atque ipsum adeo, quocunque fuerit statu, Soltwedelium, paruerunt ad usque Henrici IV. tempora: ac tum Sigfridum, ex Comitibus Stadensibus Henrici Boni filium, Marchionem Brandenburgensem renunciatum censent. Scripsi nuper in *Historia Brandenburgensi*, de hoc Sigfrido agere Adamum Bremensem: sed vereor, ut is idem sit cum nostro, quem ante tristia Diterici Marchionis fata laudat ADAMUS. Ac doleo non immerito, tam intricatam hic esse historiarum seriem, quam recentiorum multi pro libitu refingunt atque interpolant. Interea non parum est probabile, Henrici IV. temporibus Marchicas terras aliquam sensisse requiem: quod vel ex eo colligimus, quoniam ADAMUS BREMENSIS *lib.* IV. *cap.* XLV. Tanquardum nobis sistit Brandenburgensem Episcopum, virum sapientem, & Adelberti Bremensis Archiepiscopi frequentiorem comitem.

§. XXXIII.

Hoc tempore Marchiam Brandenburgensem in manibus Principum ex familia Stadensi oriundorum (ex hoc Sigfridum jamjam laudavimus) fuisse asserunt: cui &

sententiæ nostrum non ita pridem adjecimus calculum; licet non ignorem, restare quosdam scrupulos nescio an unquam a doctioribus plane eximendos. Ex Auctore Compilationis Chronologicæ, quem cum Excerptis Gervasii Tilberensis edidit B. MADERUS, observavi, anno CIↃCIV. *Brandenburgum urbem Slavorum captam esse a Marchione Vdone.* Quamdiu tamen vel Vdo ille, vel ejus successores Brandenburgum retinuerint, nondum ausim definire.

§. XXXIV.

Interea Balsamorum regio, quæ ipsa erat terra Soltwedelensis, tum nondum erat in ditione Marchionum Stadensium: sed ejusdem possessores fuerunt majores Vipertorum, Misniæ & Lusatiæ Marchionum, Henrici IV. & V. Imp. temporibus florentissimorum. Nimirum *Wolffus*, Herlibonis I. nepos, Cunonis pronepos, Balsamorum terram habuit, dubium an a majoribus, an per matrimonium, aut alio quovis modo acceptam, eandemque ad filium Vipertum I. transmisit. Sic enim habet AUCTOR libelli de fundatione Bigaugiæ, sive monasterii Pegaviensis, quem cum Chronico Montis-Sereni edidit B. Joachimus JOH. MADERUS: *Herlibo tres filios habuit, Emelricum, Fridelonem & Herlibonem; qui ex filia Regis de Vrwegbe* (lego, *Norwegbe*) *procreavit filios Zventibor & Wolffum. Wolffus Pomeranorum principatum adeptus, inde ad Regem Danorum confugit, a quo gratiose susceptus, ejusdem Regis filiam accepit uxorem. — Ex uxore sua inde tres genuit filios, scilicet Ottonem, Hermannum, Wicpertum: Balsamorum etiam regio dominio ejus cessit. — Otto in Graciam declinavit: Hermannus in Rusciam, Wicpertus autem in Balsamorum regionem, qua ei paterna hereditate provenerat, secessit: prælia plurima gessit.*

XXXV.

XXXV.

Ex Sigena Goswini Comitis de Leige filia natus Vipertus II. Princeps summe bellicosus, qui maturius patre orbatus ad Vdonem Stadensem & Brandenburgensem Marchionem sese contulit. Hic illi, cum adolevisset, Tangermundam urbem in beneficium (zu lehn) dedit. Ex autem erant generosi animi dotes, quibus vicinorum gravem sibi conciliaret invidiam. Horum igitur suggestionibus Vdo impulsus pro Balsamorum regione ipsi Groizam, arcem veterem ad Elystrum fluvium (an der Elster) & pro Tangermunda alias villas & prædia tribuit. Denuo debemus hanc notitiam laudato Pegaviensi monacho, cujus narrationem huc pertinentem afferemus: *Quod cernens Dominus Goswinus Comes de Leige, filiam suam, nomine Sygenam in conjugem ei tradidit. Ex ea Wicpertus genuit filium Wicpertum longe præstantiorem paternis virtutibus. —— Hinricus Imperator filius Conradi regebat tunc imperium, sub quo respublica pace fruebatur: sub quo Princeps Vdo Marchiam Stadensem regebat. Wycbertus ergo patre orbatus hunc accedens ab eo donec adolesceret educatus est, simulque gladio militari ab eo accinctus, urbe Tangermunde ab eodem Vdone inbeneficiatur. Crevit consilio & audacia in tantum, ut formidabilis etiam nobis efficeretur. Itaque Vdo eum dimittens, municipium quod habuit juxta Elstram fluvium nomine Groysta, cum omnibus attinentiis eidem tradidit pro commutatione regionis Balsamorum. Pro Tangermunda vero ei alia beneficia ad Nortmachiam* (hæc vox, ni fallor, est corrupta) *ei restituit.*

§. XXXVI.

Quæ si se recte habent, (non video, cur de iis dubitemus) terra nostra Soltwedelensis hoc demum tempore in manus Marchionum Brandenburgensium venit. Quod

etiam

etiam Soltvvedelium in Marchionum prosapiæ Stadensis ditione manserit, ex eo item clarum, quod Rudolfus Marchio, Vdonis II. frater, Fridericum Stadensis Comitatus administratorem Soltvvedelii in vincula conjecerit, ab Henrico V. Imperatore postea liberatum. *Comes ergo Rudolfus* (hæc verba sunt ALBERTI STADENSIS:) *rem tamdiu possessam levi testimonio non exponens, cum in manu valida venisset, Fridericum captivatum abduxit, & SALTVVEDELE incarceravit, donec Imperator ne ignominiose frustra datum aurum haberet, eum a carcere absolvit, & multo tempore, quia reditus ad propria non patuit, secum retinuit.* Legit hæc Abbatis Stadensis ALBERTUS KRANTZIUS, atque ex iis collegit, non modo Soltvvedelium Rudolphi Marchionis hæreditatem, sed & Marchiones Soltvvedelenses & Stadenses ex eadem fuisse familia. Dignus est qui adscribatur integer locus KRANTZII, qui extat *Wandaliæ lib.* I. *cap.* XVII. Secundo *Vdoni frater erat Rudolphus, qui Soltwedel teneret. Inde conjectura est, unam fuisse familiam Marchionum, quorum alter teneret Brandenburgum cum appenditiis suis, alter comitatum regeret Stadensem cum Thietmarsia. Ipsa annalium verba ad fidem ponenda sunt.* Comes, *inquiunt*, Rodulphus, *nimirum primi Vdonis filius, secundi Vdonis frater*, rem diu possessam (*de Comitatu hoc dicit Stadensi*) levi testimonio non se permittens, qvum in manu valida venisset, Fridericum (*qui Stadium peteret*) abduxit, & Soltwedel incarceravit: donec Imperator (*is erat Henricus V.*) ne ignominiose frustra datum ab Friderico aurum haberet, eum carcere absolvit: & multo tempore, quia reditus ad propria non patuit, secum detinuit. *Et infra:* Qvum igitur Henricus Marchio (*is erat secundi Vdonis filius*) vacuum nomen principatus gestaret, & Fridericus tam Domini sui rebus, quam eis, quas variis modis conquisierat, afflueret: ex deliberato Comes Rudolphus (*is tenebat*

Soltwedel) & nepos suus Henricus Marchio juvenis, cum multa militia Stadium properant. Sed Fridericus audito eorum introitu, ex altera parte oppidi fugit. Principibus ergo Stadensibus quæcunque in Friderici possessione fuerant, vendicantibus, Luderus Dux Saxoniæ, postea Imperator, castrum Vorde ædificavit: & totius ducatus Saxoniæ vires ad Fridericum restituendum informat. *Hæc sunt annalium verba: quæ quod requirimus, produnt, eandem fuisse familiam Marchionum in Soltwedel & Stadio.*

§. XXXVII.

QVandoquidem igitur ostendimus, quo pacto Soltwedelium & tota Ballamorum provincia ad Marchiones Brandenburgenses Stadensis familiæ devenerint, nunc demonstrandum foret, quomodo Ballenstedensis familia his bonis fuerit aucta. Verum facilius erit rem ipsam, quam modum rei commonstrare. Scilicet OTTONEM, Comitem Ballenstedensem Soltwedelium accepisse novimus: quo jure id factum, qvin accurate possit explicari, non immerito dubitaverim.

§. XXXVIII.

Rem ita exponit KRANTZIUS *Wandaliæ lib. III. cap. XVII.* QVum *Henricus Marchio puer sine herede decederet, rediit Comitatus Stadensis in Rudolphum. Is filios reliquit Rudolphum alium, in Thietmarsia cæsum, & Hartwicum, majorem Bremæ præpositum, inde Archiepiscopum. Hac autem Marchionum stirpe in novissimo Rudolpho finiente — Soltwedel rediit ad Ottonem de Ballenstede & Anholt comitem, Alberti Marchionis, cognomento Ursi, patrem: qui ab Conrado assequutus de Brandenburgo principatum.* Ultima KRANTZII paulo mihi videntur obscuriora. Neqve enim ex iis satis puto clarum, an Otto, Alberti Ursi pater, an ipse Albertus a Conrado III.

Brandenburgensem principatum fuerit assecutus: quamvis sit probabilius, KRANTZIUM de Ottone agere. At enim si Otto vel anno CIↃCXVII. (uti Henricus Basse Ballenstedensis monachus, quem eo nomine laudat ERNESTUS BROTUFIUS in calce *lib. I. Genealogiæ Anhaltinæ*,) vel, ut alii volunt, anno CIↃCXXIII. decessit, illo autem tempore adhuc Henricus V. (hic anno CIↃCXXV. decessit,) in Germania regnavit, facile licet animadvertere, nullas Conrado Regi Lotharii successori in ornando Ottone partes fuisse.

§. XXXIX.

Quamobrem Wolffgangus Justus in *Genealogia Marchionum Brandenburgensium*, David Chytræus *in Saxonia*, & nonnulli alii scribunt, Henricum V. Ottoni Marchiam Brandenburgensem contulisse. Verum, an veterum dictis id firmari queat, *in Historia Marchionum Brandenburgensium* dubitavimus. Et hujus quidem dubitationis præcipuam habeo causam, quod Henricus ex Stadensibus Marchio Brandenburgensis anno demum CIↃCXXIX. obierit: sicuti mox in Alberti Ursi historia planum faciemus.

§. XL.

Quia tamen ALBERTUS STADENSIS testatur, Henricum Marchionem *vacuum nomen principatus gestasse*; fieri forte potuit, ut Otto partem Marchiæ Brandenburgicæ & potissimum Soltwedelensem agrum acceperit: unde postea ipsi, multo autem magis ejus filio Urso Marchionum Soltwedelensium nomen adhæserit. Et sane ex HIERONYMI HENNIGESII *Genealogicis* refert ANDREAS ANGELUS *lib. II. Chron. Marchici*, anno CIↃCVIII. Ottonem nostrum ab
1108. Henrico V. Marchionem Soltwedelensem fuisse renunciatum.

ciatum. Huic tamen malam retulisset gratiam, si (quod idem scriptor ex *Chronico Saxonico* repetit) Wendos Brandenburgicos Cæsari contra Principes Saxonicos suppetias laturos prope Côthenam profligasset anno CIↃCXII. 1112.

§. XLI.

Verum uti Soltwedelensia nostra cum ipsis Brandenburgensibus hujus ævi rebus non parum sunt obscura; ita in majoribus Ottonis non pauca deprehendimus incerta. Licet enim BROTUFIUS, ENZELIUS, ANGELUS, aliique Anhaltinæ & Marchicæ historicæ scriptores, tam patrem Esiconem, quam alios majorem in Soltwedelensium Marchionum referant catalogum; quam lubrico tamen hæc nitantur fundamento, ex ante-dictis arbitror constare.

§. XLII.

Cur itidem hunc Ottonem juniores appellent *Divitem*, nescio. Apud antiqviores de ejus opulentia non memini quidquam legere. Inter Misniæ Marchiones hoc sæculo celebratur Otto Dives, cui item Albertus erat filius. An forte utriusque confunditur historia? An dixeris, inde natum, quod uxorem duxerit Eilicam, Magni ex Billingano genere ultimi Saxoniæ Ducis filiam, cujus lauti patrimonii non modica parte procul dubio fuit auctus. De hoc matrimonio ita HELMOLDUS lib. I. cap. XXXV. *Mortuus est posthac Dux Magnus, & dedit Cæsar Ducatum Ludero Comiti, eo quod Magnus non haberet filium, sed filias. Quarum una, Eilike nupsit Ottoni, Comiti de Ballenstete, genuitque ei Adalbertum Marchionem, cognomento Ursum.* Confer ALBERTUM Stadensem *ad annum* CIↃCVI. KRANTZIUM *Saxoniæ lib. V. cap. XXV.* & *Metropol. lib. V. cap. V.* PAULUM LANGIUM *in Chronico Citizensi.* MONACHUS WEINGARTENSIS

de ipsis Principibus ab HENRICO CANISIO Tomo I. *Anonymus Weissinensis* editus hanc Eilicam vocat *Mingarda*, & filium ejus *Adalbertum Marchionem de Saxonia*. Neque tamen eum hac
111 uxore Magni Ducis filia Soltwedelensem indeptum censeo marchiam: secus ac putavit ERNESTUS BROTUFIUS *Genealogiæ Anhaltinæ lib. I. cap. XXIII.* qui multa alia de hac Soltwedelensi marchia, sive ex chartis proletariis affert: quæ, quod nulla antiquorum fide nitantur, ne recensu quidem, nedum refutatione digna censeo.

§. XLIII.

Hic *Otto Comes Ascharia, Ballenstet & Soltwedel Ecclesiam collegiatam in castro suo Ballenstet commutavit in monasterium nostri ordinis*, (Benedictini) *summo consentiente Pontifice Honorio, monachosque cum abbate ex cœnobio Bergensi assumptos imposuit, & magnis prædiis ac redditibus suffulcit. In quo quidem monasterio ab antiquo, uti in præsens cernitur, sepultura Comitum Ascharia, Ballensted & Anhalt fuit. Horum quippe pater & stirps prædictus Otto fuit.* Verba hæc sunt
1124. PAULI LANGII *ad annum* CIↃCXXIV. ex quibus inter cetera patet, Ottonem ultra annum sæculi duodecimi tertium & vigesimum (quem emortualem annum ponit HENNINGESIUS) vitam produxisse, ac multo magis peccare, qui jam anno CIↃCXXVII. obiisse putant. Eum in hoc monasterio Ballenstedensi in sacrario infra turrim una cum Eilica uxore sepultum, tradit BROTUFIUS. Mortua autem est Eilica anno CIↃCXL, uti refert ALBERTUS STADENSIS: sive etiam sequenti: ut habet CHRONICON MONTIS-SERENI.

§. XLIV.

Plures Ottoni tribuuntur liberi. BROTUFIUS, præter *Albertum Ursum* (de quo sigillatim dicemus) nominat

Hen-

Henricum, Comitem Ascaniæ & Wolpensem. Hi alii, quos *in Sylloge Genealogico-Historica* sequitur SPENERUS, adduntur *Ottonem*, Episcopum Lebusiensem, itemque *Henricum* & *Wernerum*. Filias porro BROTUFIUS memorat *Eilicam*, Werneri Comiti Osterburgensi, *Agnetem*, Ecberto I. Saxoniæ Marchioni, *Annam*, Johanni Comiti Beichlingano nuptas. Miror autem omisisse *Adelheidem*, cujus prior maritus fuit Henricus, Comitis de Plötzke filius. Qui cum sine hærede moreretur, eam duxit vasallus ejus Wernerus de Velthem, qui ex illa suscepit Albertum de Osterburg: sicuti hoc diserte exponit ALBERTUS STADENSIS. Quæ dum considero, falsum, puto, BROTUFIUM in *Eilica* Werneri Osterburgensis conjuge, ac pro ea *Adelheidam* reponendam censeo.

§. XLV.

ALBERTVS unde *Vrsi* nomen acceperit, nondum apud antiquiores memini me legisse. HENRICI MEIBOMII *in Notis ad Auream Andronici Imp. bullam* non inelegans est conjectura, id factum ob insignia, quæ prætulerit, ursina. Sunt qui & *Pulchri* cognomen ei tribuunt: de quo itidem apud veteres nihil reperi. Strenuam hic Ludero ex Saxonum Duce Germaniæ Regi in variis bellis navavit operam: & primo quidem cum eodem Bojemiam ingressus ab Vdalrico Duce Bojemorum captus fuit. De quo ita OTTO EPISCOPUS FRISINGENSIS *de Gestis Friderici I. Imp. cap. XXI. Inter cæteros nobilissimus Marchio Saxoniæ Albertus captus fuerat.* DODECHINUS *Abbas* S. *Dysibodi* anno CIↃCXXVI. *Rex dum Ottonem, quem Ducem ordinaverat, hyemis tempore Boemiam introducere vellet, Vdalricus, qui terras illas occupaverat, ducatum sibi defendere parabat. Sed dum miles ferro viam per sylvam aperit, repente hostes supervenien-* 1126.

tes ipsum Ottonem aliosque multos viros interficiunt. Albertus marchio capitur. ALBERTUS STADENSIS ad eundem annum: *Rex Luderus Boemiam manu valida ingreditur, sed mox in ingressu a Duce illius gentis per insidias circumvenitur, & multitudo nobilium de comitatu ejus occiditur XI. Kalend. Martii cum aliis pluribus. Albertus etiam marchio cum aliis multis capitur.* KRANTZIUS *Saxon lib. VI. cap. II.* Inter *captos Albertus Marchio de Brandenburgo, cognomento Vrsus.*

§. XLVI.

1128. Anno CIↃCXXVIII. inter Albertum nostrum, & Conradum Misniæ Marchionem graves enatæ sunt lites ob Luderum, Sereni-Montis Præpositum II. ingratiis Conradi a monachis electum: qui quod de familia Alberti esset, ne Conrado vel suis foret gravis, timor erat. Sic enim habet CHRONICON MONTIS-SERENI: *Herminoldus, primus Sereni-Montis Abbas* (rescribendum puto, *Præpositus:* quod ex sequentibus clarum) *obiit II. Id Decemb. — Post hunc electus est Luderus a fratribus illius temporis, contra placitum quidem Conradi Marchionis, quoniam Præpositus idem familiæ Marchionis Alberti de Brandenburg consanguinitate jungebatur. Iamque gravis discordia inter præscriptos Principes inflammata erat, & suspectus videbatur Præpositus, ne forte Marchioni Conrado vel suis in aliquo fieret onerosus. Præposituram tamen obtinuit.*

§. XLVII.

Albertum *Marchionem Brandenburgensem* vocat hic scriptor, non, quod jam tum id nominis haberet; sed quod habiturus esset in posterum. Si enim adhuc vel unus, vel plures ex Stadensibus superarunt Marchiones Brandenburgici, Albertus Vrsus hac tempestate eam digni-

dignitatem non facile potuit obtinere. Hoc ipso tempore vita excessit Henricus Marchio Stadensis: cujus marchiam cum accepisset Vdo Comes de Franckeleben paulo post ab Alberti militibus occisus est. DODECHINUS ad annum CIↃCXXVIII. *Obiit Henricus Marchio de Staden: cujus marchia Vdo Franckenlauff præficitur.* Et ad annum CIↃCXXX. *Vdo Franckenlauff ab hominibus Adelberti comitis occiditur.* Auctor CHRONICI MONTIS-SERENI ad eundem annum: *Vdo Comes de Branckeleve ab hominibus Alberti Comitis occisus est.* CHRONICON BIGAUGIENSE ann. CIↃCXXIX. *Henricus de Staden Marchio obiit. Vdo Comes de Saxonia occiditur.* In annum CIↃCXXXI. hanc Vdonis cædem refert breve *Chronicon Stederburgense* a MEIBOMIO editum. Sed si Vdo Henrico successit, quid facies ALBERTO STADENSI ad annum CIↃCXXX. scribenti? *Principatum Heinrici Marchionis suscepit Conradus, filius avunculi ejus.* Ergone id factum demum ab occiso Vdone Franckelebiensi? Sed tum doceri mallem, quis ille fuerit Conradus. An forte frater Friderici, Sveviæ Dux, qui postea Ludero successit? de quo capienda puto sequentia Alberti ad annum CIↃCXXXIII. 1133.
Conradus eo usque propulsus est, ut se traderet in potestatem Luderi, qui etiam Lotharius, factusque est ex hoste amicissimus. Quid si vero hic alius esset Henricus, STADENSI diversus?

§. XLVIII.

Interea anno CIↃCXXIX. *albertus Marchio Hildegesburch quadam nocte cepit & incendit:* quæ verba sunt CHRONICI 1129.
MONTIS-SERENI: ac forte de Illenburgo Halberstadensis diœceseos castro sunt intelligenda.

§. XLIX.

Anno CIↃCXXIV. Vipertus Lusatiæ Marchio, Pega- 1124.
viensis monasterii fundator obierat, cui cum succedere de-

deberet filius Henricus, Albertus noster & Conradus Plôtzkensis (ut opinor) Marchio Marchiam Lusaticam invaserunt: quam Albertus ad annum CIↃCXXXI. tenuit: sed hoc ipso anno *Henricus Magdeburgensis praefectus* (Burggravius) *filius Wiperti Marchionis de Groitz, marchiam, quam patre suo defuncto Adelbertus a Rege acquisierat, jure legali recepit, anno post mortem patris sui octavo*: ut habet Auctor CHRONICI MONTIS-SERENI. Huc pertinent sequentia CHRONICI BIGAUGIENSIS: Ibi (Leodii) *Adelbertus Marchio de Saxonia deponitur, & Hinricus filius Wicberti pro eo Marchio in Lusitz constituitur, qui huc usque ab Adelberto exclusus fuerat violenter.*

§. L.

Quamvis autem Marchia Lusatica exciderit Albertus, brevi tamen post exstincto Conrado Plôtzkensi, hujus Marchiam impetravit. Sic enim legas in CHRONICO MONTIS-SERENI anno CIↃCXXXII. *Conradus Marchio de Plotzke in Italiam cum Rege pergens, sagitta transfigitur, cujus corpus in patriam delatum sepultum est Kakelinge cum parentibus suis.* Et anno sequenti: *Adelbertus Comes successit Conrado marchioni.*

§. LI.

Plerique recentiorum scribunt, Lotharium Regem
1133. anno CIↃCXXXIII. ad solennia coronationis Romanae expeditionem in Italiam parantem Albertum nostrum praemisisse, eundemque Senatui populoque Romano per honorificam epistolam commendasse. Sed non immerito suspecta mihi haec est narratio, ac nondum in antiquioribus scriptis certa de eo observavi vestigia. Vide tamen ANDREAM ANGELUM *Chronici Marchiae Brandenburgicae lib. II. pag. LXXX.*

§. LII.

§. LII.

Anno CIƆCXXXVII. in Lotharii Regis ac Imp. Romani anno superiore demortui locum a Proceribus Germaniæ electus succedit Conradus III. Sveviæ Dux sororis Henrici V. Imp. filius, excluso, qui enixe ad regiam dignitatem adspirabat, Henrico Bojoariæ & Saxoniæ Duce, Lotharii Imp. genero, quem *Superbum* solent appellare. Et Conradus quidem Henrico æmulo infensus, id agit, ut Ducatus Saxoniæ eidem ademtus Alberto nostro conferretur, iniquum esse dictitans, unum Principem duos habere Ducatus. Sic enim HELMOLDUS lib. I. cap. LIV. *Statim ut corpus defuncti Cæsaris perlatum est in Saxoniam, & Luttura tumulatum, ortæ sunt seditiones inter Henricum Regis generum & Adelbertum Marchionem, contendentium propter Ducatum Saxoniæ. Conradus autem Rex in solium regni levatus, Adalbertum in Ducatu firmare nisus est, injustum esse perhibens, quemquam Principem duos tenere Ducatus.* Iisdem verbis utitur ALBERTUS STADENSIS *ad annos* CIƆCXXXVII. *& sequentem.* KRANTZIUS *Saxoniæ lib. VI. cap. VIII. Albertum Marchionem hic Rex in Ducatu Saxoniæ confirmavit, quod iniqvum esse censeret, eundem in regno duobus insigniri Ducatibus, quod Henricus teneret Bavariam.* De re ipsa diximus *in Historia Bardewici cap. VI.* §. *VIII.* Confer GOBELINI *Cosmodromium ætate VI. cap. LIX.* ubi tamen Albertus noster perperam vocatur *Marchio de Brunswick.* Sed forte id est a librarii manu. 1137.

§. LIII.

Rebus igitur suis consulens Albertus, Henrico Luneburgum, Bremam, Bardewicum, ac insuper Nordalbingica adimit. Quo de HELMOLDUS d. l. *Bellabant ergo hi duo Principes, duarum sororum filii intestinis præliis, &*

commota est universa Saxonia. Et quidem Adalbertus præripiens castrum Luneburg cum civitatibus Bardewich, atque Brema, occidentali Saxonia potitus est. Sed & Nordalbingorum fines partibus eis appliciti sunt. HELMOLDUM exscribit LERBECIVS. AVCTOR Chronici Slavici: *Gverra ingens facta est inter Hinricum Lotharii generum, & Adelbertum Marchionem, filios duarum sororum, propter Ducatum Saxoniæ. Conradus tum Cæsar annuit Adelberto: ideo Adelbertus præripuit castrum Luneburg & Bardewick & Bremam, & Nordalbingorum partes, quæ sunt omnia occidentis Saxoniæ.* Strategema intercessisse in occupatione Luneburgi, ex ALBERTO STADENSI colligimus, qui *doli* in hac causa meminit. Confer KRANTZIUM *Saxoniæ lib. VI. cap. VII. & VIII.* itemque *Metropol. lib. VI. cap. XVI.*

§. LIV.

Quod autem Adolphus II. Holsatiæ Comes fidem Henrico datam nollet frangere, Comitatu suo exutus est, quem Henricus de Badewide (Lerbecius, & alii hunc perperam vocant *Henricum de Bardewick*) in feudum ab Alberto nostro accepit. HELMOLDUS: *Quamobrem Comes Adolphus provincia pulsus est, eo quod fidem Imperatrici Rikense & genero ejus temerare noluisset. Comitiam ejus, urbes & servitia Henricus de Badewide beneficio Adelberti assecutus est.* KRANTZIUS *Saxon. lib. VI. cap. 8.* Quum *Albertus apprehendisset inferioris Saxoniæ præsidia, exclusit facile Henricum. Tum Adolphus II. Holsatiæ Comes, quod adversaretur Alberto, fidem servans, quam præstitisset Lothario & genero ejus, ditione Holsatiæ concessit: dono Alberti Marchionis Henricus de Badewide Comes est illam assequutus.*

§. LV.

Neque tamen diu occupatis frui licuit Alberto.

Nam

Nam Henricus a socru adjutus, consobrinum Albertum tota iterum ditione exuit: ac tum Adolphus Holsatiæ Comes suam quoque provinciam recuperavit. HELMOLDUS lib. I. cap. 56. *Postquam Henricus gener Lotharii Regis, auxilio socrus Rikenzæ Imperatricis Ducatum obtinuit, & nepotem suum Adalbertum Saxonia deturbavit, Adolphus Comes rediit in cometiam suam.* ALBERTUS STADENSIS ao. CIↃCXXXIX. *Henricus Dux, gener Lotharii Regis, auxilio socrus suæ Rikence Imperatricis castrum Luneburg obsedit cum Rudolpho Comite & cepit, & Ducatum obtinuit, & nepotem suum Albertum Saxonia deturbavit.* Vide etiam CAROLUM SIGONIUM *de Regno Italiæ lib. XI. ad ann.* CIↃCXXXIX. & PETRUM LAMBECIUM *in Originibus Hamburgensibus pag. 80.* Redactus ad has angustias Albertus, ad Conradum Regem pro impetrandis auxiliis se recepit. CONRADUS ABBAS VRSPERGENSIS: *Heinricus Dux Saxoniam ingressus, cum casum & miserias suas fidelibus & amicis suis exponeret, ad rebellandum eos Imperatori & Alberto excitavit. Vnde in brevi eundem Albertum auxilio eorum, nec non & suorum, qui de Bavariâ & Suevia occulte eum insecuti sub specie peregrinationis terram intraverant, adeo humiliavit, ut castris ejus dirutis, terris circumquaque vastatis ad Regem auxilii gratia ire compelleret.*

§. LVI.

An auxilia desiderata impetraverit Albertus, ambigo. Neque puto ante Henrici obitum lacertos movisse Albertum. KRANTZIUS quidem in hoc tempus refert, quod Albertus noster ab obitu Henrici ex Stadensi familia ultimi Marchionis Brandenburgensis in comitiis Quedlinburgicis hac Marchia a Conrado III. auctus, Ducatum Saxoniæ Henrico Superbo dimiserit: neque dubito, quin vetustiorem quendam compilarit. Quod autem hæc non

ſatis certa exiſtimem, HELMOLDI potiſſimum, ALBERTI STADENSIS & MONACHI MONTIS-SERENI facit ſilentium. Adſcribam tamen verba KRANTZII *ex Saxonia lib. VI. cap. 8.* Videbantur *omnia in deterius prolapſura ad vaſtitatem provinciæ. Sed intervenere Principes, qui rem ponerent in treugas: conſtitutus a Rege dies in Quedelenburg. Sed tum Henricus Marchio Brandenburgenſis locum fecit novo beneficio, quum feudum vacaret Imperatori. Contulit ergo Conradus Rex Alberto Comiti de Balenſtede, ſive de Anebold, marchionatum antedictum. Ita auctus Albertus a Rege novo principatu, facile dimiſit Henrico Saxoniam in eodem conventu Principum habito in Quedelenburg.* De *Berlino* urbe ab Alberto Vrſo circa hæc tempora amplificata, itemque *Bernavia*, *Beerwalda*, *Bernſteinio* aliisque oppidis Marchicis per Albertum Vrſum conditis, quæ narrant recentiores, neque affirmare certo neque confutare volo. Mallem tamen, ſi quæ de his in tabulariis exſtant probatæ fidei documenta, in publicam prodirent lucem, hiſtoriam hujus ævi Germanicam, ac præcipue Marchicam, non parum illuſtrantia.

§. LVII.

1139. Ad annum CIƆCXXXIX. annotavit AUCTOR CHRONICI MONTIS-SERENI, *Conradum Archiepiſcopum Magdeburgenſem auxilio Principum ſibi faventium caſtrum Bernhardi Comitis Plötzke obſediſſe, cepiſſe & deſtruxiſſe.* Ex quibus colligo, Albertum Vrſum Bernhardo filio, ſi non omnem hæreditatem, minimum arcem Plötzkenſem reſignaſſe.

§. LVIII.

Poſt exceſſum Henrici Superbi Conradus Rex Saxoniæ Ducatum denuo contulit Alberto: ſed quod proceres a partibus ſtarent filioli Henrici, qui poſtea Leo-

nis

nis cognomen accepit, frustranei fuere conatus Alberti. AUCTOR CHRONICI Bigaugiensis: *Anno Domini 1139. obiit Hinricus Bavarorum & Saxonum, qui Catulus dicitur: reliquit filium, Hinricum scilicet Leonem. Discordia inde oritur pro ducatu Saxoniæ, quem Cæsar dedit Adelberto Marchioni. Saxones defendebant puero ducatum.* HELMOLDI & OTTONIS FRISINGENSIS testimonia jam *in Bardewicensi historia cap. 6. §. 13.* laudata non opus est repetere.

§. LIX.

Neque modo subditos Henrici, sed & reliquos Saxoniæ Principes conatibus Alberti adversatos, ex DODECHINO clarum ad an. CIϽCXXXIX. scribente: *Henricus Dux Saxoniæ moritur, pro quo Adelbertus Marchio Ducatum suscepit, contra quem omnes pene Principes Saxonum conjurant.* Imo hi ipsi *Principes Albertum Marchionem, qui Ducatum a Rege susceperat, patria expellunt. Cujus Marcam Rudolfus Comes acceptis urbibus occupavit:* quæ verba sunt ALBERTI STADENSIS *ad annum* CIϽCXL. Rudolphum illum fuisse credo Comitem Stadensem, quem STADENSIS & LAUTERBERGENSIS vocant *juniorem*, ac anno CIϽCXLIV. in Ditmarsia occisum memorant: quod sequenti anno factum scribit CHRONICON STEDERBURGENSE. 1141.

§. LX.

Non fuit tamen diuturna hæc concertatio: sed anno
statim primo & quadragesimo, sive per inducias, sive 1141.
modo quovis alio, composita. De eo iterum ALBERTUS: *Rikenza Imperatrix obiit, & post paululum sedatæ sunt concertationes Principum Saxoniæ contra Regem & Albertum Marchionem.* Sic itaque (ut denuo scribit ALBERTUS STADEN-
SIS ad ann. CIϽCXLII.) *Albertus Marchio revocatus est in grati-* 1142.
am Principum, & recepit omnia sua, Comitatum & Marcam,

 Vlti-

Vltima de Soltwedelensi Marchia in *Historia Marchionum Brandenburgensium* §. 12. explicuimus. Ac nondum muto hanc sententiam: licet aliquis ad Plôtzkensem etiam Marchiam referre possit. Per Comitatum autem, quem Albertus recepit, intelligo Anhaltinum. Sed quibus de causis Comitatu & Marca exciderit, nondum mihi certo constabat, cum *de Marchionibus Brandenburgicis* per epitomam commentarer: de quo me nunc satis edoctum esse, ex paulo ante dictis patet.

§. LXI.

1144. Rudolpho Stadensi Comite in Ditmarsia, uti diximus, cæso, frater ejus Hartwicus, major Ecclesiæ Bremensis Præpositus Comitatum suum laudatæ Ecclesiæ resignavit. Ægre hoc tulit Henricus Leo, ac per tutores apud Conradum Regem de eo questus est. Dies igitur ex decreto Regis litigantibus dicta Rameslœ: qui vicus nunc ad Luneburgensem Ducatum spectat, collegio Canonicorum nobilitatus. Inter arbitros quoque locum habebat Albertus Marchio; sed quod per ministros Henrici Ducis res a verbis ad arma deveniret, ac Albertus (Adalberonem vocant alii) Archiepiscopus Bremensis vi captus deduceretur Luneburgum, frustranea fuit arbitrorum opera. Præpositus quoque Hartwicus eodem tempore, vel non multo post ab Hermanno de Luchow interceptus, cum ministri Henrici Ducis sibi reddendum sperarent, & jam de cæde ejus cogitarent, adductus est ad Albertum nostrum, eoque modo liberatus. Pluribus hanc historiam narrat Albertus Stadensis ad an. CIↃCXLIV. cujus dicta, more suo, interpolat KRANTZIUS *Saxoniæ lib. 6. cap. 11.*

§. LXII.

1147. Anno CIↃCXLVII. famosa illa in Palæstinam expeditio plu-

pluribus tamen cladibus, quam victoriis nobilitata a Conrado Rege ac multis Principibus suscepta est: cujus propterea hic facienda fuit mentio, quia inter Principes cruce signatos noster quoque fuit Marchio, diserte ob id nominatus ab HELMOLDO, ALBERTO STADENSI, & Auctore CHRONICI MONTIS-SERENI: ut KRANTZII *Saxoniam lib. 1, cap. 12. & Wandalia lib. 4. cap. 3.* taceamus. Et observatu quidem dignum est, quod HELMOLDUS *lib. 1. cap. 62.* eum non vocet Brandenburgensem, sed *Marchionem de Saltwidele,* hoc est, *Soltwedelensem.* Neque tamen Albertus ipsam tum adiit terram sanctam, sed una cum Archiepiscopo Bremensi, aliisque Episcopis Saxoniæ, nec non Henrico Leone, & Conrado Zaringiæ Ducibus, ac Misniæ Marchione Conrado, Slavos finitimos aggressus, ad amplectandam religionem Christianam, & laxandos Danos, quos habebant captivos, compulit. Hos vero Slavos non diu post fregisse fidem, auctor est HELMOLDUS *lib. 1. cap. 65.* qui rei summam hoc claudit epiphomate: *Taliter illa grandis expeditio cum modico emolumento soluta est. Statim enim postmodum in deterius coaluerunt: nam neque baptisma servaverunt, nec cohibuerunt manus a depradatione Danorum.*

§. LXIII.

Sequente anno *Fridericus Archiepiscopus* (Magdeburgensis) *& alii quidam Principes Saxonum, cum Polonia Ducibus Bolizlao & Mesicone amicitia fœdus in Epiphania Domini celebraverunt. Vbi Otto Marchio, filius Alberti Marchionis sororem Polonorum Principum uxorem ducendam suscepit:* quæ verba sunt CHRONICI MONTIS-SERENI. Neque mirum Poloniæ Principes cum Alberto Marchione affinitatem contraxisse; quippe qui per ejus præcipue, ac Conradi Misniæ Marchionis operam Conradi Regis gratiæ, qua ob rebellionem exciderant, non ita pridem erant restituti. 1148.

Vi-

Vide hac de re nonnulla in laudato CHRONICO *ad ann.* CIↃCXLVI.

§. LXIV.

Quæ fuerit Henrici Leonis hac tempestate fortuna, in *Bardewicensi* ac *Brunswicensis urbis antiqua historia*, sed & non ita pridem in *Originibus Ducum Brunswico-Luneburgensium* exposuimus. Ex illa paucis repetendum, quod Ducatus Bojoariæ eidem ademtus Henrico fratri suo, a Conrado Rege datus, eidemque Gertrudis Leonis mater conjuncta fuerit. Ducatum illum quando repeteret Henricus Leo, nec querelis apud Conradum Regem quidquam proficeret, ad arma conclamavit. At dum hæc non satis pro voto succedunt, Albertus noster aliique Saxoniæ Principes nimis crescenti Leonis fortunæ iniqui Conradum Regem excitant ad obsidendam expugnandamque caput tum Saxonicarum urbium Brunswicum. Verum quia Henricus Leo hac de re edoctus subito revertebatur in Saxoniam, Brunswicensis obsidio evanuit. Quæ ad Albertum nostrum spectant, ex HELMOLDI *lib.* I. *cap.* 72. adscribemus. *Audiens Adelbertus Marchio, & alii quam plures Principum, Ducem nostrum minime prosperari, & veluti inter hostes conclusum, miserunt ad Regem, ut quantocyus cum exercitu veniret in Saxoniam, obsessurus Brunsvich, & oppressurus amicos ejus.* Confer KRANTZIUM *Saxoniæ lib.* 6, *cap.* 13. & *Wandal. lib.* 4, *cap.* 13.

§. LXV.

1151. Factum id est anno seculi duodecimi primo & quin-
1152. quagesimo: sed anno sequenti XV. Kl. Martii Conradus Rex repentino morbo oppressus vita cessit, cum insignia regalia fratris filio Friderico tradidisset. Eodem anno Hermannus, potens ac opulentus Comes Wincenburgensis,

sis, Henrici Comitis Dasselienss frater cum uxore prægnante occisus est. Propter amplissimam ejus hæreditatem gravis inter Henricum Leonem & Albertum Vrsum coorta est contentio, sic ut uterque selectas conscriberet copias. Ad hos motus in herba comprimendos Fridericus I. Conradi successor Mersburgi indixit comitia: sed quod novi Regis præcepta insuper haberent elati Principes, dissensio sedari non potuit. HELMOLDI narratio, quæ habetur *lib. 1. cap. 71.* digna est, quam cognoscamus. *Circa tempus dierum illorum occisus est Hermannus Comes in castro Winzenburg, vir potens & magnarum pecuniarum, & ortæ sunt contentiones inter Ducem nostrum & Marchionem Adalbertum propter castra & facultates ejus. Propter hos compacandos denuntiavit Rex curiam apud Marcipolim civitatem Saxoniæ, mandavitque Principibus solenniter adesse —— Et habita est curia illa celebris apud Marcipolim. —— Dissensio autem quæ erat inter Ducem & Marchionem sedari non poterat, eo quod Principes elati Regis adhuc recentis monita parvi penderent.* Postrema sic expressit KRANTZIUS *Wandaliæ lib. 4. cap. 16.* Henricus *Dux & Albertus Marchio conciliari non poterant, quod amborum animi intumuissent, & novi Regis authoritas nec dum bene convaluit.* Contentionem illam memorat Auctor CHRONICI STEDERBURGENSIS ad annum CIϽCLI. sed causam tacet. Verba hæc sunt: *Guerra inter Ducem Henricum & Marchionem Adelbertum, ita ut ad pugnam Dux circiter quinque millia fortissimorum virorum, Marchio mille quingentos contraxerit.* Nec satis ipsi de originibus contraversiæ constitisse, ex eo conjicio, quod Hermanni Comitis cædem post illa recenseat.

§. LXVI.

Cæterum Mersburgensium comitiorum vel ob id necessum habuimus mentionem facere, quia plurimi juniorum

rum scribunt, Albertum nostrum in iis Marchionem Brandenburgensem solenni ritu fuisse inauguratum. Verum si hoc ita se habuit, miror non immerito, cur OTTO FRISINGENSIS, HELMOLDUS, ALBERTUS STADENSIS, Auctor CHRONICI MONTIS-SERENI, quique alii horum comitiorum meminere, rem tam nobilem ac memorabilem prætermisere: id quod jam tum in *Historia Marchionum Brandenburgensium ad* §. *XII*. monuimus. De re ipsa quidem non dubito, ac utique puto Albertum, supra Soltwedelensem, Marchionem quoque factum Brandenburgicum: sed in tempore hæreo, ac mallem aliquis ex tabulariis Principum nos de eo accurate edoceret. De cæde Hermanni Comitis Wineenburgensis in *Epistola de antiquo Thuringiæ statu* pluribus disserui: sed, ut verum fatear, Historiam Patris Hermanni, provincialis Thuringiæ Comitis, & filii, non satis distinxi. Quamobrem alibi, si vixerimus, de hoc argumento majori cum cura dispiciemus.

§. LXVII.

Quod autem Mersburgi fieri non potuit, hoc eodem adhuc anno factum est Wurtzburgi, ubi Fridericus Rex Henrici Leonis & Alberti Vrsi dissensionem sustulit. ALBERTUS STADENSIS: *Rex Wirceburg conventum habuit, ibique Henricum Ducem & Albertum Marchionem discordantes pacificavit*. Et KRANTZIUS *Saxoniæ lib. 6. cap 15.* *In Herbipoli indixit conventum. Ibi Henricum Bavariæ & Saxoniæ Ducem Alberto Marchioni iterum composuit.*

§. LXVIII.

At enim non diuturnam hanc fuisse Principum cognatorum pacem, apparet ex MONTIS-SERENI CHRONICO,
1153. quod ita ad annum CIↃCLIII. *Dux Henricus & Marchio Albertus discordantes, incendiis Saxoniam turbaverunt.*

§. LXIX.

§. LXIX.

Triennio post Friderico Imp. ex Italia reduci inter alios Principes occurrit Albertus noster: id quod GUNTHERUS Poëta *Ligurini lib. v.* his versibus inculcat: 1156.

Ecce Ladeslaus, ductore Boemia sub quo
Tunc erat, Hermannusque sacræ Comes inclytus aulæ,
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno,
Saxoniæque potens Albertus Marchio terræ
Occurrunt, reducemque metu, vel amore, salutant.

Eodem anno CIↃCLVI. Conradus ex Comite Wettinensi inclytus Misniæ Marchio, pro more horum temporum recepto, sæcularibus rebus valedicens, monasticam in Monte Sereno conversationem amplexurus, eandem præsente etiam Alberto nostro professus est. Cumque eoipso anno vitam cum morte commutaret Conradus, Albertus quoque una cum Hermanno filio illius exequiis interfuit. Vide Auctorem CHRONICI MONTIS-SERENI *ad annum* CIↃCLVI. ubi Albertum nostrum vocat *Marchionem de Brandenburg.*

§. LXX.

Nisi jam supra eum sic appellasset, conjicerem, circa hoc demum tempus Albertum Brandenburgensis Marchionis titulo fuisse auctum: cum præsertim Anonymus STEDERBURGENSIS CHRONICI scriptor ad ann. CIↃCLVII. testetur, *Brandenburgum a Christianis obsessam* fuisse *captam.* 1157. Neque dubito, quin huic expeditioni adfuerit Albertus Marchio: licet præter Wichmannum Archiepiscopum, & Wernerum juniorem Comitem de Veltheim ibidem occisum, neminem sigillatim nominet Auctor CHRONICI MONTIS-SERENI: cujus hæc sunt verba: *Brandenburg a Wichmanno Archiepiscopo & Saxonibus obsidetur & capitur, ubi*

occisus est Wernherus Comes junior de Kelcheim. Veterum aliorum & KRANTZII itidem silentium miror, nisi forsan eo referre velis, quod hic *lib. 4. Wandaliæ cap. 31.* scribit: *Albertum Marchionem sibi conterminis ad onera incubuisse.* Ibidem quoque ingenue fatetur, *de Christianismo quid apud Marchionem actum, sese perspectum non habere.*

§. LXXI.

1158. Anno CIↃIↃCLVIII. Albertus noster cum uxore ac pluribus aliis comitibus votivum in Palæstinam iter aggressus est: quod CHRONICON MONTIS-SERENI sequentibus exprimit: *Vlricus Halberstadensis Episcopus & Albertus Marchio cum uxore & aliis multis iter peregrinationis ad partes transmarinas susceperunt:* jamque id in *Halberstadensi historia* tetigi. Atque o utinam Albertus Vrsus æque ac Henricus Leo aliquem hujus itineris præconem accepisset! Nunc in illa Historicorum taciturnitate ne quidem nobis constat, quando domum fuerit reversus.

§. LXXII.

Ex quo tamen id factum, facile licet animadvertere, multum in ornanda ac augenda Brandenburgensi Marchia elaborasse. Enimvero in locum Slavorum sensim deficientium, suffecit Hollandos, Selandos atque Flandros: quorum adventus in Brandenburgensis ac Havelbergensis diœcesium, sed & nominatim in urbis Soltwedelensis cessit commodum. Luculenta de eo exstat narratio apud HELMOLDUM *lib. 1. cap. 88.* quam, licet sit longiuscula, afferemus integram: *In tempore illo Orientalem Slaviam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Vrsus, qui eam propitio sibi Deo, amplissime fortunatus est in funiculo sortis suæ. Omnem enim terram Brizanorum, Stoderanorum, multarumque gentium habitantium Havelam & Albiam, misit*

sub

sub jugum, & infrenavit rebelles eorum. Ad ultimum deficientibus sensim Slavis, misit Trajectum & ad loca Rheno contigua, insuper ad eos, qui habitant juxta Oceanum, & patiebantur vim maris, videlicet Hollandos, Selandos, Flandros, & adduxit ex eis populum magnum nimis, & habitare eos fecit in urbibus & oppidis Slavorum. Et confortatus est vehementer ad introitum advenarum Episcopatus Brandenburgensis, nec non Havelbergensis, eo quod multiplicarentur Ecclesiæ, & decimarum succresceret ingens possessio. Sed & australe littus Albiæ ipso tempore cœperunt incolere Hollandienses advenæ, ab urbe Saleveldele (Christiani Distelmeieri MS. ab Henrico Bangerto laudatum rectius *Soltwedel:*) *omnem terram palustrem, atque campestrem terram, quæ dicitur Balsemerlande & Marschinerlande civitates & oppida multa valde usque ad saltum Bojemicum possederunt Hollandi.* Brevius AUCTOR CHRONICI SLAVICI: *In diebus illis orientalem Sclavoniam tenebat Adelbertus Marchio, qui cognomento dicitur Ursus, habens terram Brizanorum & Stoderanorum usque ad saltum Boemicum: ad quod sensim deficientibus Slavis, vocavit de Rheno acolas de Hollandia, Zelandia, Flandria, & Episcopatus Havelbergensis & Brandenburgensis aucti sunt vehementer.* Brevissime ALBERTUS STADENSIS ad annum CIƆCLXIII. *Albertus Marchio Sclavis expulsis, terram suam occupavit Hollandris, Selandris & Flamingis.* Adi porro KRANTZIUM Wandaliæ *lib. 4. cap. 37. & Saxoniæ lib. 6. cap. 19.*

§. LXXIII.

ANNO CIƆCLXIV. Pribislaus Obotritorum Dux Sclavicus Mecklenburgum urbem, absente castri præfecto Henrico Scathen, obsedit, expugnavit, incendit, ac mares omnes trucidavit. Hos cum sepelire vellet Berno Swerinensis Episcopus, Slavi ex insidiis prodeuntes eundem cum reliquo clero sustulissent, nisi repente superve- 1164.

nisset

nisset Richardus Soltwedelensis, ac Bernonem cum comitibus servasset. Quis fuerit ille *Richardus de Saltwedele* (sic eum vocat HELMOLDUS *lib. 2. cap. 3.*) nondum mihi est perspectum: dignum tamen censui, cujus memoriam in hac antiqua Soltwedelensi historia renovarem. Recitat eandem historiam Auctor CHRONICI SLAVICI, *cap. 31.*

§. LXXIV.

Quando autem Henricus Leo Slavos vellet castigare, Alberti quoque auxiliis in ea expeditione usus est. Quod HELMOLDUS *lib. 2. cap. 4.* his verbis indicat: *Posthac congregavit exercitum grandem, & vocavit cognatum suum Adelbertum, Marchionem Orientalis Slaviæ, & omnes fortissimos totius Saxoniæ, in auxilium, ut redderet Slavis malum, quod fecerant.*

§. LXXV.

1165. Sequenti anno novas inter Henricum Leonem & Albertum coortas esse simultates, ex Chronico Stederburgensi colligimus. Sed quando, ac quomodo fuerint compositæ, neque is, nec alius, quod sciam, scriptor exponit.

§. LXXVI.

Sed forte diutius duravit illa discordia: siquidem Albertus noster non postremus fuit Principum Saxonicorum contra Henricum Leonem anno CIƆCLXVI. conjurantium. Diserte enim *Adelbertum Marchionem de Saltwedele & filios ejus* in hunc censum refert Helmoldus *lib. 2. cap. 7.* Jam quia idem *cap. 8.* memorat, quomodo Henricus Leo orientalem Saxoniam incendiis & deprædationibus vexarit; terras Alberti Marchicas non abiisse intactas, facile est intelligere.

§. LXXVII.

Qua erat tamen illo tempore Fridericus Imp. in Henricum Leonem propensione animi, eundem inimicis conciliare annisus est in comitiis Bambergensibus anno CIↃCLVIII. Quo de videantur HELMOLDI dicta *lib. 2. cap. 11.* 1168. *in Historia* quoque *Bardewici cap. 6.* §. 29. repetita.

§. LXXVIII.

Ventum nunc est ad extrema, ipsumque Alberti Marchionis excessum; qui eidem obtigit anno CIↃCLXX. 1170. Sic enim legas in ALBERTI STADENSIS & BIGAUGIENSIS MONACHI Chronicis: *Albertus Marchio obiit.* Et ne alium putes, CHRONICON MONTIS-SERENI & STEDERBURGENSE eum vocant *Marchionem de Brandenburg.* ERNESTUS BROTUFIUS in *Anhaltina*, & WOLFFGANGUS JUSTUS *in Brandenburgensi Genealogiis*, perperam ejus obitum referunt in annum CIↃCLXVIII. Alii Brandenburgi, quidam Ballensteti sepultum tradunt.

§. LXXIX.

Duas Albertus habuit uxores, quarum prima *Sophia* anno CIↃCLX. obiit. Dubio procul enim illa est, de qua ad hunc annum CHRONICON STEDERBURGENSE: *Sophia Marchionissa obiit.* BROTUFIUS ex Comitibus a Rineck oriundam tradit. Alteram *Adelheit*, Ottonis Principis cujusdam Thuringici filiam fuisse tradit Auctor Chronici Ducum Brunsvicensium a MADERO editus: *Otto*, inquit, *superstes* (Wilhelmi frater, Princeps Thuringiæ) *Adelbrydem Alberti de Ballenstede generavit.* Hujus tamen scriptoris dicta non satis esse certa, non ita pridem in *Antiqua Historia Brunsvicensi*, §. 64. ostendimus. Quocunque tamen Patre

tre nata, certe is non fuit Conradus Misniæ Marchio: secus ac putavit ERNESTUS BROTUFIUS: quippe hujus filiam Adelam, Svenonis Daniæ Regis viduam, Alberto Alberti filio nupsisse, mox planum faciemus.

§. LXXX.

Filii Alberti Marchionis fuere Sigfridus, Bernhardus, Otto Albertus & Hermannus. *Sigfridus* ex Præposito (ut opinor) Ecclesiæ Magdeburgensis ad S. Mariam factus est Episcopus Brandenburgensis. Sic enim habet Auctor CHRONICI MONTIS-SERENI ad an. CIↃCLXXIII. *Willimarus Brandenburgensis Episcopus obiit, cui successit Sigfridus Adelberti Marchionis filius de Ecclesia S. Mariæ Magdeburgensi.* Iisdem fere verbis utitur Auctor CHRONICI BIGAUGIENSIS. Anno CIↃCLXXX. Bremensem indeptus est Archiepiscopatum De quo iterum CHRONICON MONTIS-SERENI: *Sigfridus Brandenburgensis Episcopus filius Adelberti Marchionis, Geilenhusen coram legatis Apostolicis ad Archiepiscopatum Bremensem translatus est.* Ingelhemii id factum asserit CHRONICON BIGAUGIENSE. KRANTZIUS tamen *metropol. lib. 6. cap. 49.* hunc Sigfridum in schismate, ac ab altera Canonicorum parte Otbertum, majoris Ecclesiæ Bremensis Decanum fuisse electum, sed utrumque ab Henrico Duce rejectum scribit, suffecto Balduino Præposito Halberstadensi. In quam rem alias diligentius inquiremus.

§. LXXXI.

De *Bernhardo* Comite Anhaltino, qui exauctorato Henrico Leone, Ducatum Saxoniæ impetravit, in *Historia Bardewicensi cap. 6. §. 40.* egimus, ac alibi id fiet accuratius. De *Ottone* Brandenburgensis Marchione nuper nonnulla attulimus in *Historia Marchionum Brandenburgensium §. 14.* *Albertum* Comitem, Adelæ Conradi Misniæ Marchionis filiæ,

Sve-

Svenonis, Daniæ Regis viduæ maritum laudat Supplementum CHRONICI MONTIS-SERENI: *Occiso a Danis Svenone,* (sic habent ipsa verba) *viduam ejus Albertus Comes Alberti Marchionis filius duxit uxorem, genuitque ex ea Gertrudem, Waltheri de Arnstein conjugem.* Denique Hermannum ad annum CIϽCLVI. adducit ipsum CHRONICON MONTIS-SERENI. Quem BROTUFIUS addit, *Henricum*, majorem Præpositum Magdeburgensem, nondum in antiquioribus chartis reperi.

§. LXXXII.

Idem BROTUFIUS non nisi unicam Alberti agnoscit filiam *Hedwigem*, Ottonis Misniæ Marchionis, Cellensis monasterii conditoris uxorem. De ea laudatum Supplementum: *Otto Misnensis Marchio duxit uxorem Heidwigem, filiam Alberti Marchionis de Saxonia.*

§. LXXXIII.

Atque hæc sufficiant de Marchia ac Marchionibus Soltwedelensibus. Exin nulla, quod equidem noverim, in antiquioribus scriptis extat hujus marchiæ memoria, eandemque absorpsit marchia Brandenburgensis, cujus lineamenta nuper admodum dedimus, alibi, si Deo ac Patronis ita visum, expolienda.



XII.

De CASP. SAGITTARIO Auctore Scripti, quod hoc loco sistimus, quædam sunt dicta ad N. XII. Luci vero fuit exposita hæc *Historia Marchionum* ac *Electorum Brandenburgensium* Jenæ MDCXXXIV. & sub Auctoris Præsidio ventilata à SAMUEL. ULRICI Soltquella-Palæo-Marchico. Respondens dedicavit illam Viris Perillustr. & Excellent. FRANCISCO de **Meinders**, Dynastæ in **Heinerstorff, Behlendorff, Tastorff**, Sereniss. Electoris Brandenb. Consiliario Status ac Rei Militaris Intimo, Cameræ Electeralis Præsidi, ut & CONRADO BARTHOLDO STILLIO Consiliario Brand. & Ærarii Aulici Præfecto, nec non Ecclesiæ Havelo-Montanæ Decano, verbis, quæ sequuntur.

Recepti inter Chinenses moris esse fertur, ut certi constituantur Ministri, qui nomine REGIS annua a literarum cultoribus exposcant specimina. Quantum id instituti secum ferat fructus, vel iis arbitror constare, qui alias parum judicandi pollent potentia. Hinc apud alias quoque gentes geminum observari morem, nemini non notum est atque perspectum. Quid? quod ipsi tirones inde fuerint commoti, ut sponte & Patronis commonstrarint, quousque in artibus ac scientiis pervenerint. His ita se habentibus, nullus dubito, quin & VOS VIRI MAXIMI hoc meum factum benignius sitis interpretaturi. VOS enim estis quibus nomine Serenissimi Potentissimique Electoris Brandenburgici, Domini mei Clementissimi; studiorum ratio est reddenda: Vos sane sparta Vestra adeo fungimini egregie, ut famam nunquam inter morituram sitis adepti. Non igitur non in VOS essem injurius, si vel plane nihil speciminis ederem, vel Vobis qualemcunque

que

que hanc oppellam, ea qua decet observantia non consecrarem. Permittite itaque Mecenates Maximi, ut sub splendore Nominum Vestorum scriptum hoc lucem adspiciat! Recipite manibus benevolis ac benigna mente quod a devoto Vobis offertur cliente! Non tam scribendi modum, quam ipsam scriptionis materiam perpendite! Hac uti omnino sancta est habenda, ita operam non iri perditum putavi, si aliquid industria in eam collocarem. Neque Vos PATRONI OPTIMI factum improbabitis, ut pote qui facile perspicitis, ex animo observantissimo præsumtionem meam profluxisse. Id tantum etiam atque etiam rogo, velitis pro vestra singulari in literas propensione benigne efficere, ut, si hoc tirocinium non penitus displicuerit, ad plura vel in hoc vel alio studiorum genere conficienda specimina liceat progredi. Id quod futurum polliceor, si, post Serenissimi ac Clementissimi Domini Nostri gratiam Electoralem, Vestro quoque patrocinio non indignum me judicaveritis. Omni certe præcavebo studio, ne vel illa, vel hoc unquam videar abusus. Deus vero una cum Serenissimo Potentissimoque Electore nostro, Vos quoque Patroni Summi diutissime sospitet, factaque & consilia, Vestra Patria nostra porro jubeat esse salutaria.


Inprimis autem subjungenda est Auctoris Cl. Epistola ad Respondentem, quæ ita se habet.

MActe hac virtute esto, mi VLRICE! qui Patronorum consilia secutus, mecum illustrandam suscepisti nobilissimam partem historiæ Germanicæ. Non immerito ita appello Marchiæ Brandenburgicæ historiam: quorum Domini a modicis quidem olim progressi initiis, brevi ad tantum pervenere fastigium, ut non nostram modo Germaniam sua implerent virtute, sed eandem in extremum usque Septentrionem diffunderent. Loquor nunc de altera Marchionum familia, ab Alberto Vrso, magno utique Principe, & Henrici illius Leonis æmulo prosapiam ducente: quam tamen longo post se reliquit intervallo,

 quod

quod nunc per aliquot ſæcula Marchiam cum pluribus aliis provinciis fortiter æque ac feliciter gubernat, ex Zolleriano ſangvine ortum trahens Brandenburgenſium Heroum genus. Ceterum injurii in tantos eſſemus Magnates, ſi univerſam Marchionum hiſtoriam tam brevi opuſculo exhauſtum iri crederemus. Enimvero ſi tantum attendimus Potentiſſimi, qui hodie, faxit Deus diutiſſime! rerum potitur, Electoris geſta: tot ſane illa ſunt ac tanta, ut juſtum corpus, imo ſinuoſum volumen impleverint. Neque tamen tantum nobis ſumimus, qui huic hiſtoriæ curatius perſcribendæ nos venditaremus pares. Majora hic requiruntur Ingenia, & penicillum Apelleum imagine Alexandrina dignum. Nobis ſuffecerit lineamenta duxiſſe hujus operis, ac indice digito commonſtraſſe, unde petenda ſint potiora Marchionum ac Electorum geſta. Neque vero dubito, quin etiam hæc ipſa de patria hiſtoria bene merendi voluntas Mæcenatibus tuis ſit placitura, teque ob id pro virili ſint ornaturi. Atque ut id fiat locupletiſſime, eoque ſingularis tuæ probitatis, modeſtiæ, ac induſtriæ fructus referas, ex animi ſententia voveo.

XIII.



XIII.
CASPARIS SAGITTARII
HISTORIA MARCHIONUM AC ELECTORUM BRANDENBURGENSIUM AB ORIGINE MARCHIÆ AD STATUM AN. MDCLXXXIV. USQVE REPETITA.

SUMMARIA.

§. I.

Urbis Brandenburgi nomen varie derivatur. §. II. *Marchiæ autem Brandenburgensis origo ad Henricum I. Aucupem merito refertur, qui Sigfridum Comitem Ringelheimensem custodem limitis Germanici adversus Henetos Slavos anno circiter 925. constituit.* §. III. *Sigfrido ab*

Ottone I. Successor datur Gero Marchio Lusatiæ, §. IV. *huic successisse volunt Bruniconem*, §. V. *ac ejusdem Bruniconis filium fuisse perhibent Hugonem Marchionem Brand. & Præfectum Hetruriæ*, §. VI. *Sequitur hinc Ditericus Sigehardi filius a Mistevojo Principe Heneto tota Marchia exutus.* §. VII. *Indeque Heneti ad tempora Henrici IV. Imp. in Marchia dominantur, contra quos Sigfridus ex Comitibus Stadensibus Henrici Boni filius Marchio Brand. renunciatus censetur.* §. VIII. IX. & X. *Ex eadem Comitum Stadensium familia inclaruere Marchiones Brandenb. Udo I. Udo II. & Udo III. Rudolphi filius, in quo Marchiones Brand. ex hac Stadensi familia desinunt.* §. XI. *Hinc ab Henrico V. Imperat. titulus & insignia Marchiæ Brand. collata traduntur Ottoni Diviti Marchioni Soltwedelensi ex antiqua familia Comitum Ascaniæ & Ballensteti.* §. XII. *Cujus filius Albertus I. Ursus ab Henetorum jugo Marchiam liberat.* §. XIII. *Filios habuit Sigfridum, Bernhardum & Ottonem I.* §. XIV. *Progenies Ottonis I.* §. XV. *Ipsi succedit Otto II. filius, qui improlis decedens.* §. XVI. *Successorem habuit fratrem Albertum II. Liberi ejusdem. Ex his* §. XVII. *Johannes & Otto III. per XL. annos communi regimine utuntur, variis distenti bellis.* §. XVIII. & XIX. *Johannes I. Francofurtum ad Viadrum ampliat ibique emporium constituit. Ejus obitus & multa e tribus conjugibus proles.* §. XX. *Ottonis III. cognomento Pii & Benefici facta præclara & fortiter gesta: Ipsius obitus & numerosa soboles.* §. XXI. *Fata Johannis Pragensis, nec non Ottonis Parvi.* §. XXII. *Albertus IV. Ottonis III. filius, ejus liberi.* §. XXIII. *Otto Longus itidem Ottonis III. filius, illius uxores & liberi, e quibus* §. XXIV. *Hermannus Longus bella contra Bohemos gessit, & ex Anna Austriaca Alberti I. Imp. filia sustulit* §. XXIV. *Johannem Illustrem, qui nullis liberis ex Catharina Ducis Saganensis filia susceptis, lineam hanc Marchionum Brandenb. clausit.* §. XXVI. *Johannis I. de quo supra* §. 18. *filius Johannes II. Ejusdem facta & Familia.* §. XXVII. *Otto IV. Sagittarius frater Johannis II. bella contra Polonos feliciter gerit,*

&

& sine liberis decedens successorem habet Conradum Fratrem §. XXVIII. *Ericus IV. Johannis I. filius Coloniensis & Halberstadensis Canonicus bellum gerit ob Archiepiscopatum Magdeburgensem, quo tandem potitus, multis turbis exercitus variam fortunam experitur.* §. XXIX. *Albertus III. quintus Johannis I. filius improlis obiit.* §. XXX. *Conradus I. Johannis I. filius, confer.* §. 27. *bellator acerrimus, quatuor habuit uxores & multos reliquit filios, e quibus* §. XXXI. *Conradus II. eques Ordinis Teutonici in Prussia factus, Otto Ordini Templariorum nomen dedit. Hermannus Episcopus Havelbergensis obiit, & Henricus Marchio sine terra dictus, præter ceteros filios sustulit Woldemarum II. & Johannem IV. ultimos hujus lineæ Marchionum ac Electorum Brandenb.* §. XXXI. *Johanni III. Conradi I. filio. sine liberis mortuo succedit frater* §. XXXIII. *Woldemarus I. qui bellis contra Misnenses & Pomeranos, multisque præliis clarus an. 1319. sine mascula prole vita concessit.* §. XXXIV. XXXV. & XXXVI. *Devolvitur itaque Marchia ad Woldemarum II. confer* §. 31. *& Johannem IV. fratres, sed ambo quatuordecim dierum spatio sine liberis vita sunt functi, & familia hac Marchionum Brand. quæ per ducentos pene annos floruerat, exaruit.* §. XXXVII. *Hinc Ludovicus Bavarus Imp. vacans Marchia feudum cum Electoratu confert filio majori Ludovico.* §. XXXVIII. & XXXIX. *Hic ab impostore Jacob Rebock* (Jäckel Rehbock) *valde exagitatus & motuum tandem pertæsus Marchiam Brand. cum Electorali dignitate fratri Ludovico Romano concedit.* §. XL. & XLI. *Isto autem improle mortuo indeptus est quidem Marchiam frater ipsius Otto Bavariæ Dux, sed is mox eandem pro ducentis aureorum Ungaricorum millibus vendit Carolo IV. Socero, qui eam ad Wenceslaum filium & hic iterum ad fratrem Sigismundum transmittit.* §. XLII. *Sigismundus tradit Marchiam Brand. Jodoco & Procopio fratribus Moraviæ Marchionibus, sed eandem Wilhelmo Thuringiæ Landgravio oppignoratum redimit.* §. XLIII. *Tandem Sigismundus Imp. ad sustinendos belli Hungarici sumptus Marchiam tradit Friderico VI. Burggravio Norimbergensi intercedente stipulatione quadringentorum millium aureorum, & Ipsi ob ingentia merita investituram confert.* §. XLIV. & XLV. *Hic Fridericus Elector, ex antiquis Comitibus de Zölleren recta stemmatis linea descendens, rebus contra prædones Francicos & Bohemos Sigismundo rebelles feliciter gestis, refractarios sibi Marchiæ nobiles submittit. Arcem Burggraviorum Norimbergensibus vendit: Dux contra Hussitas electus. Varia ipsi certamina cum Saxoniæ Ducibus: ipsius obitus atque* §. XLVI. *Progenies, ex qua* §. XLVII. *Johannes ob Chemiæ studium Alchemysta dictus patris vices in Marchia sustinet, Voigtlandiam accipit, ipsius Mors & Familia.*

milia, §. XLVIII. *Fridericus junior vero ob Corporis molem Pinguis appellatus Veterem Marchiam obtinuit, ibique diem obiit: Progenies ipsius.* §. XLIX. & L. *Fridericus II. patri in Electoratu succedit, ob egregiam in rebus gerendis acrimoniam Ferratus, (sive cum ferreis dentibus) dictus. Facta ipsius bello paceque perpetrata, obitus, Uxor & Liberi.* §. LI. *Sequitur Albertus Elector ob artes bellicas & insignem rerum usum Achilles Germanicus, itemque Teutonicus Ulysses cognominatus. Res illius contra Norimbergenses, Pomeranos aliosque praeclare gesta. Ejusdem mors &* §. LII. *Uxores nec non numerosa progenies.* §. LIII. & LIV. *Johannes Elector, Alberti Achillis filius ob staturam proceram Magnus, & dicendi facultatem Cicero Germaniae dictus. Res gesta ipsius, obitus, Conjux & Liberi.* §. LV. *Joachimus I. Elector cognomento Nestor: Ipsius facta illustria domi forisque patrata, Obitus, Uxor, nec non* §. LVI. *Liberi, e quorum numero.* §. LVII. *Johannes Sapiens & Severus, itemque Oculus & Consilium Germaniae dictus: Ex testamento paterno Novam Marchiam & Ducatum Crosnensum obtinuit, ex magnitudine rerum gestarum valde memorabilis. Mors illius, Conjux & filia.* §. LVIII. *Joachimus II. Elector, ipsius res gesta & facta immortalia, obitus atque* §. LIX. *Conjuges cum Liberis.* §. LX. *Johannes Georgius Elector, vita, res gesta & obitus illius, nec non* §. LXI. *Conjuges & numero insignis progenies.* §. LXII. *Joachimus Fridericus Elector, ipsius vita, res praeclare gesta ac Obitus, atque* §. LXIII. *Conjuges & numerosa soboles.* §. LXIV. *Johannes Ceorgius, Joach. Friderici filius, resignato Episcopatu Argentoratensi, Ducatum Jägerndorfensem accepit. Ejus facta, Conjux & Liberi.* §. LXV. *Christianus Wilhelmus, Joach. Friderici Electoris quoque filius, variis casibus jactatus, per fata, quae expertus est dura memorabilis.* §. LXVI. *Johannes Sigismundus Elector, vita ipsius, res gesta, & obitus.* §. LXVII. *Ejusdem Conjux & Liberi.* §. LXVIII. & LXIX. *Georgius Wilhelmus Elector, ejus vita, res gesta, mors, nec non Conjux & progenies.* §. LXX. *Fridericus Wilhelmus Elector, ex multitudine rerum gestarum, illarumque magnitudine immortalem gloriam & nomen Magni consecutus.* §. LXXI. *In pace Westphalica Pomeraniam Svecis cedit, & pro aequivalente recipit Episcopatum Mindensem ac Halberstadensem cum expectantia Archiepiscop. Magdeburg.* §. LXXII. *Motus Brandenbugico-Neoburgenses ex dissidio Juliacensi orti transactione componuntur.* §. LXXIII. *Res Electoris Svecico-Polonica* §. LXXIV. *in ditionem redigit Magdeburgum.* §. *LXXV. Bellum Electoris Gallo-Svecicum.* §. *LXXVI. Per Augusti Saxonis Administratoris excessum, Archiepiscopatum Magd. Ducis nomine recipit.* §. *LXXVII. Alia plura Electoris facta praeclara.* §. *LXXVIII. & LXXIX. Conjugium duplex Ipsius & serenissima proles.*

❧) o (❧

§. I. Qui

§. I.

Qvi Brandenburgensis urbis ad Havelam sitæ conditorem faciunt Brennum, (1) quo duce Senones quondam Romam diripuerunt; aut ad Brandonem (2) quendam Francorum Ducem, Marcomiri filium, ejus referunt origines; nescio an assertioni suæ plenam possint fidem facere. Alii ab antiqua voce *Brinn*, quod *galeam*, præsertim cristatam & cornutam, denotare volunt, derivant. (3) Quidam oppidum a Slavis putant conditum, ac dictum *Brani Bor*, hoc est, *custodia silvæ*. (4) Denique nonnulli a Slavis accepisse credunt nomen *zgorzelek*, sed a Germanis occupatum mutatum in Brandenburg; quod cum Slavica voce conveniant. (5)

(1) GEORGIUS SABINUS *de Brandenburgo metropoli Marchiæ pag. 79.* IOH. SCHOSSERUS *de origine & incrementis inclytæ familiæ Marchionum Brandeburgens. lib. I. Marchiados pag. 117.* ANDREAS ANGELUS *in Chronico Marchiæ Brandenb. Germanico lib. I. p. 2.* CHRISTIANUS THEODORUS SCHOSSERUS *in Descript. Marchiæ libello Germ. cap. I.* ADRIANUS ROMANUS *in parvo Theatro Vrbium p. 103.* WOLFGANGUS JUSTUS *libello german. de variis Vrbibus, Arcibus ac Monasteriis pag. 25. & 54.* itemque alio de *Vrbe Francofurto p. 4.* MATTHÆUS DRESSERUS *Isagog. Histor. millenar. VI. part. II. p. 478.* &. de *Germaniæ Vrbibus p. 154.* STEPHANUS RITTERUS *Cosmographiæ Prosometricæ lib. IV. p. 682.* PETRUS BERTIUS *Commentar. Rer. Germaniæ. lib. II. cap. XII. p. 310.* RUDOLPHUS DIEPHOLDIUS in *Genealogia Historica p. 75.*

(2) Vid. ERNESTUS BROTUFFIUS *Genealogia Anhaltina lib. II. cap. III.*

Iii *fol.*

fol. 39. b. SABINUS, ROMANUS, DRESSERUS, BERTIUS, dd. ll.

(3) Tangunt hanc derivationem DRESSERUS d. l. & CHRISTOPH. HARTKNOCH de Republ. Polon. lib. I. cap. V. p. 83. probat eam JOH. CHRISTOPH. BECMANNUS in Notis ad IV. Justi lib. de Francofurto p. 8,

(4) BOHUSLAUS BALBINUS Epitomes Rerum Bohemicar. lib. I. cap. VI. p. 23.

(5) HARTKNOCHIUS d. l. ubi tamen non explicat, quid sibi velint voces *Zgorzelek*.

§. II.

Marchiæ autem Brandenburgensis origo merito refertur ad Henricum I. Aucupem, qui expugnata Brandenburgo (1) & insigni templo (2) ac Episcopatu ibidem condito, (3) custodem limitis Germanici adversus Henetos
925. Slavos, anno circiter IↃCCCCXXV. ibidem collocavit SIGFRIDVM Comitem Ringelheimensem, Mathildæ uxoris
946. fratrem, (4) qui circa annum IↃCCCCXLVI. (5) fato, nescio quo, occubuit. (6)

(1) WITICHINDUS CORBEJENSIS *Annal. lib. I. p. 12.* SIGEBERTUS GEMBLACENSIS in *Chronographia ann.* IↃCCCCXXV. GOBELINUS PERSONA *Cosmodromii at. VI. cap. XLVII. p. 200.* ALBERTUS KRANTZIUS *l. III. Saxoniæ c. VIII. & IX. Wandaliæ l. II. cap. XXII. & XXVII. l. III. c. XV. XVI. & XXXVII. Metropol. lib. III. c. XXVII.*

(2) Templum hoc describit SABINUS d. l. p. 80.

(3) DITMARUS MERSBURG. *Chron. lib. III. pag. 56.* MARTINUS ZEILERUS *Itinerarii Germaniæ part. I. cap. XVII. p. 383.* ANGELUS tamen *l. II. p. 52.* fundationem Episcopatus tribuit Ottonni I.

(4) Ita recentiores plerique. In his CASPAR PEUCERUS in *Chronico Carionis lib. IV. pag. 369.* CYRIACUS SPANGENBERGIUS *Chronici Saxon. cap. CXXII.* ANDR. ANGELUS *l. I. p. 40.* WOLFG. IUSTUS in *Genealog. Marchion. Bradenburgens.* DRESSERUS *Isag. Hist. millen. VI. part. II. p. 420.* DAVID CHYTRÆUS *Oratione de Marchia Brandenburgensi*, item *Saxoniæ lib. I. p. 37.* P. BERTIUS p. 319. IOH. CUNRADUS DIETERICHUS in *Historia Henrici Aucupis* §. XI. p. 61. Antiquiores tamen hunc Mathildæ fratrem ignorant, non nisi *Widekindum*, Di-

Immedum (Immet, Immod,) & *Reginbernum* memorantes. Vide WITICHINDUM *lib.* I. *p. 10.* ALBERTUM ABBATEM STADENSEM in *Chronico pag. 101. b.* GOBELINUM *Cosmodrom. l. l.* Meminit quidem Sigfridi WITICHINDUS *lib. II. p. 15.* his verbis: *Sifridus vero Saxonum optimus, & a rege secundus, gener quondam regis, tunc vero affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hostium interim irruptio accidisset, nutriensque juniorem Henricum secum tenuit.* Eundem postea vocat *Comitem*: & DITMARUS *lib. II. p. 18.* diserte appellat *Comitem Mersburgensem.* Sed quod vel ex Comitibus Ringelheimensibus, vel Marchio Brandenburgensis fuerit, nondum ex antiquis monumentis satis certo constare puto. FRANCISCUS IRENICUS *Exeges. Germaniæ lib. III. cap. LVII.* primum Brandenburgensem Marchionem facit *Henricum.* Verba ejus subjicio: *Henricus Cæsar sui nominis primus habita de Vngaris victoria Marchionatum hunc erexit, ac ei quendam Henricum nomine proprium Comitem præfecit. Henr. I. Marchio sublimatus est anno Domini DCCCCXXXIII. Hominem autem postquam exuit, ei successit Henricus filius, & nepos inde hujus.* BROTUFIO *Geneal. Anhalt. lib. II. cap. IV. fol. 34.* primus Marchio audit *Johannes* Comes Stadensis.

(5) Quidam id factum volunt anno IↃCCCCXL. W. IUSTUS ponit annum sequentem.

(6) Sunt qui a Wendis occisum tradunt. Vid. ANGELUS *l. II. p. 46.*

§ III.

Sigfrido ab Ottone I. successor dabatur GERO (1) jam Lusatiæ Marchio (2) Gerenrodani cœnobii (3) & cathedralis Ecclesiæ Havelbergensis (4) conditor, quem Otto I. contra Danckwertum (vocant & Tanquardum, Thancmarum, Tammonem) fratrem nothum, ejusque socios defendit. Decessit anno IↃCCCCLXV. (5) inque cœnobio Gerenrodano sepultus est. 965.

(1) Ad illustrandam thesin faciunt sequentia WITICHINDI *lib. II. p. 16. 17. Illo quoque tempore defunctus est Sifridus comes, cujus ditionem cum sibi vendicasset Thancmarus, eo quod propinquus ei esset (nam ma-*

ter ejus filia matertera erat Sifridi, de qua genuit rex Henricus Thancmarum) & regali dono cessisset Geroni Comiti, afflictus est Thancmarus tristitia magna. Et DITMARI *lib. II. p. 18. Discordia quoque inter concives consociosque oritur non minima, quæ Tammonem regis & Luidgerda* (supra Haduim, seu Hedwigem nominavit) *concitavit filium, eo quod legatio Sifridi, Comitis Merseburgensis, quam sibi idem vendicaverat, Geroni sit tradita Marchioni, hereditasque materna sit ei prorsus sublata.* W. JUSTUS *de Francofurto cap. II. & V.* hunc Geronem primum facit Brandenburg. Marchionem.

(2) Vide *Historiam* nostram *Lusaticam* §. *XVIII.*

(3) DITMARUS *lib. II. p. 28.* Auctor CHRON. MONTIS SERENI *p. 36.*

(4) CHYTRÆUS *Saxon. lib. I. p. 37.*

(5) Chron. Montis-Ser. *d. l.* Auctor Appendicis ad CHRON. REGINONIS. Dies emortualis fuit *Kal. Iulii.* ut est apud DITMARUM. In CHRON. MONTIS-SER. est XIV. Kl. Julii. Et hunc probat sequens Gerenrodanum epitaphium a SPANGENBERGIO *Chron. Sax. cap. CXLII. p. 209.* ANGELO *l. II. p. 52.* & aliis repetitum: GERO DVX ET MARCHIO FVNDATOR ECCESIÆ SAXONVM. ANNO DOMINI DCCCCLXV. XIIII. CALEN. IVLII OBIIT ILLVSTRIS DVX ET MARCHIO HVIVS ECCLESIAE FVNDATOR. CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

§. IV.

Geroni successisse volunt BRVNICONEM, (1) Brunonis filium, qui Ottoni I. contra Eberhardum Franciæ Orientalis Ducem adhæserit, ac Brandenburgi in monte Harlungorum, qui postea ab æde B. Mariæ nomen acceperit, cum filiis MEINFRIDO, HERMANNO, SIGEHARDO, successoribus suis sepultus sit. (2)

(1) WOLFG. IUSTUS, SABINUS, & CHYTRÆUS vocant *Brunitonem:* alii *Brunitonem.* Meminere hujus sepulturæ W. IUSTUS, SPANGENBERGIUS, CHYTRÆUS. sed digna sunt, quæ afferantur verba SABINI ex historia Hungonis *p. 69. 70. Patrem* (Hugo) *habuit Brunitonem*

tonem, matrem Wilecam: fratres Menfridum, Hermannum & Segehardum. Pater Brandenburgi sepultus est in monte Harlungorum in æde beatæ virginis.——Fratres in eadem, qua pater æde humati sunt ante aram communionis, quæ est in hemicyclo ad Orientem;. Horum sepulcra extant apud Brandenburgenses, sed ita pedibus attrita sunt, ut nullum pene vestigium literarum in iis appareat. Epitaphia, quæ erant inscripta ante annos centum, ubi nondum penitus obliterata fuere, homo antiquitatis studiosus descripsit in tabulam, ad parietem hemicycli suspensam: quæ tabula me adolescente adhuc in templo habebatur. Qui vero descripsit, testatus est; nihil suo tempore legi potuisse in primo sepulcri monumento præter hæc verba:

Idibus Julii obiit Cythara
Cythara Menfrido * junɛta marito
Vandaliæ hanc reges *

In secundo extitisse hos versus, literis vix apparentibus:

Candidior gemmis Hermannus, flos Brumitonis
Hic jacet in tumulo proh dolor exiguo.
Quem flent gentiles pariter cunɛtique fideles,
Armis inviɛtum succubuisse pium.
Brenburg ac patria o superis jam reddite vota,
Multiplicate preces, ut sit huic requies.

Tertio item sepulcro inscripta fuisse hæc verba: III. Calendas Maji obiit Segehardus, clarissimi Principis Brumitonis filius Christianissimus. *Hos autem principes non modo pietate ac virtute, sed etiam heroica corporis proceritate insignes fuisse, testantur ossa, quæ sepulcris continentur: mea enim ætate clam aperta sunt hæc sepulcrorum monumenta, jussu Hieronimi, Episcopi Brandenburgensis, in quorum uno inventa sunt ossa tam grandia, ut tibia attingerent coxendicem hominis mediocris statura*

§ V.

Ejusdem Bruniconis filius fuisse traditur HVGO, qui supra Marchionatum Brandenburgensem Hetruriæ præfecturam adeptus, Ottonem III. Romæ obsessum pleno fidelitatis & prudentiæ consilio liberavit. (1) Hic Pistorii in Italia mortuus, Florentiæ in Abbatia S. Benedicti a se condita humatus est. (2)

 (1) Si-

(1) SIGEBERTUS ad an CIↃII. quem κατὰ πόδα seqvuntur VINCENTIUS BELLVACENSIS in *Speculo Historiali* & ANTONIUS FLORENTINUS *Volum. II. tit. XVI. cap. III. num. IV.* Videatur etiam PLATINA *de vitis Pontificum in Iohanne XIX.* VOLATERRANUS *in Anthropologia*, JOH. TRITHEMIUS *in Chron. Hirsaugiensi ad ann.* CIↃI. *p. 44.* H. MUTIUS *Chron. lib. XIV. p. 108.* CAROLUS SIGONIUS. *de Regno Italiæ lib. 8. pag. 186.* PEUCERUS in *Chron. Carionis l. 4. p. 369.* SPANGENBERGIUS in *Chron. Saxon. cap. 157. p. 230.* GEORGIUS SABINUS Hugonis historiam singulari commentatiuncula descripsit, quæ una cum *Originibus Stirpis Brandenburg.* a REINERO REINECCIO edita.

(2) W. JUSTUS in *Chronol. Brandenb.* Renovato a monachis sepulchro hoc additum fuit elogium: VGONI IMP. AFFINI ET COMITI, MARCHIONI BRANDENBVRGENSI, HETRVRIÆ PRÆFECTO, QVOD D. BENEDICTO HIC OLIM, ET SEX ALIA COENOBIA CONDIDIT, PII HVIVS LOCI MONACHI DE SE BENE MERITO SEPVLCHRVM VETVSTATE ATTRITVM INSTAVRARVNT ANNO SALVTIS MCCCCLXXXIII. OBIIT ANNO SAL. MI. XI. CAL. IANVARII. Repetunt hoc epitaphium CHYTRÆUS *Saxon. lib. 1. p. 38.* ANDREAS ANGELUS *Chron. March. Brandenb. l. 2 p. 61.* Aliud Epitaphium, acrostichis eleganter ornatum retulit BARONIUS *Annal. Tomo 11.* ubi tanti herois vitam e Petro Damiani & aliis deducit, discedens a Scriptoribus, qui natales Germanicos nobis referunt. Attamen ajunt GOTFRIDUM VITERBIENSEM in Chronicis eum vocare *Militem Brandeburgensem*: quod mendose pro *Marchione* scriptum, putat SABINUS *p. 69.* Sed apud VITERBIENSEM id non reperio. Idem SABINUS matrem ejus Willecam Bruniconis conjugem *apud Septimense in Italia jacere* scribit p. 70. ac addit: *Extincto enim marito illic filium secuta est.*

§. VI.

Hinc Marchionis dignitate auctus DITERICUS, Sigehardi filius, qui a Mistevojo Principe Heneto, quem *canem* appellans, matrimonio filiæ Bernhardi Saxoniæ Ducis indignum censuerat, bello petitus, amissa arce Branden-

denburgica, totaque marchia exutus, Magdeburgi inter Canonicos receptus obiit circa annum CIOXX. * 1020.

(*) Videantur DITMARUS *lib. 3. p. 56. seqq.* ubi hunc Ditericum mox *Ducem*, mox *Marchionem*, sed & *Episcopatus Brandenburgensis defensorem* vocat: ADAMUS BREM. *Histor. Eccles. l. 2. c. 31. p. 64.* HELMOLDUS *Chron. Slavorum l. 1. c. 16.* KRANTZIUS *Wandalia l. 2. c. 41. seq. l. 3. c. 15. l. 4. c. 37. l. 7. c. 45. Saxon. lib. 4. c. 34. & 37.* BROTUFIUS *Geneal. Anhalt. l. 2. c. 4. fol 25. a.* SPANGENBERGIUS *Chron. Saxon. c. 157. p. 242. seq.* P. BERTIUS *l. 2. c. 12. p. 319.* DRESSERUS *p. 481.* Hujus quoque Diterici historiam singulariter descripsit G. SABINUS, quam in *Chronico* suo germenice vertit ANGELUS *l. 2. p. 63. seqq.*

§. VII.

Post illa Heneti in Marchia Brandenburgensi dominati usque ad Henrici IV. tempora: ac tum SIGFRIDUM, ex Comitibus Stadensibus Henrici Boni filium, Marchionem Brandenburgensem renunciatum censent, (1) Quamquam quia Brandenburgensis Marchia adhuc in manibus Henetorum, Landesbergæ sedem fixit. (2) Uxorem ei jugunt Juditham Polonicam, quæ Brandenburgi sepulta sit, marito Pegavii humato. (3)

(1) De hoc Sigfrido Marchione ejusque gestis legendi ADAMUS BREM. *lib. 2. p. 57.* HELMOLDUS *lib. 1. cap. 15.* ALBERTUS STADENSIS *p. 164. a.*

(2) CHYTRÆUS *Saxon. lib. 1. p. 38.*

(3) W. JUSTUS: *Uxor Juditha filia Uladislai I. Ducis & postea Regis Bohemiæ & Poloniæ, sepulta Brandenburgi in medio templo Canonicorum, ipse vero sepultus in cœnobio S. Jacobi oppidi Pegavii.* REINECCIUS de Brandenburgo pag. 97. *In medio fere templo est lapis, in quo adhuc leguntur hæc verba:* JUDITHA MARCHIONISSA GEMMA POLONORUM.

§. VIII.

Ex eadem Stadensium Comitum familia inclaruit

UDO

VDO I. Brandenburgensis Marchio: qui, si is est, quem Lambertus Schafnaburgensis memorat, anno CIƆCLVII. vivere desiit, relicto Vdone II. successore.*

(*) LAMBERTUS ad hunc annum: *Vto Marchio obiit, cui filius ejus junior successit.* DITMARUS quidem lib. II. p. 35 *venerabilem* quendam (ut vocat) *Marchionem* Vtonem, tempore Ottonis II. memorat: qui alius procul dubio ab hoc nostro fuerit. Ceterum quia recentiores tradunt, Vdonem I. post interfectum ad Mersburgum Rudolphum Svevum, Henrico IV. oppositum, recepta ejectis Henetis Brandenburgo, & trans Albim quibusdam oppidis Marchiæ additis, veterem regiminis formam restituisse circa annum CIƆLXXX. ejusque obitum referunt in annum CIƆLXXXV. Vdoni a LAMBERTO laudato hæc non convenient. Vid. CHYTRÆI *Saxonia pag. 38.* W. JUSTUS *in Geneal. Brandeburg.* PETR. ALBINUS *in Chronico Misniæ p. 408.* Id novimus ex ALBERTO STADENSI, Vdonem I. *qui factus est Marchio*, patrem habuisse *Luderum*, matrem *Adelheidam*, *Rudolphi Svevi amitam.*

§. IX.

VDO II. qui & Ludigerus vocabatur, Henrico IV. rebellis, ab eodem captus, (1) postquam filium obsidem dedisset, dimissus est. (2) Ejusdem Imp. permissu a Pribislao Henetorum principe marchia ejectum volunt. (3)
1106. Obiit Hertzfeldi prope Stadam anno CIƆCVI. (4)

(1) MARIANUS SCOTUS *ad an.* CIƆLXXV. *&* CIƆCLXXVII. HELMOLDUS *lib. 1. cap. 57.*

(2) LAMBERTUS an. CIƆLXXV. p. 222. *Vdo Marchio & Episcopus Mersburgensis & pauci alii nobiles Saxoniæ deditioni consenserunt: ex quibus Vdo Marchio dato pro se obside filio suo, statim deditione absolutus est.*

(3) W. JUSTUS *in Geneal.* CHRON. CARIONIS *lib. 4. p. 442.* CHYTRÆUS *d. l.*

(4) ALBERTUS STADENSIS p. 150. b: *Luidgerus Marchio, qui & Vdo,--- vehementi infirmitate repente cœpit laborare, deportatusque Hersenvelde, ibidem obiit.* P. ALBINUS *d. l.*

§. X.

§. X.

Vdo II. fratrem habuit RVDOLPHVM, filium autem HENRICVM. Rudolpho natus est VDO III. qui ultimi ex hac Stadensi familia Brandenburgenses fuere Marchiones. *

(*) Legendi de hac Stadensium Comitum familia ALBERTVS ABBAS STADENSIS *pag. 152. f. 174.* ALBERTVS KRANTZIVS *Saxonia lib. 6. cap. 5. & 6. Wandalia lib. 3. cap. 17.* Videantur etiam IRENICVS *Exeges. German. lib. 3. cap. 37.* W. JVSTVS *in Geneal. Brand.* PEVCERVS *in Chron. Carionis lib. 4. p. 369.* BROTVFIVS *lib. 2. cap. 4.*

§. XI.

Sic igitur Henricum V. OTTONI *Diviti* Marchion. Soltwedelensi ex antiqua familia Comitum Ascaniæ & Ballensteti oriundo, Magni Saxoniæ Ducis genero titulum & insignia Marchiæ Brandenburgensis contulisse tradunt. *

(*) Et hoc quidem tradunt W. IVSTVS, CHYTRÆVS, & alii: quod an veterum dictis confirmari queat, dubito. Non indigna tamen sunt lectu, quæ de hoc Ottone consignarunt HELMOLDUS *lib. 1. cap. 35.* LERBECIUS *in Chron. Comitum Schawenburgensium p. 17.* KRANTZIUS *Saxon. lib. 5. c. 25. & 36. Wandalia lib. 3. cap. 17.* PAULVS LANGIVS *in Chron. Citizensi pag. 785.*

§. XII.

Ottonis hujus filius ALBERTVS I. *Vrsus* (1) recuperata tandem oppressis Henetis Marchia, (2) a Friderico I. inauguratus est Mersburgi anno CIↃCLII. (3) Obiit circa 1152
annum CIↃCLXX. (4) ac Brandenburgi sepultus est. (5) 1170.

(1) De Alberto Vrso ejusque gestis legendi HELMOLDVS *lib. 1. cap. 35. 52. 54. 88. lib. 2. cap. 7.* OTTO FRISINGENSIS *lib. 7. Chron. c. 10.* ALBERTUS ABBAS STADENSIS *ad ann. CIↃCLXVI. & seqq. pag. 156. seqq.*

Kkk

seqq. Auctor CHRON. MONTIS-SERENI *ad ann.* CIↃCXXVIII. *& seqq. p. 7. 10. 21. 26. 27. 29.* LERBECIUS *pag. 11.* KRANTZIVS *Saxon. lib. 6. cap. 8. 15. 20. Wandalia lib. 3. cap. 38. 40. lib 4. c. 3. 14.* BROTUFIVS *Geneal. Anhaltina lib. 2. cap. 1. fol. 28. seqq.* ALBINVS *in Chron. Misnia pag. 409.*

(2) HELMOLDVS *lib. 1. cap. 88. In tempore illo Orientalem Slaviam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Vrsus, qui etiam propitio sibi Deo amplissime fortunatus est in funiculo sortis suæ. Omnem etiam terram Brizanorum, Stoderanorum, multarumque gentium habitantium Havelam & Albiam misit sub jugum, & infrenavit rebelles eorum.* Quæ verbotenus exscribit KRANTZIVS *Wandal. lib. 4. c. 37.*

(3) Ita W. JUSTVS, CHYTRÆVS & DRESSERVS. Neque tamen OTTO FRISINGENSIS, HELMOLDVS & Auctor CHRONICI MONTIS-SERENI, qui comitiorum Mersburgensium meminere, hanc investituram memorant. Quid si autem jam anno CIↃCXLII. sub Conrado II. marchia Brandenburgensi fuisset auctus? Sic enim habet ALBERTVS STADENSIS: *Albertus Marchio revocatus est ingratiam Principum, & recepit omnia sua, Comitatum & Marcam.* At forte *Soltwedelensis* illa fuerit *marchia*, qua, nescio quibus de causis, excidit. Quod Albertus Vrsus a Pribislao Heneto Principe adoptatus, Brandenburgensem acceperit Marchiam, quæ est BROTUFII sententia *d. l.* W. JUSTI *de Francof. c. 2. p. 23.* PEUCERI *in Chron. Carionis lib. 4. p. 442.* P. BERTII *lib. 2. Rer. Germanicar. p. 321.* nondum apud vetustiores reperi.

(4) ALBERTVS STAD. ad d. an. *Albertus Marchio obiit.* Et ne alium putes, Chronicon MONTIS-SEREN. diserte vocat *Marchionem de Brandenburg.*

(5) W. JUSTVS *in Geneal.* qui perperam ejus obitum refert in annum CIↃCLXVIII. quod & facit BROTUFIVS *pag. 30.* qui tamen Ballensteti sepultum tradit. Confer ANGELVM *lib. 2. p. 89.*

§. XIII.

Albertus Vrsus præter *Sigfridum* Brandenburgensem Episcopum, post Bremensem Archiepiscopum, (1) filios

filios reliquit *Bernhardum* (2) & OTTONEM I. Ut autem a Bernhardo Electores Saxoniæ veteres, Duces Saxo-Lauenburgici, ac Principes Anhaltini descendunt; ita ab OTTONE familia Brandenburgensium Marchionum, qui per annos ferme ducentos marchiam gubernarunt, propagata est. (3)

(1) Vid. HELMOLDVS *l. 2. c. 23.* ARNOLDVS LUBEC. *lib. 3. c. 12.* ALBERTVS STAD. *ad ann.* CIƆCLXXIX. *p. 196. b. 197. b.* KRANTZIVS *Metropol. lib. 7. cap. 4.*

(2) De *Bernhardo in Historia Bardewicensi* egimus, & alibi id fiet accuratius.

(3) CHYTRÆVS *pag. 38.*

§. XIV.

Hic OTTO I. bello cum Canuto Daniæ Rege, (1) defunctus, decessit anno CICCXCVIII. (2) in monasterio Marchiæ mediæ Leninensi a se condito humatus. (3) Ex Anna (aliis Agnete) Saxonica filios reliquit quatuor, OTTONEM II. & ALBERTVM II. *Henricum* Marchionem Tangermundensem, Collegii Canonicorum Regularium. Stendalii fundatorem (4) anno CIƆCCXXXII. mortuum. (5) & *Didericum* Soltwedelensem (6) Marchiones. 1198.

(1) ARNOLDUS LUBEC. *lib. 6. cap. 9.* & ibidem HENR. BANGERTVS *in Notis p. 462.* KRANTZIVS *Saxon. lib. 7. c. 18.* *Wandalia lib. 6. c. 37.* JOH. ISACIVS PONTANVS *Histor. Danica lib. 6. p. 291. seqq.* BROIUFIVS *lib. 2. c. 6.* W. JUSTVS, ANGELVS *lib. 2. p. 90.* P. BERTIVS.

(2. 3. 4.) CHYTRÆVS *d. l.*

(5) W. JUSTVS: *Annales Stendalienses dicunt anno 1332. obiisse in Vigilia Epiphania Stendalia, postquam quatuor annos ibidem Canonicus fuisset, & sepultus in templo S. Nicolai.* Alii anno CIƆCXCII. decessisse volunt. Vide JUSTVM *in de Francofurto c. 4. p. 39.* ANGELVS habet an. -— XCVI. *l. 2. p. 94.*

(6) W. JUSTVS ex Theodorico quoque facit *Marchionem Tangermundensem.*

fol. 39. *b.* SABINUS, ROMANUS, DRESSERUS, BERTIUS, *dd. ll.*

(3) Tangunt hanc derivationem DRESSERUS *d. l.* & CHRISTOPH. HARTKNOCH *de Republ. Polon. lib. I. cap. V. p.* 83. probat eam JOH. CHRISTOPH. BECMANNUS *in Notis ad IV. Justi lib. de Francofurto p.* 8.

(4) BOHUSLAUS BALBINUS *Epitomes Rerum Bohemicar. lib. I. cap. VI. p.* 23.

(5) HARTKNOCHIUS *d. l.* ubi tamen non explicat, quid ſibi velint voces *Zgorzelek*.

§. II.

Marchiæ autem Brandenburgenſis origo merito refertur ad Henricum I. Aucupem, qui expugnata Brandenburgo (1) & inſigni templo (2) ac Epiſcopatu ibidem condito, (3) cuſtodem limitis Germanici adverſus Henetos
925. Slavos, anno circiter IↃCCCCXXV. ibidem collocavit SIGFRIDUM Comitem Ringelheimenſem, Mathildæ uxoris
946. fratrem, (4) qui circa annum IↃCCCCXLVI. (5) fato, neſcio quo, occubuit. (6)

(1) WITICHINDUS CORBEJENSIS *Annal. lib. I. p.* 12. SIGEBERTUS GEMBLACENSIS in *Chronographia ann.* IↃCCCCXXV. GOBELINUS PERSONA *Cosmodromii æt. VI. cap. XLVII. p.* 200. ALBERTUS KRANTZIUS *l. III. Saxonia c. VIII. & IX. Wandalia l. II. cap. XXII. & XXVII. l. III. c. XV. XVI. & XXXVII. Metropol. lib. III. c. XXVII.*

(2) Templum hoc deſcribit SABINUS *d. l. p.* 80.

(3) DITMARUS MERSBURG. *Chron. lib. III. pag.* 56. MARTINUS ZEILERUS *Itinerarii Germaniæ part. I. cap. XVII. p.* 383. ANGELUS tamen *l. II. p.* 52. fundationem Epiſcopatus tribuit Ottonni I.

(4) Ita recentiores plerique. In his CASPAR PEUCERUS in *Chronico Carionis lib. IV. pag.* 369. CYRIACUS SPANGENBERGIUS *Chronici Saxon. cap. CXXII.* ANDR. ANGELUS *l. I. p.* 40. WOLFG. IUSTUS in *Genealog. Marchion. Bradenburgenſ.* DRESSERUS *Iſag. Hiſt. millen. VI. part. II. p.* 480. DAVID CHYTRÆUS *Oratione de Marchia Brandenburgenſ.* item *Saxonia lib. I. p.* 37. P. BERTIUS *p.* 319. IOH. CUNRADUS DIETERICHUS in *Hiſtoria Henrici Aucupis* §. XI. *p.* 61. Antiquiores tamen hunc Mathildæ fratrem ignorant, non niſi *Widekindum,*

Bo-

Immedum (Immet, Immod,) & *Reginbernum* memorantes. Vide WITICHINDUM *lib.* I. *p.* 10. ALBERTUM ABBATEM STADENSEM *in Chronico pag.* 101. *b.* GOBELINUM *Cosmodrom.* *l. l.* Meminit quidem Sigfridi WITICHINDUS *lib. II. p.* 15. his verbis: *Sifridus vero Saxonum optimus, & a rege secundus, gener quondam regis, tunc vero affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hostium interim irruptio accidisset, nutriensque juniorem Henricum secum tenuit.* Eundem postea vocat *Comitem*: & DITMARUS *lib. II. p.* 18. diserte appellat *Comitem Mersburgensem.* Sed quod vel ex Comitibus Ringelheimensibus, vel Marchio Brandenburgensis fuerit, nondum ex antiquis monumentis satis certo constare puto. FRANCISCUS IRENICUS *Exeges. Germaniæ lib. III. cap. LVII.* primum Brandenburgensem Marchionem facit *Henricum.* Verba ejus subjicio: *Henricus Cæsar sui nominis primus habita de Vngaris victoria Marchionatum hunc erexit, ac ei quendam Henricum nomine proprium Comitem præfecit. Henr. I. Marchio sublimatus est anno Domini DCCCCXXXIII. Hominem autem postquam exuit, ei successit Henricus filius, & nepos inde hujus.* BROTUFIO *Geneal. Anhalt. lib. II. cap. IV. fol.* 34. primus Marchio audit *Johannes* Comes Stadensis.

(5) Quidam id factum volunt anno IↃCCCCXL. W. IUSTUS ponit annum sequentem.

(6) Sunt qui a Wendis occisum tradunt. Vid. ANGELUS *l. II. p.* 46.

§ III.

Sigfrido ab Ottone I. successor dabatur GERO (1) jam Lusatiæ Marchio (2) Gerenrodani cœnobii (3) & cathedralis Ecclesiæ Havelbergensis (4) conditor, quem Otto I. contra Danckwertum (vocant & Tanquardum, Thancmarum, Tammonem) fratrem nothum, ejusque socios defendit. Decessit anno IↃCCCCLXV. (5) inque cœnobio Gerenrodano sepultus est. 965.

(1) Ad illustrandam thesin faciunt sequentia WITICHINDI *lib. II. p.* 16, 17. *Illo quoque tempore defunctus est Sifridus comes, cujus ditionem cum sibi vendicasset Thancmarus, eo quod propinquus ei esset (nam mater*

ter ejus filia matertera erat Sifridi, de qua genuit rex Henricus Thancmarum) & regali dono cessisset Geroni Comiti, afflictus est Thancmarus tristitia magna. Et DITMARI *lib. II. p. 18. Discordia quoque inter concives consociosque oritur non minima, quae Tammonem regis & Luidgerda* (supra Haduim, seu Hedwigem nominavit) *concitavit filium, eo quod legatio Sifridi, Comitis Mersepurgensis, quam sibi idem vendicaverat, Geroni sit tradita Marchioni, haereditasque materna sit ei prorsus sublata.* W. IVSTVS *de Francofurto cap. II. & V.* hunc Geronem primum facit Brandenburg. Marchionem.

(2) Vide *Historiam* nostram *Lusaticam* §. *XVIII.*

(3) DITMARVS *lib. II. p. 28.* Auctor CHRON. MONTIS SERENI *p. 36.*

(4) CHYTRÆVS *Saxon. lib. I. p. 37.*

(5) Chron. Montis-Ser. *d. l.* Auctor Appendicis ad CHRON. REGINONIS. Dies emortualis fuit *Kal. Iulii.* ut est apud DITMARVM. In CHRON. MONTIS-SER. est XIV. Kl. Julii. Et hunc probat sequens Gerenrodanum epitaphium a SPANGENBERGIO *Chron. Sax. cap. CXLII. p. 209.* ANGELO *l. II. p. 52.* & aliis repetitum: GERO DVX ET MARCHIO FVNDATOR ECCESIÆ SAXONVM. ANNO DOMINI DCCCCLXV. XIIII. CALEN. IVLII OBIIT ILLVSTRIS DVX ET MARCHIO HVIVS ECCLESIAE FVNDATOR. CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

§. IV.

Geroni successisse volunt BRVNICONEM, (1) Brunonis filium, qui Ottoni I. contra Eberhardum Franciæ Orientalis Ducem adhæserit, ac Brandenburgi in monte Harlungorum, qui postea ab æde B. Mariæ nomen acceperit, cum filiis MEINFRIDO, HERMANNO, SIGEHARDO, successoribus suis sepultus sit. (2)

(1) WOLFG. IVSTVS, SABINVS, & CHYTRÆVS vocant *Brunitonem:* alii *Brunitonem.* Meminere hujus sepulturæ W. IVSTVS, SPANGENBERGIVS, CHYTRÆVS. sed digna sunt, quæ afferantur verba SABINI ex historia Hungonis *p. 69. 70. Patrem* (Hugo) *habuit Brunitonem*

tonem, matrem Wilecam: fratres Menfridum, Hermannum & Segehardum. Pater Brandenburgi sepultus est in monte Harlungorum in ade beata virginis.——Fratres in eadem, qua pater ade humati sunt ante aram communionis, qua est in hemicyclo ad Orientem;. Horum sepulcra extant apud Brandenburgenses, sed ita pedibus attrita sunt, ut nullum pene vestigium literarum in iis appareat. Epitaphia, qua erant inscripta ante annos centum, ubi nondum penitus obliterata fuere, homo antiquitatis studiosus descripsit in tabulam, ad parietem hemicycli suspensam; qua tabula me adolescente adhuc in templo habebatur. Qui vero descripsit, testatus est; nihil suo tempore legi potuisse in primo sepulcri monumento prater hac verba:

Idibus Julii obiit Cythara
Cythara Menfrido * junɐta marito
Vandaliæ hanc reges *

In secundo extitisse hos versus, literis vix apparentibus:

Candidior gemmis Hermannus, flos Brumitonis
Hic jacet in tumulo proh dolor exiguo.
Quem flent gentiles pariter cunɐtique fideles,
Armis inviɐtum ſuccubuiſſe pium.
Brenburg ac patria o ſuperis jam reddite vota,
Multiplicate preces, ut ſit huic requies.

Tertio item sepulcro inscripta fuisse hac verba: III. Calendas Maji obiit Segehardus, clariſſimi Principis Brumitonis filius Chriſtianiſſimus. *Hos autem principes non modo pietate ac virtute, sed etiam heroica corporis proceritate insignes fuisse, testantur ossa, qua sepulcris continentur: mea enim atate clam aperta sunt hac sepulcrorum monumenta, jussu Hieronimi, Episcopi Brandenburgensis, in quorum uno inventa sunt ossa tam grandia, ut tibia attingerent coxendicem hominis mediocris statura*

§ V.

Ejusdem Bruniconis filius fuiſſe traditur HVGO, qui ſupra Marchionatum Brandenburgenſem Hetruriæ præfeɐturam adeptus, Ottonem III. Romæ obſeſſum pleno fidelitatis & prudentiæ conſilio liberavit. (1) Hic Piſtorii in Italia mortuus, Florentiæ in Abbatia S. Benediɐti a ſe condita humatus eſt. (2)

 (1) Si-

(1) SIGEBERTVS ad an CIƆII. quem *κατὰ πόδα* seqvuntur VINCENTIVS BELLVACENSIS in *Speculo Historiali* & ANTONIVS FLORENTINVS *Volum. II. tit. XVI. cap. III. num. IV.* Videatur etiam PLATINA *de vitis Pontificum in Iohanne XIX.* VOLATERRANVS *in Anthropologia*, JOH. TRITTHEMIVS *in Chron. Hirsaugiensi ad ann.* CIƆI. *p. 44.* H. MVTIVS *Chron. lib. XIV. p. 108.* CAROLVS SIGONIVS. *de Regno Italiæ lib. 8. pag. 186.* PEVCERVS in *Chron. Carionis l. 4. p. 369.* SPANGENBERGIVS in *Chron. Saxon. cap. 157. p. 230.* GEORGIVS SABINVS Hugonis historiam singulari commentatiuncula descripsit, quæ una cum *Originibus Stirpis Brandenburg.* a REINERO REINECCIO edita.

(2) W. JVSTVS in *Chronol. Brandenb.* Renovato a monachis sepulchro hoc additum fuit elogium: VGONI IMP. AFFINI ET COMITI, MARCHIONI BRANDENBVRGENSI, HETRVRIÆ PRÆFECTO, QVOD D. BENEDICTO HIC OLIM, ET SEX ALIA COENOBIA CONDIDIT, PII HVIVS LOCI MONACHI DE SE BENE MERITO SEPVLCHRVM VETVSTATE ATTRITVM INSTAVRARVNT ANNO SALVTIS MCCCCLXXXIII. OBIIT ANNO SAL. MI. XI. CAL. IANVARII. Repetunt hoc epitaphium CHYTRÆVS *Saxon. lib. 1. p. 38.* ANDREAS ANGELVS *Chron. March. Brandenb. l. 2 p. 61.* Aliud Epitaphium, acrostichis eleganter ornatum retulit BARONIVS *Annal Tomo 11.* ubi tanti herois vitam e Petro Damiani & aliis deducit, discedens a Scriptoribus, qui natales Germanicos nobis referunt. Attamen ajunt GOTFRIDVM VITERBIENSEM in Chronicis eum vocare *Militem Brandeburgensem*: quod mendose pro *Marchione* scriptum, putat SABINVS *p. 69.* Sed apud VITERBIENSEM id non reperio. Idem SABINVS matrem ejus Willecam Bruniconis conjugem *apud Septimense in Italia jacere* scribit p. 70. ac addit: *Extincto enim marito illic filium secuta est.*

§. VI.

Hinc Marchionis dignitate auctus DITERICVS, Sigehardi filius, qui a Mistevojo Principe Heneto, quem *canem* appellans, matrimonio filiæ Bernhardi Saxoniæ Ducis indignum censuerat, bello petitus, amissa arce Branden-

denburgica, totaque marchia exutus, Magdeburgi inter Canonicos receptus obiit circa annum CIϽXX. * 1020.

(*) Videantur DITMARVS *lib. 3. p. 56. seqq.* ubi hunc Ditericum mox *Ducem*, mox *Marchionem*, sed & *Episcopatus Brandenburgensis defensorem* vocat: ADAMVS BREM. *Histor. Eccles. l. 2. c. 31. p. 64.* HELMOLDVS *Chron. Slavorum l. 1. c. 16.* KRANTZIVS *Wandalia l. 2. c. 41. seq. l. 3. c. 15. l. 4. c. 37. l. 7. c. 45. Saxon. lib. 4. c. 34. & 37.* BROTVFFIVS *Geneal. Anhalt. l. 2. c. 4. fol 25. a.* SPANGENBERGIVS *Chron. Saxon. c. 157. p. 242. seq.* P. BERTIVS *l. 2. c. 12. p. 319.* DRESSERVS *p. 481.* Hujus quoque Diterici historiam singulariter descripsit G. SABINVS, quam in *Chronico* suo germenice vertit ANGELVS *l. 2. p. 63. seqq.*

§. VII.

Post illa Heneti in Marchia Brandenburgensi dominati usque ad Henrici IV. tempora: ac tum SIGFRIDVM, ex Comitibus Stadensibus Henrici Boni filium, Marchionem Brandenburgensem renunciatum censent, (1) Quamquam quia Brandenburgensis Marchia adhuc in manibus Henetorum, Landesbergæ sedem fixit. (2) Vxorem ei jugunt Juditham Polonicam, quæ Brandenburgi sepulta sit, marito Pegavii humato. (3)

(1) De hoc Sigfrido Marchione ejusque gestis legendi ADAMVS BREM. *lib. 2. p. 57.* HELMOLDVS *lib. 1. cap. 15.* ALBERTVS STADENSIS *p. 164. a.*

(2) CHYTRÆVS *Saxon. lib. 1. p. 38.*

(3) W. JUSTVS: *Vxor Juditha filia Uladislai I. Ducis & postea Regis Bohemia & Polonia, sepulta Brandenburgi in medio templo Canonicorum, ipse vero sepultus in cœnobio S. Jacobi oppidi Pegavii.* REINECCIVS de Brandenburgo pag. 97. *In medio fere templo est lapis, in quo adhuc leguntur hac verba:* JUDITHA MARCHIONISSA GEMMA POLONORVM.

§. VIII.

Ex eadem Stadensium Comitum familia inclaruit

VDO

VDO I. Brandenburgensis Marchio: qui, si is est, quem Lambertus Schafnaburgensis memorat, anno CIƆCLVII. vivere desiit, relicto Vdone II. successore.*

(*) LAMBERTVS ad hunc annum: *Vto Marchio obiit, cui filius ejus junior successit.* DITMARVS quidem lib. II p. 35 *venerabilem* quendam (ut vocat) *Marchionem* Vtonem, tempore Ottonis II. memorat: qui alius procul dubio ab hoc nostro fuerit. Ceterum quia recentiores tradunt, Vdonem I. post interfectum ad Mersburgum Rudolphum Svevum, Henrico IV. oppositum, recepta ejectis Henetis Brandenburgo, & trans Albim quibusdam oppidis Marchiæ additis, veterem regiminis formam restituisse circa annum CIƆLXXX. ejusque obitum referunt in annum CIƆLXXXV. Vdoni a LAMBERTO laudato hæc non convenient. Vid. CHYTRÆI *Saxonia pag. 38.* W. JVSTVS *in Geneal. Brandeburg.* PETR. ALBINVS *in Chronico Misnia p. 408.* Id novimus ex ALBERTO STADENSI, Vdonem I. *qui factus est Marchio*, patrem habuisse *Luderum*, matrem *Adelheidam*, *Rudolphi Svevi amitam.*

§. IX.

VDO II. qui & Ludigerus vocabatur, Henrico IV. rebellis, ab eodem captus, (1) postquam filium obsidem dedisset, dimissus est. (2) Ejusdem Imp. permissu a Pribislao Henetorum principe marchia ejectum volunt. (3)
1106. Obiit Hertzfeldi prope Stadam anno CIƆCVI. (4)

(1) MARIANVS SCOTVS *ad an.* CIƆLXXV. *&* CIƆCLXXVII. HELMOLDVS *lib. 1. cap. 57.*

(2) LAMBERTVS an. CIƆLXXV. p. 222. *Vdo Marchio & Episcopus Merseburgensis & pauci alii nobiles Saxoniæ deditioni consenserunt: ex quibus Vdo Marchio dato pro se obside filio suo, statim deditione absolutus est.*

(3) W. JVSTVS *in Geneal.* CHRON. CARIONIS *lib. 4. p. 442.* CHYTRÆVS *d. l.*

(4) ALBERTVS STADENSIS p. 150. b: *Luidgerus Marchio, qui & Vdo,-- vehementi infirmitate repente cœpit laborare, deportatusque Hersenvelde, ibidem obiit.* P. ALBINVS *d. l.*

§. X.

§. X.

Vdo II. fratrem habuit RVDOLPHVM, filium autem HENRICVM. Rudolpho natus est VDO III. qui ultimi ex hac Stadensi familia Brandenburgenses fuere Marchiones. *

(*) Legendi de hac Stadensium Comitum familia ALBERTVS ABBAS STADENSIS *pag. 152. f. 174.* ALBERTVS KRANTZIVS *Saxoniæ lib. 6. cap. 5. & 6. Wandaliæ lib. 3. cap. 17.* Videantur etiam IRENICVS *Exeges. German. lib. 3. cap. 37.* W. JVSTVS *in Geneal. Brand.* PEVCERVS *in Chron. Carionis lib. 4. p. 369.* BROTVFIVS *lib. 2. cap. 4.*

§. XI.

Sic igitur Henricum V. OTTONI *Diviti* Marchion. Soltwedelensi ex antiqua familia Comitum Ascaniæ & Ballensteti oriundo, Magni Saxoniæ Ducis genero titulum & insignia Marchiæ Brandenburgensis contulisse tradunt. *

(*) Et hoc quidem tradunt W. IVSTVS, CHYTRÆUS, & alii: quod an veterum dictis confirmari queat, dubito. Non indigna tamen sunt lectu, quæ de hoc Ottone consignarunt HELMOLDUS *lib. 1. cap. 35.* LERBECIUS *in Chron. Comitum Schawenburgensium p. 17.* KRANTZIUS *Saxon. lib. 5. c. 25. & 36. Wandaliæ lib. 3. cap. 17.* PAULVS LANGIVS *in Chron. Citizensi pag. 785.*

§. XII.

Ottonis hujus filius ALBERTVS I. *Vrsus* (1) recuperata tandem oppressis Henetis Marchia, (2) a Friderico I. inauguratus est Mersburgi anno CIƆCLII. (3) Obiit circa 1152
annum CIƆCLXX. (4) ac Brandenburgi sepultus est. (5) 1170.

(1) De Alberto Vrso ejusque gestis legendi HELMOLDVS *lib. 1. cap. 35. 52. 54. 88. lib. 2. cap. 7.* OTTO FRISINGENSIS *lib. 7. Chron. c. 10.* ALBERTUS ABBAS STADENSIS *ad ann.* CIƆCLXXVI. *& seqq. pag. 156. seqq.*

seqq. Auctor CHRON. MONTIS-SERENI *ad ann.* CIƆCXXVIII. *& seqq. p. 7. 10. 21. 26. 27. 29.* LERBECIUS *pag. 11.* KRANTZIVS *Saxon. lib. 6. cap. 8. 15. 20. Wandalia lib. 3. cap. 38. 40. lib 4. c. 3. 14.* BROTUFIVS *Geneal. Anhaltina lib. 2. cap. 1. fol. 28. seqq.* ALBINVS *in Chron. Misnia pag. 409.*

(2) HELMOLDVS *lib. 1. cap. 88. In tempore illo Orientalem Slaviam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Vrsus, qui etiam propitio sibi Deo amplissime fortunatus est in funiculo sortis sua. Omnem etiam terram Brizanorum, Stoderanorum, multarumque gentium habitantium Havelam & Albiam misit sub jugum, & infrenavit rebelles eorum.* Quæ verbotenus exscribit KRANTZIVS *Wandal. lib. 4. c. 37.*

(3) Ita W. JUSTVS, CHYTRÆVS & DRESSERVS. Neque tamen OTTO FRISINGENSIS, HELMOLDVS & Auctor CHRONICI MONTIS-SERENI, qui comitiorum Mersburgensium meminere, hanc investituram memorant. Quid si autem jam anno CIƆCXLII. sub Conrado III. marchia Brandenburgensi fuisset auctus? Sic enim habet ALBERTVS STADENSIS: *Albertus Marchio revocatus est ingratiam Principum, & recepit omnia sua, Comitatum & Marcam.* At forte *Soltwedelensis* illa fuerit *marchia*, qua, nescio quibus de causis, excidit. Quod Albertus Vrsus a Pribislao Heneto Principe adoptatus, Brandenburgensem acceperit Marchiam, quæ est BROTUFII sententia *d. l.* W. JUSTI *de Francof. c. 2. p. 23.* PEUCERI *in Chron. Carionis lib. 4. p. 442.* P. BERTII *lib. 2. Rer. Germanicar. p. 321.* nondum apud vetustiores reperi.

(4) ALBERTVS STAD. ad d. an. *Albertus Marchio obiit.* Et ne alium putes, Chronicon MONTIS-SEREN. diserte vocat *Marchionem de Brandenburg.*

(5) W. JUSTVS *in Geneal.* qui perperam ejus obitum refert in annum CIƆCLXVIII. quod & facit BROTUFIVS *pag. 30.* qui tamen Ballensteti sepultum tradit. Confer ANGELVM *lib. 2. p. 89.*

§. XIII.

Albertus Vrsus præter *Sigfridum* Brandenburgensem Episcopum, post Bremensem Archiepiscopum, (1) filios

filios reliquit *Bernhardum* (2) & OTTONEM I. Ut autem a Bernhardo Electores Saxoniæ veteres, Duces Saxo-Lauenburgici, ac Principes Anhaltini descendunt; ita ab OTTONE familia Brandenburgensium Marchionum, qui per annos ferme ducentos marchiam gubernarunt, propagata est. (3)

(1) Vid. HELMOLDVS *l. 2. c. 23.* ARNOLDVS LUBEC. *lib. 3. c. 12.* ALBERTVS STAD. *ad ann.* CIƆCLXXIX. *p. 196. b. 197. b.* KRANTZIVS *Metropol. lib. 7. cap. 4.*

(2) De *Bernhardo in Historia Bardewicensi* egimus, & alibi id fiet accuratius.

(3) CHYTRÆVS *pag. 38.*

§. XIV.

Hic OTTO I. bello cum Canuto Daniæ Rege, (1) defunctus, decessit anno CIƆCXCVIII. (2) in monasterio Marchiæ mediæ Leninensi a se condito humatus. (3) Ex Anna (aliis Agnete) Saxonica filios reliquit quatuor, OTTONEM II. & ALBERTVM II. *Henricum* Marchionem Tangermundensem, Collegii Canonicorum Regularium. Stendalii fundatorem (4) anno CIƆCCXXXII. mortuum. (5) & *Didericum* Soltwedelensem (6) Marchiones. 1198.

(1) ARNOLDUS LUBEC. *lib. 6. cap. 9.* & ibidem HENR. BANGERTVS *in Notis p.* 462. KRANTZIVS *Saxon. lib. 7. c. 18. Wandalia lib. 6. c. 37.* JOH. ISACIVS PONTANVS *Histor. Danica lib. 6. p. 291. seqq.* BROIUFIVS *lib. 2. c. 6.* W. JUSTVS, ANGELVS *lib. 2. p. 90.* P. BERTIVS.

(2. 3. 4.) CHYTRÆVS *d. l.*

(5) W. JUSTVS: *Annales Stendalienses dicunt anno 1332. obiisse in Vigilia Epiphania Stendalia, postquam quatuor annos ibidem Canonicus fuisset, & sepultus in templo S. Nicolai.* Alii anno CIƆCXCII. decessisse volunt. Vide JUSTVM *in de Francofurto c. 4. p. 39.* ANGELVS habet an. --- XCVI. *l. 2. p. 94.*

(6) W. JUSTVS ex Theodorico quoque facit *Marchionem Tangermundensem.*

§. XV.

Patri autem successit OTTO II. (1) qui cum ex Anna Ascaniensi nullos suscepisset liberos, *Albertum* fratrem successorem designavit. (2) Obitus ejus refertur in an-
1206. num CIↃCCVI. (3) Humatus est Lenini. (4)

(1) Meminit hujus Ottonis LERBECIUS *in Chron. p. 24.* Neque tamen assentior Meibomianis *Notis p. 31.* ac si bellum cum Canuto Daniæ Rege, de quo proximâ thesi diximus, ab hoc Ottone II. primi filio gestum. Videatur de eo BROTUFIUS *lib. 2. cap. 7. fol. 40. b. seqq.*

(2) Recentiores scribunt, Albertum ab Ottone fratre bello captum, & in carcere aliquamdiu habitum sponte ab eodem liberatum.

(3) Ita W. JUSTUS. Alii, & in his SIGISMUNDUS a BIRCKEN referunt in an. CIↃCCV. W. JUSTI & hæc sunt: *Otto II. Eques auratus creatus anno 1179. a Henrico VI. Imperatore, cum quo Hierosolymam profectus contra Sarracenos.* Sed fac Ottonem equestri dignitate ab Henrico VI. ornatum; in Palæstinam cum Imp. proficisci non potuit: cum Imp. motibus Siculis impeditus expeditionem non susceperit. Quid? quod scribit ARNOLDUS *Chronici Slavor. lib. 5. cap. 1.* Othonem *Marchionem de Brandenburg ipsam peregrinationem non peregisse, sed per Dominum Papam dispensatione eam dimisisse.* Sequitur KRANTZIUS *Saxon. lib. 7. cap. 9.* Otto *Marchio Brandenburgensis apostolica postmodum voti commutatione domi substitit.* W. JUSTUS diem mortis addit *V. Julii.* Sed si cum Ottone IV. Imp. anno CIↃCCXV. obsedit Hamburgum (quod memorat KRANTZIUS *Saxon. lib. 7. cap. 36.*) diutius vixisse, necessum est. Neque enim ad Ottonem III. puto referenda.

(4) BROTUFIUS *d. l. fol. 41. a.* ex eo ANGELUS *lib. 2. p. 95.*

§. XVI.

Fratri igitur successit ALBERTUS II. Friderico II. gra-

gratissimus, (1) cui perpetuæ lites crebris excursionibus exercitæ fuerunt cum duobus Pomeraniæ Ducibus Bogislao II. & Barnimo I. Obiit anno CIↃCCXXI. sepultus in cœnobio Leninensi. (2) Uxorem habuit Mechtildam, majorem Conradi Lusatiæ Marchionis filiam, cum qua nuptias celebravit anno CIↃCCV. (3) Ex hac genuit *Johannem I. & Ottonem III.* ut & *Mechtildam* Ottoni I. Duci Brunswicensi nuptam, (4) *Annam*, Nicloti Principis Vandalorum, & *Beatricem*, Hermanni junioris (5) Thuringiæ Landgravii conjuges. (6) 1221.

(1) P. BERTIVS *p. 321.*

(2) BROTUFIVS, W. JUSTUS & ALBINVS.

(3) Auctor CHRON. MONTIS-SER. *Albertus Brandenburgensis Marchio filiam Conradi Marchionis Orientalis majorem (duas enim habebat) Mechtildem nomine, duxit uxorem: cujus nuptias Tidericus Comes de Summerschenburg in castro Groiz cum magna gloria & expensarum copia celebravit.*

(4) THEODORICVS ENGELHUSIVS *in Chronico p. 245.* BROTUFIVS *lib. 2. cap. 8. f. 41. a.*

(5) Ita W. JVSTVS. Verum de eo vel ob id dubites, quod hic Hermannus Thuringiæ Landgravius Ludovici & S. Elisabethæ filius anno ætatis XVIII. decesserit. Vid. AUCTOR de Landgraviis Thuringiæ *cap. 49.*

(6) BROTUFIVS addit *Hedwigem*, Ottoni Marchioni Misniæ nuptam.

§. XVII.

JOHANNES I. & OTTO III. fratres, qui per XL. annos communi aula & regimine usi, post divisionem instituentes (1) bello cum Alberto Archiepiscopo Magdeburgensi (2) Henrico Thuringiæ Landgravio (3) Barnimo II. & Vratislao Pomeraniæ Ducibus fuere distenti, ac partem Pomeraniæ occupantes, *Novam Marchiam* vocarunt. Res demum sic composita, ut Johanni Marchioni, ducta

Hedwige Barnimi I. filia, jura dotalitii manerent occupata in *Nova* & *Veteromarchia*. (4) His ita transactis inter utramque domum amicitia stabilita, in ejusque firmius vinculum Barnimus tertium nuptias meditans, Ottonis III. Marchionis filiam *Mechtildam*, sibi, & filio Bogislao IV. Johannis filiam *Agnetem* conjugio stabili junxit.

(1) W. JUSTUS *in Chron. Francof. cap. 2. p. 25.* BROTUFIUS *lib. 2. c. 9. fol. 44. a.* PHIL. JAC SPENERUS *in Sylloge Genealogico-Historica p. 762.*

(2) KRANTZIUS *Saxon. lib. 8. cap. 4.* BROTUFIUS pro eo substituit *Willebrandum.*

(3) FABRICIUS *Orig. Saxon. lib.. 6. p. 578.*

(4) JOH. MICRÆLIUS *lib. 3. Chron. Pomeran. parte I. num. 13. p. 314. seqq.* SPENERUS *p. 733.* & *762.*

(5) Idem. De expeditione Johannis in Prussiam vide PETRUM de DUSBURG *in Chron. Prussiæ parte III. cap. 76. p. 180.*

§. XVIII.

Hic JOANNES I. Francofurtum ad Viadrum ampli-
1253. avit, ac emporium constituit anno CIↃCCLIII. (1) item monasterium Franciscanorum Sehusæ condidit. (2) Anno
1266. CIↃCCLXVI. vita excessit. Sepultus in cœnobio Chorino a se condito. (3) Multam e tribus conjugibus, *Sophia*, Waldemari Daniæ Regis filia; *Sophia* Saxonica, Alberti Ducis filia; & *Hedwige* Pomeranica, prolem suscepit. Ex prima uxore geniti *Johannes II. Otto IV. Conradus I.* & *Ericus.* Media mater fuit *Alberti III. Henrici*, *Helenæ*, *Mechtildis* & *Agnetis.* Tertia *Tilonem* peperit. (4) Et *Helena* quidem Diterico Marchioni Misniæ, Henrici Illustris filio, Alberti Degeneris fratri; (5) *Mechtildis*, Christophoro I. Daniæ Regi; *Agnes*, (6) Bogislao IV. Pomeraniæ Duci (7) nupserunt.

(1) W. IVSTVS tum *in Geneal. Brandenb.* tum *in Chron. Francof.* ſic tamen ut *cap. II. p. 21. & V. p. 44.* non modo Johanni I. ſed & Ottoni III. tribuat: quod & facit BROTUFIVS *f. 30. p. 44.* SEBAST. MUNSTERVS *Coſmographia lib. 3. cap. 456. p. 1080.* DRESSERVS *de Germania Vrbibus pag. 251.* ZEILERVS *Itinerarii German. cap. 17. p. 180.* SPENERVS *p. 762.*

(2) W. JUSTVS. P. BERTIVS erronee vocat *Sebuſium.*

(3) W. JUSTVS & BROTVFIVS.

(4) Secuti hic ſumus partim W. JUSTVM, partim SPENERVM *p. 762. ſeqq.* Neque tamen in hac Genealogia omnia ſunt plana. Nam ſunt qui pauciores Johanni, & ex altero ac tertio conjugio nullos aſſignant liberos. *Tilonem* memorat KRANTZIVS *Saxon. lib. 8. cap. 34.*

(5) Fallitur ergo JOH. GARZON BONONIENSIS, qui uxorem fuiſſe dicit Friderici Admorſi, Alberti filii: & BROTUFIVS, qui Diterico (Tizmanno) Friderici hujus fratri jungit *lib. II. cap. IX. fol. 43. a.*

(6) W. JUSTVS hanc *Mechtildem* primum Friderico II. Imp. nuptam aſſerit. Unde id hauſerit, neſcio. Multum tamen de hoc connubio dubitaverim. De Mechtilde Friderici II. conjuge ita CUSPINIANUS: *Sextam ferunt habuiſſe Mechtildim, Johannis Regi Angliæ filiam, quam Pontificis diſpenſatione (quandoquidem affinitatis gradus alias obſtabat) accepit.*

(7) ANGELVS *lib. II. pag. 122.*

§ XIX.

Ceterum quia hoc ſtemma in duos præcipue ramos diviſum, prius quam de *Johannis I.* poſteris dixerimus, de *Ottonis III.* progenie diſpiciemus.

§. XX.

OTTO ille III. cognomento *Pius* & *Beneficus*, (1) oppidi Brandeburgi in Pruſſia, (2) & Strausbergenſis monaſte-

nasterii in media Marchia (3) conditor, bello cum Ludolpho Halberstadensi Episcopo captus, & in arce Langensteen detentus, non modica pecunia, & oppido Haldensleben se redemit: sed postea ipsum Episcopum ad Osterburgum captum carceri mancipavit. (4) Idem Willebrandum Archiepiscopum Magdeburgensem, Ludulphi socium bis fugavit, & ad pacem petendam adegit. (5) Eidem post Wilhelmum Comitem Hollandiæ regalis dignitas dicitur oblata, sed recusata. (6) Mortuum ferunt
1276. anno CIↃCCLXVII. (7) ac humatus est Strausbergæ. (8) Ex uxore *Beatrice* Primislai Ottocari Bohemiæ Regis filia (9) genuit *Johannem Pragensem*, *Albertum IV.* *Ottonem Longum*, *Ottonem Parvum*: item *Kunigundam*, *Mechtildem*, & *Agnetem*.

(1) *Pii* cognomen ei tribuunt W. JUSTUS & CHYTRÆUS. *Benefici* huic jungunt JOH. HENR. MEIBOMIUS *in Notis ad Henrici Rosla Herlingsbergam p. 37.* & SPENERUS *in Sylloge Geneal. p. 766.* HENRICO ROSLÆ audit *Totus Christicola, totus pietatis amator.*

(2) Factum id anno CIↃCCLXXVI. V. PETRI de DUSBURG *Chronicon Prussiæ parte III. cap. 120. 122. 124. p. 219. seqq.* WENCESL. HAGECIUS *Hist. Bohem. part. I. fol. 330. a.* ANGELUS *lib. II. pag. 107.* CHRISTOH. HARTKNOCH. *in Historia Prussica Germanice scripta parte II. cap. 3. pag. 399.* Ottonis expeditionis in Prussiam meminit Auctor additionum ad LAMBERTUM SCHAFNABURG. *ad ann.* CIↃCCLXV. p. 259. & ad eundem annum AUCTOR Compilationis Chronolog. PISTORIANUS p. 745. DUBRAVIUS *Histor. Bohem. lib. 17. p. 157. seqq.*

(3) W. JUSTUS. ANGELUS *lib. II. p. 105.* CHYTRÆI verba afferam: *Otto pius monasterium in oppido Strausberg fundavit, cujus ædificia ruinosa, & chorum templi marmoratis parietibus, tot Marchionum sepulchris olim insignem, nunc tecto nudatum, sub dio compluì & collabi, non sine gemitu superioribus annis conspexi.*

(4) KRANTZIUS *Saxon. lib. 8. cap. 20.* *Wandalia lib. 7. cap. 23.* PAULUS LANGIUS *in Chronico Citizensi pag. 814.* DUBRAVIUS *Historia Bohem. lib. 16. pag. 146.*

(5)

(5) KRANTZIUS *dictis locis.* SPANGENBERGIUS *in Chron. Saxon. cap.* 256. *p.* 439.
(6) MICRÆLIUS *Histor. Universal. lib. III. sect. XII.* SPENERUS *p. 766.*
(7) W. JUSTUS, ALBINUS, ANGELUS, BERTIUS & alii. Non sine causa dixi, *ferunt.* Nam si prælio ad Herlingsbergam interfuit, quod gestum anno CIƆCCLXXXVII. diutius vixisse, necessum est. Consule *Notas* MEIBOMII ad Roslæ *Herlingsbergam* paulo ante laudatas.
(8) W. JUSTUS.
(9) P. BERTIO audit *Beata.* ABRAHAM BZOVIUS *in Continuatione Annalium Baronii p.* 1032. vocat *Constantiam*, *Pramislai Poloniæ Regis sororem.* Hanc Beatricem putant Crevestanum in veteri Marchia cœnobium fundasse. V. ANGELUM l. 2. p. 115. PONTANUS huic Ottoni III. jungit Johannis Holsatiæ Comitis filiam. *l. VII. Hist. Dan. p.* 345.

§. XXI.

Ex his Ottonis III. filiis *Johannes* Pragæ educatus, & ob id *Pragensis* dictus, anno CIƆCCLXVIII. Mersburgi 1268.
in hastiludio fuit interemtus, (1) ac in cœnobio Chorino terræ mandatus. (2) *Otto* autem *Parvus*, qui sedem fixit Stargardiæ (3) ab excessu conjugis Hedwigis, filiæ Rudolphi Habspurgici Regis Germaniæ, (4) factus Templarius, ac dein monachus & subdiaconus Leninensis, anno CIƆCCCIV. vivere desiit, Lenini sepulcrum nactus. (5) Filiæ autem *Kunegunda*, Belæ Ungariæ Regis, (6) *Mechtildis*, Barnimi II. *Agnes*, primum Erici Regis Daniæ, post Johannis Comitis Holsatiæ (7); *Helena* Henrici Principis Anhaltini (8) factæ fuerunt conjuges.

(1) Annum hunc designant AUCTOR Addition. ad LAMBERTUM p. 259. AUCTOR *de Landgraviis Thuringiæ* cap. 64. p. 630. Sed sequentem Auctor *Chronica Australis Tomo I. Marq. Freheri.*
(2) W. JUSTUS, ANGELUS *lib. II. p. 107.*
(3) W. JUSTUS: qui & ob id *Principem Stargardensem* vocat.

(4) Vid. SIGISM. a BIRCKEN Oesterreichischer Ehren-Spiegel *lib. I. cap. IX. pag. 83. cap. XVI. p. 146.* SPENERVS *p. 767.* ubi monet, Frischlinum hunc Ottonem *Parvum* cum fratre Ottone *Longo* confundere.
(5) W. JUSTVS: & ex eo ANGELVS *lib. II. pag. 121.*
(6) Eidem nupta ann. CIϽCCLXIV. W. IVSTVS & SPENERVS *p. 766.*
(7) Iidem, PONTANUS autem *Hist. Dan. lib. VII.* Agnetam facit Alberti Marchionis filiam.
(8) JUSTVS, SPENERVS & BROTUFFIVS in *Genealogia Anhaltina.*

§. XXII.

ALBERTVS IV. Guntherum & Bernhardum Archiepiscopos Magdeburgenses contra patrueles juvit anno CIϽCCLXXVIII. (1) In Misnia prædas agens, ac Lucam
1278. obsidens victus est, (2) demum anno CIϽCCXCIV. vitam cum morte commutavit. (3) Ex *Mechtilde*, Christophori I. Daniæ Regis filia, quæ Strausbergæ sepulta, (4) tres genuit filios immatura morte extinctos: (5) item *Beatricem* Henrici Leonis, Meklenburgici Ducis conjugem, quæ Stargardensem terram dotis nomine marito attulit. Filia quoque ejus fuit *Agnes*, quæ Primislao II. Regi Poloniæ primum nupta, post Nicloto Puero Rostochiensi Domino desponsata. Hac temere repudiata, cum Otto Longus & Hermannus Agnetæ patrueles contumeliam familiæ illatam ulturi Rostochio bellum intentassent, Rostochienses Erici Daniæ Regis tutelæ se subjecerunt. (7)

(1) KRANTZIVS *Saxon. lib. VIII. cap. XXXI. Wandal. lib. VII. cap. 37.*
(2) SPENERVS p. 767.
(3) W. IVSTVS & SPENERVS.
(4) W. JVSTVS. Vide de hac Mechtilde PONTANUM *Hist. Danica lib. VII. p. 364.*
(5) An sunt illi, qui in Marienthalensi cœnobio sepulti cum hoc elogio?

His

Hic sunt sepulti Marckgravii filii culti
Otto, Conradus, Volradus, *tegmine petra*
Brandenburgenses requiescant pace perenni.

Vid. BUNTINGIUS *in Chron. Brunswicensi p. 363.* Sed W. JUSTUS, Soldini, oppido novæ Marchiæ, sepultos tradit.

(6) W. JUSTUS, ANGELUS *lib. II. p. 115.*

(7) KRANTZIUS *Wandal. lib. VII. cap. XLV.* JOH. POSSELIUS *Orat. de urbe Rostochio p. 19.* CHYTRÆUS *Sax. lib. I. pag. 38. lib. V. p. 133.*

§. XXIII.

Otto *Longus*, Alberti IV. frater, Wenceslai II. Bohemiæ Regis tutor, (1) *novam Marchiam*, quæ in Cruciferorum Prussorum manus venerat, redemit: (2) sed propter illam bellum cum Polonis gessit. (3) Abiit e vita anno CIƆCCXCVIII. sepultus in cœnobio Leninensi. (4) Vxores 1298.
habuit, primo quidem *Catharinam*, Primislai III. Bohemi filiam, (5) deinde *Juditham*, Hermanno Comite Hennebergensi natam. (6) Ex hac genuit *Ottonem magnum*, qui post *Hedwigis* (quidam vocant *Annam*) Henrici Pingvis, Ducis Lignicensis filiæ obitum, Magister Ordinis Johanniti Rhodiensis factus: (7) *Hermannum Longum*, de quo mox dicemus: *Albertum*, Comitis cujusdam Ascaniensis maritum: (8) *Guntherum*, Marchionem Wolmerstadiensem, anno CIƆCCXCI. mortuum: (9) item *Beatricem*, Boleslai Calvi Ducis Lignicensis; (10) *Juditham*, Rudolphi Saxoniæ Ducis, & Electoris; (11) *Mechtildem*, (aliis *Agnetem*) Henrici Probi, Vratislaviensium Ducis, (12) conjuges: & *Kunigundam* monialem, anno CIƆCCCXVII. mortuam, ac Berolini sepultam. (13)

(1) V. HAGECIUS *Hist. Bohem. Part. I. fol. 339. seqq.* DUBRAVIUS *Hist. Bojem. lib. XVII. p. 166.* ANGELUS *lib. II. p. 119.* BOHUSLAI BALBINI *Epitome Rer. Boh. lib. III. c. XV. & XVI. pag. 292. seqq.* ubi graviter invehitur in hunc Ottonem.

(2) W. JUSTUS *in Geneal.* CYR. SPANGENBERGIUS *Geneal. Henneberg. lib. II. cap. 32. p. 120.* & SPENERUS *pag. 767.* id factum dicunt an. CIↃCCXC.

(3) De bello Ottonis Longi cum Polonis, vid. MATTH. a MICHOVIA *Chron. Polon. lib. III. cap. 52. p. 108.* CROMERUS *Hist. Polon. lib. IX. p. 558.* JOACH. PASTORIUS *Flori Polon. lib. II. cap. 13. p. 89. 90.* HENDRICHIUS *in Rebus Marchicis cap. V.* Videtur hæc tangere *Auctor.* Chron. Slavici ab Erpoldo Lindenbrogio editus ad annum CIↃCCLXXXVI. *Qui Marchiones* (Brandenburgenses) inquit, *dictam terram cum exercitu magno eam intrantes contra Regem Poloniæ, Rege jam in Polonia interfecto, per ipsos sibi subjecerunt.* Neque tamen capio, quod idem Auctor scribat: *Cruciferos de domo Teutonica a Marchionibus Brandenburgensibus terram Prutziæ fertilem & populosam pro magna summa pecuniæ emisse.*

(4) W. JUSTUS *in Geneal.* SPANGENB. *d. l.*

(5) *Catzelinam* vocant BROTUFIUS, W. JUSTUS, SPANGENBERGIUS & SPENERUS. Hanc plerique improlem fuisse tradunt. Sed SPENERUS p. 767. annotavit, aliquos ea natam perhibere *Beatricem*, uxorem Casimiri, Ducis Teschinii, vel Boleslai Ducis Svidnicii.

(6) SPANGENBERGIUS *d. l.* Male igitur BROTUFIUS & W. JUSTUS ejus patrem vocant *Hartmannum.*

(7) Ita W. JUSTUS & REUSNERUS. Perperam BROTUFIUS, & alii ex eo faciunt *Magistrum Ordinis Theutonici.*

(8) W. JUSTUS & SPENERUS.

(9) W. JUSTUS, SPANGENB. & SPENERUS.

(10) Hanc *Beatricem* omittunt SPANGENB. & SPENERUS: sed memorat W. JUSTUS.

(11) Hæc mortua anno CIↃCCCXXVIII. (Spangenb. *in Geneal. Henneb.* biennio post:) IX. Maji, Wittebergæ sepulta. ANGELUS *lib. II. pag. 136.*

(12) Quæ ei nupta anno CIↃCCCXXVIII. W. JUSTUS, JOACH. CUREUS tamen *Annal. Silesiæ p. 82.* hanc Henrici Probi uxorem ignorat.

§. XXXIV.

HERMANNUS *Longus*, (1) Ottonis *Longi* filius bella contra

contra Bohemos gessit. (2) Huic avunculus Poppo Comes Hennebergicus multa in Franconia concessit. (3) Vita functus in expeditione contra Wendos anno CIↃCCCVIII, in cœnobio Lenini depositus est. (4) Ex *Anna* Austriaca, Alberti I. Imp. filia, quæ marito mortuo in Henrici Ducis Vratislaviensis manum venit, (5) præter *Johannem Illustrem*, genuit *Brigittam*, sive *Juttam*, Bertholdi Comitis Hennebergici conjugem. (6) *Agnetem*, Woldemari I. Electoris Brandeb. (7) *Mechtildem*, Henrici, Ducis Glogoviensis, cognomento *Felicis* (*Ferreum* alii appellant) (8) *Annam*, Ottonis Comitis Hennebergensis, (9) uxores.

(1) Longi cognomen ei tribuunt SIFFRIDUS MISNENSIS, *Chron. lib. II. p. 703.* SPENERUS. p. 768. SIGISM. a BIRCKEN.

(2) SIFFRIDUS *d. l.*

(3) SPANGENB. *in Chron. Henneb. lib. II. cap. XXXIII. p. 121.* ubi docet, ipsum supra *Marchionis Brandenburgensis*, etiam titulo *Ducis Franconiæ* usum, ac gallinam quoque Hennebergicam rubræ aquilæ in insignibus subdidisse.

(4) BROTUFIUS, SPANGENB. & JUSTUS.

(5) Duxit eam Hermannus anno CIↃCCXCV. ut habet *Auctor* Chron. Australis *Tom. I. Freheri p. 326.* Errat ALBERTUS ARGENTINENSIS *in Chron. p. 111.* pro Hermanno *Waldemarum* sufficiens. *Anna* hæc sequenti usa titulo: *Anna Dei gratia Brandenburgensis & Lusatiæ Marchionissa, Dominaque de Henneberg.* SPANGENBERGIUS eam postea *Henrico D. Vratislaviensi* nupsisse tradit: pro quo *Boleslaum II.* male substituit W. JUSTUS. De hac Anna Austriaca legendus omnino SIGISM. a BIRKEN Østerr. Ehren-Spiegel *lib. II. cap. X. p. 249.*

(6) Vid. SPANGENB. *Geneal. Henneb. lib. II. cap. XXIII. p. 122. & lib. V. cap. IX. p. 194.* BROTUFIUM *Geneal. Anhalt. lib. II. cap. IX. fol. 47. a.* RENSCHIUM im Brandenb. Ceder-Hein *p. 319.*

(7) W. JUSTUS.

(8) *Felicis* cognomen JUSTUS, *Ferrei* habet SPENERUS. CURÆUS tamen

men *in Hist. Silesiaca part. I. p. 92. 93.* hanc Mechtildem Alberti Brunswicensis filiam fuisse asserit.

(9) REUSNERUS *in Geneal.* De quo tamen dubitat SPANGENBERGIUS. SPENERUS monet, aliis hanc *Abbatissam dici, & mortalitatem exuisse* an. CIↃCCCLVIII.

§. XXV.

1306. JOHANNES *Illustris* anno CIↃCCCVI. vivo patre ab Ottone Duce Stetini victus, ægre evasit. (1) Mortuus est
1312. in vigilia Dominicæ Palmarum, anno CIↃCCCXII. ac Lenini sepultus: ex *Catharina* Henrici Ferrei Ducis Saganensis filia, (quæ dein Johanni Comiti Holsatiæ nupsit) (2) nullis susceptis liberis: adeo hanc ipsam Marchionum Brandenburgensium lineam clausit. (3) Ab ejus obitu Franconica per *Brigittam* sororem domui Hennebergicæ restituta sunt. (4)

(1) SPANGENBERGIUS *in Geneal. Henneb. lib. II. cap. XXXIII. p. 122.*

(2) W. JUSTUS, ANGELUS *lib. II. p. 126.*

(3) BROTUFIUS, SPANGENB. ANGELUS. Mirum qui JUSTUS hunc Johannem Illustrem non *Hermanni* nostri, sed *Johannis IV.* faciat filium.

(4) SPANGENBERGIUS & SPENERUS.

§. XXVI.

Et tantum quidem de Ottonis III. *Pii* progenie. Nunc ad *Johannem I.* ejusque posteros progredimur. Johanni I. filios fuisse diximus *Johannem II. Ottonem IV. Conradum I. Ericum & Albertum III.*

IOHANNIS II. favorem ambiebant Silesii, inprimis Vratislavienses, ulturi injuriam a Boleslao *Calvo* seu *Saevo*, Principe Lignicensi illatam: & quoniam bello gerendo sumtus requirebantur, ut Principem suum Henricum Probum

Probum a Boleslao captum liberarent; terram Krosnensem pro aureorum quatuor millibus oppignorarunt, ea præcipue conditione, ne Boleslao suppetias ferret. Finito bello Krosnam reddidit Henrico Probo, postquam aureorum sex millia solvisset. (1) Condidit Johannes Minoritarum cœnobium Primislaviæ (Prentzlau) in Ukeromarchia. (2) Obiit an. CIↃCCLXXXV. Chorini apud Patrem sepultus. (3) Uxores habuit duas: *Hedwigem*, Nicloti Vandalorum Principis filiam, an. CIↃCCLXXXI. mortuum. (4) & *Helenam*, Diterici Misniæ Marchionis filiam. (5) Triga filiorum, *Albertus*, *Henricus* & *Conradus* ante patrem decessere. (6) Ex his *Albertus* Ducibus Pomeraniæ partem provinciæ, qua Stargardia versus Poloniam & Neomarchiam extenditur, eripuit; sed pacis amore reddidit. (7) An matrimonio fuerint innexi, non reperio. Certe genealogia Johannis II, ultra non extenditur. (8)

(1) MATTHÆUS a MICHOVIA *lib. III. Chron. Polon. cap. LVII.* CURÆUS *in Historia Silesia p. 84.* RENTSCHIUS im Cedernhein *cap. IV. p. 123.*

(2) W. JUSTUS.

(3) BROTUFIUS *in Geneal. Anhaltina lib. II. c. IX. fol. 42. b.* ponit annum hujus sæc. LXXXI. at w. JUSTUS, ANGELUS & SPENERUS illum in thesi laudatum. KRANTZIUS *Wandal. lib. VII. c. XLIX.* scribit, *ipsum in molitione arcis Stargardensis vitam finivisse: & germanum ejus Ottonem rem a fratre inchoatam consummasse:* nisi forte hæc aliorsum pertinuerint. Nam Johanni & Ottoni fratrem assignat *Woldemarum.*

(4) BROTUFIUS & w. JUSTUS. Ille etiam *Garburgam* vocat.

(5) SPENERUS, p. 703. *Fridericum* vocat w. JUSTUS.

(6) Omittit hos filios w. JUSTUS: sed nominat SPENERUS.

(7) Vid. MICRÆLIUS *in Hist. Pomeran.*

(8) *W.* JUSTUS ei quoque tribuit *Mechtildem* filiam, uxorem tertiam Ottonis IV. Imp. Sed præter *Beatricem* Suevicam & *Ma-*

riam

riam Brabantinam non aliam reperimus Ottonis IV. conjugem.

§. XXVII.

Fratri igitur successit OTTO IV. *Sagittarius*, sive *cum telo*, idcirco dictus, quod in obsidione Stasfordiæ sagitta caput ictus, toto anno eandem omnibus conspicuam in vulnere circumtulerit. (1) Hic inprimis Wenceslao Bohemiæ Regi auctor fuit invadendæ Poloniæ: quod tam feliciter processit, ut Primislaus in bacchanalibus opprimeretur. (2) Ac tum Marchiones Brandenburgenses commodis suis intenti magnam Poloniæ finitimæ partem ad novam Marchiam protraxere. Boleslai quoque Masoviæ Ducis Primislaum ulturi conatus fregere. Otto hic Cilanam arcem in ditione Sternbergica a Polonis eversam instauravit, (3) & Minoritarum cœnobium Paswalcæ in Pomerania fundavit. (4) Templini in Marchia decessit
1308. anno CIƆCCCVIII. (5) Nullos ex *Heilwige* Iohannis Holsatiæ Comitis filia (6) reliquit liberos. Successit ei frater *Conradus*.

(1) Otto *cum telo*, (der Marggraf mit dem Pfeil) vocatur a SVFFRIDO MISNENSI p. 703. De eo HENRICVS ROSLA: *Marchio magnanimus signatus arundine frontem.* A KRANTZIO *Wandal. lib. VII. cap. 37.* CVSPINIANO *in Adolpho Imp. pag. 356.* SPANGENBERGIO *cap. 265.* male hoc ad Iohannem Marchionem refertur.

(2) KRANTZIVS *Wandal. lib. VII. cap. 40.* HAGECIVS *Histor. Bohem. part. I. fol. 355. b.* DVBRAVIVS *Hist. Bojem. lib. XVIII. pag. 173.* CROMERVS *Histor. Polon. lib. XI. p. 573.* BZOVIVS *ad ann.* CIƆCCXCV. *num. XX.* IOACH. PASTORIVS *Flori Polonici lib. II. cap. XV. pag. 91.* HARTKNOCHIVS *de Rep. Polon. lib. I. cap. V. pag. 85.* ubi tamen hæc ad Ottonem *Longum* referuntur.

(3) *W.* IVSTVS.

(4) BROTVFIVS *lib. II. cap. X. fol. 48. b.* w. IVSTVS.

(5) Hoc ex antiquorum monumentis designat ABRAH. BVCHOLZERVS

ZERUS *in Chronologia*: eundemque annum habet BROTUFIUS: sed Bernwaldi mortuum, & Chorini sepultum tradit. In loco mortis & sepulturæ consentit W. JUSTUS: cui tamen, ut & SPENERO, ac SIGISM. a BIRKEN annus emortualis est CIↃCCXCVIII.

(6) *Heilwigen* nominavimus Ottonis uxorem, secuti fidem diplomatis Gerhardi & Johannis, Holsatiæ Comitum ab H. MEIBOMIO allati *in Notis ad Lerbecium p. 69.* BROTUFIUS vocat *Elisabam*, W. JUSTUS *Zillekam*, SPENERUS *Elisabetham*.

§. XXVIII.

ERICUS Johannis I. filius, Coloniensis & Halberstadiensis Canonicus, idemque major Præpositus Magdeburgensis, post Conradi Sternbergensis obitum anno CIↃCCLXXVIII. a parte Canonicorum electus Archiepiscopus, una cum æmulo Bussone, Dynasta Querfurtensi votis excidit. Nam atrox, quod inde natum fuit bellum, ita est compositum, ut uterque accepta pecunia sponte cederet *Gunthero*, Comiti de Swalenberg. (1) Hanc contumeliam Erico fratri, ut putabant, illatam Johannes & Otto ulturi, bellum adversus Guntherum renovarunt: quo Otto captus, & Magdeburgum abductus, septingentis marcis se redemit. (2) Guntherus autem Marchionibus denuo litem moventibus, pedum deposuit, quod per Canonicorum suffragia recepit *Bernhardus*, Comes de Welpa: qui itidem a Marchionibus exagitatus an. CIↃCCLXXXII. obiit. (3) Sic igitur voti compos factus est Ericus: sed civibus admodum indignantibus, quos per proxima bella non parum afflixerat. Vix urbem intraverat, cum illico in eum insurgerent cives, ut prope jam circumventus ægre cymba aufugerit Wolmerstadium. (4) Postea tamen humanitate & beneficentia non parum sibi eos conciliavit. (5) Hujus rei fructum est expertus singularem, quando Herlingsbergam contra Henricum Morosum (*mirabilem*

vulgo vocant) profectus, re infeliciter gesta ab eodem caperetur anno CIϽCCLXXXIV. Etenim nec fratres, nec Canonici de illo liberando multum fuere solliciti: soli cives ære viritim collato quingentis illum argenti marcis redemerunt. (6) Nec melior ei fortuna fuit in obsidione arcis Neo-Gaterslebiensis. Nam cum durante illa cum Ducibus suis Calbam concessisset, oppidani eruptionem facientes, multos in urbem abduxerunt captivos: quos ut redimeret Ericus, Lusatiam oppignorare compulsus est. (7) A. CIϽCCXCI. Rudolphi Regis Comitiis Erfurti celebratis adfuit. (8) Anno CIϽCCXCI. obsidionem & excidium Herlingsbergæ cum civibus suis promovit. (9) Sub hoc Erico Burggraviatus Magdeburgicus ab Alberto III. Saxoniæ Electore civitati oppignoratus postea in manus venit Capituli. (10) Ipse autem Ericus vivendi finem fecit anno CIϽCCXCV. (11)

(1) KRANTZIUS *Metropol. lib. VIII. cap. 38.* qui hic & alibi perperam ex Gunthero facit *Comitem Schwartzburgensem.* Geminus error est W. JUSTI *in Geneal. Brandenb.* SPANGENBERGIUS *Chron. Querfurtensis lib. IV. c. VII. pag. 340.*

(3) KRANZIUS *Sax. lib. VIII. cap. 32. Wandalia lib. VIII. cap. 37. seqq. Metropol. d. l. & cap. XLI.* BROTUFFIUS *Geneal. Anhaltin. lib. II. cap. X. fol. 48. b.* SPANGENBERG. *lib. III. cap. XXVI. p. 313.* HENR. BÜNTINGIUS *in Chron. Brunswicensi fol. 99. b.* ANDR. ANGELUS *lib. II. pag. 111.* ex quibus patebit, in summa lytri non convenire Scriptores. (3) KRANTZIUS *in Sax. & Wandalia* *Centuriatores Magdeburgici.*

(4) Per cloacam se demisisse non nulli scribunt.

(5) KRANTZIUS *Wand. lib. VII. c. 38. Metropol. lib. VIII. cap. 48.*

(6) Hæc fere verba KRANTZII *in Wandalia.* Vide JOH. HENR. MEIBOMII *Notas ad Rosla Herlingsbergam p. 34. 38.*

(7) KRANTZIUS *in Metrop. & Wandalia:* SPENERUS *p. 763.* quod tamen non nisi de parte Lusatiæ capiendum.

(8) Con-

(8) Continuator LAMBERTI SCHAFNAB. *ad hunc annum p. 260.* KRANTZIVS *lib. VIII. c. 34.*

(9) MEIBOMIVS *d. l. p. 22.*

(10) *Auctor* discursus von den Reichsvoigtheyen *p. 127. 128.* BENJAMIN LEUBERVS *de Stapula Saxonica num. CVI. seqq.*

(11) PAULVS LANGIVS *in Chron. Citiz. pag. 819.* W. JVSTVS, SPENERVS.

§. XXIX.

ALBERTVS III. & ipse Johannis I. filius prælio Herlingsbergensi interfuit anno CIↃCCLXXXIII (1) eodemque anno improlis obiit: (2) incertum an in hoc prælio. (3)

(1) HENR. ROSLA: ad quem vide *Notas Meibomianas pag. 37.*

(2) W. JUSTVS *Henningesius in Genealogicis.* SPENERVS habet annum antecedentem.

(3) Quod tamen putat REUSNERVS.

§. XXX.

CONRADVS I. Johannis I. filius, bellator acerrimus, (1) Dantiscum a Wratislao Cassubiæ & Vandalorum in ulteriori Pomerania Principe e vinculis Mestevini fratris elapso hypothecæ nomine acceperat: quod Mestevinum offendit, qui Conrado sumtus restituens Dantiscum recepit. (2) Episcopum Brandenburgensem una cum Ottone fratre afflixit, sed postea insigni liberalitate eum demulsit. (3) Valde senex anno 1304. in oppido Sveti decessit, sepultus in monasterio Chorino. (4) Vxores ei assignant quatuor: I. *Constantiam*, gnatam Primislai Posnaniæ Ducis in Polonia. (5) II. *Brigittam*, filiam Diterici II. Marchionis Misniæ. (6) III. *Sophiam*, Erico VIII. Regi Daniæ genitam. IV. Nobilem Sandaviensem vel Staudensem. Ex *Sophia* filios suscepit quatuor: *Johannem III. Woldema-*

rum I. Conradum II. & Ottonem. Ex Nobili Sandaviensi sustulit *Hermannum* & *Henricum sine terra*. (7) Filias etiam habuit tres: *Agnetem*, Ottonis Ducis Brunswicensis, filii Alberti Gottingensis, conjugem: *Gertrudem*, Friderico Burggravio Norimbergensi nuptam: (8) *Elisabetham*, Alberti Senioris, Principis Anhaltini uxorem. (9)

(1) Hoc elogium ei tribuit W. JUSTUS.

(2) ANASTASIUS PROBUS *in Clave Historico-Politica Electoratus Brandenburgici pag. 58.* ex Andrea Angelo. De Marchionum Brandenb. hoc tempore gestis cum Dantiscanis vid. MATTH. a MICHOVIA *Chron. Polon. lib. IV. cap. VI. p. 138. seqq.* CROMERUS *lib. IX. p. 559.*

(3) BROTUFIUS *lib. II. cap. XI. fol. 49. b.*

(4) *Idem* W. JUSTUS & ANGELUS.

(5) CROMERUS *Hist. Polon. lib. IX. p. 557.* Hanc uxorem ei terram ad Wartam pro dote attulisse, scribit BROTUFIUS, quod & tangit SPENERUS *pag. 764.*

(6) *Brigittam* omittit BROTUFIUS.

(7) BROTUFIUS addit tertium filium in pueritia mortuum, cujus nomen ignorat. Sed forte est *Fridericus* a W. JUSTO memoratus, qui eum *in cunabulis obiisse* scribit.

(8) Ab hujus obitu BROTUFIUS eam nupsisse ait *Ordulpho* Saxoniæ Duci. At nullus tum erat Dux Saxoniæ hoc nomine illustris.

(9) Habet illam SPENERUS *p. 764.* tacent BROTUFIUS & W. JUSTUS.

§. XXXIV.

Conradus Conradi filius, eques Ordinis Teutonici in Prussia factus, (1) anno 1283. exspiravit. *Otto* uxorem duxit *Helenam*, Wilhelmi Ducis Brunswicensis filiam: postea Ordini Templariorum nomen dedit, ac curiam suam habuit in oppido Cilensi ditionis Sternbergicæ, mortuus Templini anno 1308. (2) *Hermannus*, Episcopus Havelbergensis orbi valedixit ann. 1273. (3) *Henricus* cum conjuge

juge Agnete Sangerhusam & nonnulla alia accepit: quibus exutus *Marchio sine terra* plerumque solitus est appellari, (4) Obiit anno CIOCCCXIII. (aliis, quinquennio post) 1313.
præter ceteros filios (5) relictis *Woldemaro II.* & *Johanne IV*, ultimis hujus lineæ Marchionibus ac Electoribus Brandenburgensibus: itemque *Agnete* (aliis *Sophia*) filia, quæ *Magno* Duci Brunswicensi Sangerhusana & Landsbergam attulit. (6)

(1) Ita BROTUFIUS: Sed W. JUSTUS *insertum* ait *S. Johannis Ordini Rhodiensi*. Certe *Magister Ordinis Teutonici* non fuit: quod non nemo asserit, ac jam tum id confutavit ANGELUS p. 113.

(2) Hanc de *Ottone* notitiam debemus W. JUSTO *in Geneal. Brandenb.* Confer BROTUFIUM *lib. II. c. XII. fol. 50. a.* ANGELUM *lib. II. pag. 122.* SIGISM. a BIRKEN ejus obitum refert in ann. 1318.

(3) *Hermannum* Episc. tacet W. JUSTUS: contra ex eo facit Johannis I. filium. Alium Hermannum ann. 1318. mortuum memorat ANGELUS p. 127.

(4) W. JUSTUS hunc *Henricum sine terra* non Conradi, sed Johannis I. facit filium. Rectius BROTUFIUS & SPENERUS. SPANGENBERG. quidem *Chron. Saxon. cap. CCLV.* & ZACH. RIVANDER *Chron. Thuringici pag. 297.* Johannem & Ottonem III. Pium jam Sangerhusam cum aliis ad Sylvam Hartzicam bonis anno 1231. accepisse tradunt: sed quomodo id sit factum, non explicant.

(5) Plures filios Henricum habuisse necessum est, si (quod affirmat CHYTRÆUS) Woldemarus post sex fratres ante se defunctos decessit. Quod si autem idem est *Henricus*, qui Friderico Pulchro Austriaco contra Ludovicum V. Bavarum electo favit, adhuc vixit anno 1314. Vide ejus diploma a SIGISM. a BIRKEN *lib. III. cap. II. p. 269.* allatum, in quo se nominat *Brandenburgensem & Landesbergensem Marchionem*.

(6) Vid. GUILIELMUS BUDÆUS, Medicus *in vita Alberti II. Episcopi Halberstadensis pag. 17.* BUNTINGIUS *in Chron. Brunsw. fol. 103. b.* HENRICUS ECKSTORMIUS *in Chron. Walckenredensi pag. 60.*

§. XXXII.

Restat ut dicamus de IOHANNE III. & WOLDEMARO I. Conradi I. filiis. IOHANNI bellum intercessit cum Friderico Admorso & Diterico fratribus Misniæ Marchionibus, quorum patri Alberto Degeneri filios hæreditate privaturo ferebat opem: (1) dissensio tamen pactis utrinque tolerabilibus sublata: Johanne anno 1305. Sandaviæ mortuo, nullis ex uxore Cattimelibocensi relictis liberis. (2)

(1) Vid. *Auctor* de Landgraviis Thuringiæ *cap. LXXXVI. p. 936.* SPANGENBERGIUS *Chron. Saxon. cap. CCLXX. p. 456. seqq.* ANGELUS *lib. II. p. 115. seqq.*

(2) BROTUFIUS *lib. II. cap. XII. fol. 56. a.* ANGELUS *p. 121.* SPENERUS *p. 764.* Mirum igitur, qui W. JUSTUS ei tribuat *Johannem Illustrem*; de quo diximus §. 25.

§. XXXIII.

Postea inter WOLDEMARUM I. & Fridericum Admorsum recruduit bellum: quo tandem Fridericus captus tamdiu fuit detentus, donec scripto diplomate oppidis aliquot renunciaret. Huic fidem adhibere negabant Proceres, nisi Principis voluntatem coram cognoscerent. Hunc adductum, vi armata Brandenburgensibus extorsere Misnenses, quorum duces Rehefeldii familiæ suæ Löseriorum nomen intulere. Captus etiam Albertus Anhaltinus pacta Elisabetha sponsa Friderici filia carere necessum habuit. (1) Woldemarus porro bellum gessit cum Rudolpho Saxoniæ Electore, a quo victus cum a Briezensibus reciperetur, iis *Fidelium* cognomen dedit. (2) Etiam cum Meklenburgensibus ad Stargardiam gravi prælio certavit, & Misniæ Marchionibus Lusatiam ademit. (3) Porro fratribus bellum fuit cum Ottone Duce Pomeraniæ,

summa

summa primum celeritate ac felicitate, quæ postea inclinavit, gestum, multaque Pomeranis erepta, restituta sunt. (4) An per se, an per legatum in Regem elegerit Ludovicum V. (IV.) Bavarum, nondum liquido constat. (5) Tandem Woldemarus I. anno CIƆCCCXIX. sub initium 1319.
belli Danici vita concessit. (6) Sepultus in cœnobio Chorino. (7) Ex *Agnete* Hermanni Longi filia genuit *Hedwigem*, Henrici Iunioris Ducis Brunswicensis uxorem, (8) & *Catharinam*, primo Magno Torquato, dein Alberto Saxoniæ Duci nuptam.

(1) AUCTOR *Additionum ad Lambertum anno* CIƆCCCXII. *p. 263.* AUCTOR *Historia Landgrav. Thuringia cap. LXXXVI. p. 936.* BROTUFIUS *Geneal. Anhalt. lib. II. c. XIII. fol. 51. a.* CHRONIC. CARIONIS *lib. V. pag. 559.* FABRICIUS *Orig. Sax. lib. VI. p. 631.* SPANGENBERGIUS *Chron. Saxon. cap. 279. p. 474.* RIVANDER *in Chron. Thuring. p. 380.* ANGELUS *lib. II. p. 124. seqq.*

(2) BROTUFIUS *d. l.* Alii hoc cognomen ad Ludovici Bavari junioris tempora referunt. Vid. HENDRICHIUS *in Marchicis.*

(3) De Lusatia inferiori id accipit SPENERUS *pag. 764.* Confer ea quæ diximus *in Historia Lusatica* ante hoc novennium edita §. 41. seqq. & ALBINUM *in Chron. Misnensi tit. XX. p. 253.*

(4) Vid. Scriptores *Hist. Pomeranica*, inprimis MICRÆLIUS.

(5) Pluribus de eo disquirunt GEORGIUS HERWARTUS in Ludovico IV. contra Bzovium defenso, & SIGISM. a BIRKEN im Oesterreich. Ehren-Spiegel *lib. III. cap. II. pag. 267. seqq.* ubi putat hæc ad Woldemarum II. referenda.

(6) KRANTZIUS *Wandal. lib. VIII. cap. III.* ANGELUS *lib. II. p. 127.*

(7) ALBERTUS ARGENTINENSIS *in Chron. pag. 121.* NAUCLERUS *in Chronogr.* PONTANUS *Hist. Danica lib. VII. p. 427.* qui tamen male hunc Woldemarum pro postremo stirpis Anhaltinæ Marchione venditat: in quem lapidem & alii impegere. BROTUFIUS *d. l.* W. JUSTUS.

(8) *Hedwigem* vocavimus, secuti JOH. LETZNERUM *Chronici Dasseliani lib. III.*

lib. III. cap. XVII. fol. 62. a. W. JUSTUS & SPENERUS vocant *Helenam*. BROTUFIUS autem *Helenam* Magno Torquato, *Catharinam* Henrico sociat: ac porro fallitur quando Magnum & Henricum pro fratribus venditat.

§. XXXIV.

Quod igitur Johannes III. omni, Woldemarus mascula careret prole, hæreditas cum Electorali dignitate pervenit ad WOLDEMARUM II. & JOHANNEM IV. Henrici *sine terra* filios.

§. XXXV.

WOLDEMARUS II. implicitus fuit bellis Meklenburgicis, quæ ex castellis Warnemundanis originem traxere. Opem Woldemaro ferebant Otto & Woldemarus Pomeraniæ Duces, a quibus Witzlaus, Princeps Rugiæ, sub Erici VII. Daniæ Regis, & sociorum, Henrici Meklenburgici, Gerhardi & Johannis Holsatiæ Comitum signis militans, pacem petere, & conditionibus pro victorum arbitrio latis acquiescere cogitur. At Witzlaus vindictæ cupidus, Erico Regi se denuo sacramento obstringens, Stralsundam Brandenburgensi Marchioni fœdere junctam gravi obsidione premit. *Deo vero urbem protegente* (quæ verba sunt CHYTRÆI 1.) *consilia hostium & robur cordium langvefaciente, terribilis illa Regum & Principum conjuncta expeditio, quæ tantam universi Arctoi orbis de se exspectationem concitarat, in fumum tandem abiit.* Obiit autem Woldema-
1332. rus anno CIↃCCCXXII. Primislaviæ sepultus. (2) nullos relinquens liberos.

(1) *Saxonia lib. I. pag. 135.* Confer KRANTZIUM *Wandal. lib. VIII. cap. V. Saxon. lib. IX. cap. 34.* PONTANUM *Histor. Dan. lib. VII. p. 417.*

(2) BROTUFIUS *lib. II. c. XI. f. 94. b.* & *c. XIV. f. 51. b.* CHYTRÆUS *p. 38.*

p. 38. W. JUSTUS: qui tamen sibi non constat in genealogia Woldemarorum. Nam ex nostro facit Woldemarum I.

§. XXXVI.

Woldemarum quatuordecim diebus post secutus frater JOHANNES IV. (1) qui cum ex duabus uxoribus *Ingelburga* (2) Meklenburgica & *Helena* Lusatica (3) nullos itidem genuisset liberos, universa illa Marchionum Brandenburgensium familia, quæ a medio sæculo XII. pene per ducentos annos floruerat, exaruit: licet paulo ante novendecim Marchiones viverent: (4) quos aliquando Ratenaviæ de modica hæreditate questuros convenisse ferunt. (5)

(1) Alii Woldemarum ante hunc Johannem obiisse volunt. Nos secuti sumus BROTUFIUM, qui tamen male successorem ejus *Hermannum* Ottonis Longi filium, ac ultimum porro hujus lineæ Electorem tradit *Johannem IV.* Hermanno natum. Nostræ sententiæ etiam favent ANGELUS *lib. II. p. 129.* JOH. CERNITIUS *in Historia Electorum Brandenb. p. 2.* REUSNERUS *Isag. Hist. pag. 581.* SIGISM. a BIRKEN. *lib. III. c. IV. p. 292.*

(2) Quidam vocant *Engelbertam.*

(3) BROTUFIUS ait, uxorem habuisse ex *Ducibus Glogoviensibus lib. II. cap. XV.*

(4) KRANTZIUS *Saxon. lib. IX. c. 34. Wandalia lib. VIII. cap. 3.* PEUCERUS *Chron. Carion. lib. V. p. 600.* HENDRICHIUS *in Marchicis.*

§. XXXVII.

Exin successionem in Marchia ac Electoratu Brandenburgico sibi deberi contendebat *Albertus Iunior*, Princeps Anhaltinus, quod genus ad Albertum Ursum, communem Anhaltinæ & Marchicæ familiæ satorem referret. (1) Verum Ludovicus V. (aliis IV.) Bavarus Rex Germaniæ ac Imperator vacans Marchiæ feudum cum Electo-

ratu concessit majori filio LVDOVICO; (2) eidemque solennem investituram confert Numburgi an. CIↃCCCXXIX.(3)
1329.

(1) Imo jam ipse Woldemarus hanc hæreditatem assignarat Anhaltinis, inque eorum verba subditos adegerat, si sine alio hærede moreretur. Vid. PEUCERVS *in Chron. Carion. d. l.* PEZELIVS *Mellificii Histor. parte III. p. 270.* SPENERVS *pag.* 765.

(2) HENRICVS REBDORFIENSIS *in Chron. ad ann.* 1322. *p. 424. Chronicon Elwangense ad ann.* 1324. *p. 458.* ALBERTVS ARGENTINENSIS *p. 121.* NAUCLERVS *in Chronograph. Generat. XLIV. f. 247. a.* KRANTZIVS *Saxon. lib. IX. cap. 34. Wandal. lib. VIII. cap. 3.* CUSPINIANVS *in Ludovico Imp. p. 374.* BROTUFIVS *Genealog. Anhalt. lib. II. c. 1.* qui tamen falso putat Ludovicum Cæsarem *Ludovico Romano* marchiam contulisse. Hoc autem inter alia crimina Ludovico objicit Johannes XXII. Papa, ad Aymericum Archiepiscopum Ravennatensem scribens: *quod Marchionatum Brandeburgensem primogenito suo de facto publice contulerit.*

(3) KRANTZIVS *in Wandalia d. l.* Solenni *Principum conventu in Numburgo habito, Ludovicus Romanorum rex Ludovicum filium suum de marchionatu investivit.* Male W. JUSTVS hoc in ann. 1319. refert.

§. XXXVIII.

Hunc LVDOVICVM valde exagitavit impostor Iacobus Rebok (Jäckel Rhebock) molitor, Woldemarum I. cujus nomen & merita Brandenburgensibus gratissima fuerant, mentitus, tantoque vulgi favore exceptus, ut ei complura castra & oppida dederentur, Accessit frequens nobilitas, postquam Saxones, Pomerani & & Anhaltini, itemque Otto Archiepiscopus Magdeburgensis, Albertus & Iohannes Meklenburgici Pseudo-Woldemarum in asserenda marchia strenue adjuvarent, ut Ludovicus etiam Woldemari III. affinis Regis Daniæ opem necessum haberet implorare, qui Meklenburgica mari Balthico vicina vastat, ab Alberto tamen repulsus.

Cum-

Cumque ingenti collecto exercitu Pseudo-Woldemaro se opponeret Ludovicus, Carolus IV. isti non dubitavit auxilium ferre, suoque convictu ac familiaritate dignari: jamque res ad prælium spectabat, quando proceres Ludovicia Carolo corrupti Dominum deterrerent. *

(*) De hoc Pseudo-Woldemaro & rebus cum illo gestis legendi HENRIC. REBDORFIVS & ALBERTVS ARGENT. *d. l.* AUCTOR de *Landgraviis Thuringiæ cap. CII. pag. 941.* ENGELHUSIVS *in Chronico pag. 270.* KRANTZIVS *Wandaliæ lib. VIII. cap. 18. 22.* CUSPINIANVS *in Carolo IV. p. 383.* AVENTINVS *lib. VII. p. 487.* HAGECIVS *Histor. Bohem. parte II. f. 6. b. seqq.* DUBRAVIVS *Histor. Bojem. lib. XXII. p. 207.* BROTUFFIVS *lib. III. cap. 2. fol. 55. seqq.* PEUCERVS *in Chron. Carion. lib. IV. p. 600.* W. JUSTVS *in Geneal. Brandenb. & in Chron. urbis Francofurt. p. 50. seqq.* PETRVS ALBINVS *in Chron. Misn. p. 409.* SPANGENBERGIVS *Chron. Saxon. cap. 286. p. 486.* CHYTRÆVS *Saxon. lib. I. p. 38.* ANDREAS ANGELVS *Chron. March. lib. II. pag. 153.* DRESSERVS *Isagog. Histor. part. II. millen. VI. p. 484. seq.* JOH. ISAAC. PONTANVS *Hist. Danica lib. VIII. p. 473. 477.* HENR. MEIBOMIVS *in Notis ad Lerbecium pag. 76.* MICRÆLIVS *part. I. Histor. Pomeran. p. 338.* & ex eo AUCTOR *Topographiæ superioris Saxoniæ pag. 40. in Dessavia.* C. THEOD. SCHOSSERVS *in Descript. Marchiæ cap. 19.* CERNITIVS *p. 2.* BALBINVS *Epitom. Rer. Bohem. lib. III. c. 21. p. 384.*

§. XXXIX.

Ludovicus demum motuum pertæsus Brandenburgensem Marchiam cum Electorali dignitate fratri LVDOVICO *Romano* (1) concessit, anno CIↃCCCLI. Habebat Ludovicus ab obitu Patris insignia regni Germanici & famosas illas reliquias in manibus. Hæc, svasu Palatini, qui socer erat Caroli, pro redimenda pace, ac quieta Marchionatus Brandenburgici possessione Carolo IV. reddidit, eoque solennem Marchiæ investituram a Carolo Norimbergæ impetravit. (2)

Ottone, investivit Carolus per banderias filios suos Wenceslaum, Sigismundum, Joannem, iisque deficientibus Marchiones Moraviæ, D. Johannem & filios, Jodocum, Joannem & Procopium: ut adeo tam Johannes, quam cæteri Caroli IV. filii, itemque Marchiones Moraviæ ad Marchiam Brandenb. jus acceperint. Confer Wencesl. HAGECIUM *part. II. fol. 40. b.*

§. XLII.

A Sigismundo Mariam uxorem ab Ungaris captam liberaturo Marchiam Brandenburgicam acceperunt JODOCVS & PROCOPIVS fratres, Moraviæ Marchiones: (1) a Jodoco ejus gener WILHELMVS Vnoculus, Thuringiæ Landgravius, (2) a quo anno CIƆCCCCXI. redemit
1411. SIGISMVNDVS Imp. (3)

(1) KRANTZIVS *Wandal. l. IX. c. XXIV. l. XXX. Saxon. l. X. c. XV.* DUBRAVIVS *l. XXIIII. p. 220.* ANGELVS *l. II. p. 169.* DRESSERVS *p. 461.*

(2) KRANTZIVS *Wandal. l. IX. c. XXXI. c. XXXVIII. Saxon. l. X. c. XVI.* BROTUFIVS *lib. III, c. VI. f. 59. a.* ANGELVS *l. II. p. 188.* PONTANVS *Hist. Dan. l. IX. q. 522.* CERNITIUS *p. 16.* CHYTRÆVS in *brevi Chronol. p. 556.* Vide P. Albinum *Chron. Misn. tit. XV. p. 204.* ubi ad diplomata provocat, in quibus se *potentem procuratorem veteris & novæ marchiæ*) einen mächtigen Vorsteher der alten und neuen Marck) nominasse scribit. Idem notat errorem illorum, qui hæc ad *Wilhelmum Juniorem* cognom. *Divitem* referunt. In his est W. JUSTUS in *Genealogia Brandenb.* ELIAS REUSNERUS *in Isagoge Histor. pag. 512.*

(3) KRANTZIUS *d. l.* BROTUFIUS *l. III. c. VI. f. 59.* ANGELUS ex ENGELBERTO WUSTROWITZ. FABRICIUS *Orig. Saxon. l. VI. p. 681.* DRESSERUS *d. l.* ANDREAS RATISB. non satis hic est accuratus, quem vide *p. 97.* PEZELIUS *Mellif. Histor. part. III. p. 271.*

§. XLIII.

Sigismundus deinde ob ingentia merita, & egregiam in bellis Bohemicis & Vngaricis præstitam operam, concessit FRIDERICO VI. Burggravio Norimbergensi, (1) inter-

intercedente stipulatione quadringentorum millium aureorum, (2) adjectaque conditione, ut, si filius Imperatori aut fratri Wenceslao nasceretur, Marchiam cum Electoratu redderet; sin minus, utrumque Fridericus retineret. Igitur consentientibus reliquis Electoribus Fridericus investituram impetravit in Concilio Constantiensi anno 1417.
CIƆCCCCXVII. (3)

(1) KRANTZIVS *Wandal. lib. IX. c. 38.*

(2) Non igitur Carolus IV. Friderico Burggravio dono dedit marchiam: uti tradunt HARTMANNVS SCHEDELIVS *in Chron. Norib. fol. 239. in historia Sigismundi*, & DUBRAVIVS *Histor. Bojem. lib. XXVI. p. 254.* Rectius venditam Friderico Marchiam scribunt IRENICVS *Exeges. German. lib.* III. *c. 57.* THOM. JORDANVS *in Annotat. ad Dubravium p.* 255. CUSPINIANVS *in Jodoco p. 393.* BROTUFIVS *l.* III. *c. 7.* REIN. REINECCIVS *Orig. stirpis Brandenburgicæ p. 31.* SPENERVS p. 421. RENSCHELIVS im Brandenb. Stammbaum p. 20. Bene tamen addit PEUCERVS *in Chron. Carionis lib. V. p. 628.* in hac *venditione non tam pretium spectatum, quam remunerationem virtutis ac meritorum Friderici, qui pro Sigismundo contra Vngaros & Boëmos & sapienter plurima consuluerat, & magna pericula fortiter adierat:* quæ verba exscribit PONTANVS *Hist. Dan. lib. IX. p.* 542.

(3) ANDREAS RATISB. *in Chron. p. 90.* Auctor de Monaster. Bavariæ pone *Andrea Ratisbon. Chonic. p. 211.* KRANTZIVS *Saxon. lib. XI. c. 1.* PAULVS LANGIVS *in Chron. Citizensi* p. 851. BROTUFIVS *d. l.* W. JUSTVS *in Geneal.* H. PANTALEON *in Chronographia Ecclesiæ p. 113.* MART. CRUSIVS *in Svevicor. Annal. Paralipomenis p. 14.* CVRÆVS *in Histor. Siles. p. 124.* DRESSERVS *p. 486.* LIMNÆVS *lib. V. cap. 7.* §. 82. SIGISM. a BIRK. im Oesterreich. Ehren-Spiegel *lib. IV. p. 427.* Investituræ solennia describit NAVCLERVS *in Chronogr. Generat. 48. fol. 278. 279.* quem seqvuntur ANGELVS *lib.* III. *p. 196.* CERNITIVS *p. 18.* RENSCHIVS im Brandenb. Cederhein p. 75.

§. XLIV.

Burggraviorum hæc Norimbergensium familia, ex

qua

Ottone, investivit Carolus per banderias filios suos Wenceslaum, Sigismundum, Joannem, iisque deficientibus Marchiones Moraviæ, D. Johannem & filios, Jodocum, Joannem & Procopium: ut adeo tam Johannes, quam cæteri Caroli IV. filii, itemque Marchiones Moraviæ ad Marchiam Brandenb. jus acceperint. Confer Wencesl. HAGECIUM *part. II. fol. 40. b.*

§. XLII.

A Sigismundo Mariam uxorem ab Ungaris captam liberaturo Marchiam Brandenburgicam acceperunt JODOCVS & PROCOPIVS fratres, Moraviæ Marchiones: (1) a Jodoco ejus gener WILHELMVS Vnoculus, Thuringiæ Landgravius, (2) a quo anno CIↃCCCCXI. redemit
1411. SIGISMVNDVS Imp. (3)

(1) KRANTZIVS *Wandal. l. IX. c. XXIV. l. XXX. Saxon. l. X. c. XV.* DUBRAVIVS *l. XXIIII. p. 220.* ANGELVS *l. II. p. 169.* DRESSERVS *p. 461.*

(2) KRANTZIVS *Wandal. l. IX. c. XXXI. c. XXXVIII. Saxon. l. X. c. XVI.* BROTUFIVS *lib. III, c. VI. f. 59. a.* ANGELVS *l. II. p. 188.* PONTANVS *Hist. Dan. l. IX. q. 522.* CERNITIUS *p. 16.* CHYTRÆVS in *brevi Chronol. p. 556.* Vide P. Albinum *Chron. Misn. tit. XV. p. 204.* ubi ad diplomata provocat, in quibus se *potentem procuratorem veteris & novæ marchiæ* (einen mächtigen Vorsteher der alten und neuen Marck) nominasse scribit. Idem notat errorem illorum, qui hæc ad *Wilhelmum Juniorem* cognom. *Divitem* referunt. In his est W. JUSTUS in *Genealogia Brandenb.* ELIAS REUSNERUS *in Isagoge Histor. pag. 512.*

(3) KRANTZIUS *d. l.* BROTUFIUS *l. III. c. VI. f. 59.* ANGELUS ex ENGELBERTO WUSTROWITZ. FABRICIUS *Orig. Saxon. l. VI. p. 681.* DRESSERUS *d. l.* ANDREAS RATISB. non satis hic est accuratus, quem vide *p. 97.* PEZELIUS *Mellif. Histor. part. III. p. 271.*

§. XLIII.

Sigismundus deinde ob ingentia merita, & egregiam in bellis Bohemicis & Vngaricis præstitam operam, concessit FRIDERICO VI. Burggravio Norimbergensi, (1) inter-

intercedente stipulatione quadringentorum millium aureorum, (2) adjectaque conditione, ut, si filius Imperatori aut fratri Wenceslao nasceretur, Marchiam cum Electoratu redderet; sin minus, utrumque Fridericus retineret. Igitur consentientibus reliquis Electoribus Fridericus investituram impetravit in Concilio Constantiensi anno 1417.
CIƆCCCCXVII. (3)

(1) KRANTZIUS *Wandal. lib. IX. c. 38.*

(2) Non igitur Carolus IV. Friderico Burggravio dono dedit marchiam: uti tradunt HARTMANNUS SCHEDELIUS *in Chron. Norib. fol. 239. in historia Sigismundi*, & DUBRAVIUS *Histor. Bojem. lib. XXVI. p. 254.* Rectius venditam Friderico Marchiam scribunt IRENICUS *Exeges. German. lib.* III. *c. 57.* THOM. JORDANUS *in Annotat. ad Dubravium p.* 255. CUSPINIANUS *in Jodoco p. 393.* BROTUFFIUS *l.* III. *c. 7.* REIN. REINECCIUS *Orig. stirpis Brandenburgicæ p. 31.* SPENERUS p. 421. RENSCHELIUS im Brandenb. Stammbaum p. 20. Bene tamen addit PEUCERUS *in Chron. Carionis lib. V. p. 628.* in hac *venditione non tam pretium spectatum, quam remunerationem virtutis ac meritorum Friderici, qui pro Sigismundo contra Ungaros & Boëmos & sapienter plurima consuluerat, & magna pericula fortiter adierat:* quæ verba exscribit PONTANUS *Hist. Dan. lib. IX. p.* 542.

(3) ANDREAS RATISB. *in Chron. p. 90.* Auctor de Monaster. Bavariæ pone *Andreæ Ratisbon. Chonic. p. 211.* KRANTZIUS *Saxon. lib. XI. c. 1.* PAULUS LANGIUS *in Chron. Citizensi* p. 851. BROTUFFIUS *d. l.* W. JUSTUS *in Geneal.* H. PANTALEON *in Chronographia Ecclesiæ p. 113.* MART. CRUSIUS *in Suevicor. Annal. Paralipomenis p. 14.* CURÆUS *in Histor. Siles. p. 124.* DRESSERUS *p. 486.* LIMNÆUS *lib. V. cap. 7.* §. *82.* SIGISM. a BIRK. im Oesterreich. Ehren-Spiegel *lib. IV. p. 427.* Investituræ solennia describit NAUCLERUS *in Chronogr. Generat. 48. fol. 278. 279.* quem seqvuntur ANGELUS *lib.* III. *p. 196.* CERNITIUS *p. 18.* RENSCHIUS im Brandenb. Cederhein p. 75.

§. XLIV.

Burggraviorum hæc Norimbergensium familia, ex

qua

qua Fridericus I. Elector oriundus, satores habuit antiquos Comites de Zölleren: ex quibus *Conradus* sæculo XII. floruit: unde per *Fridericum I.* Conradum II. Fridericum II. Fridericum III. Fridericum IV. Johannem Fridericum V. ad Fridericum VI. recta descendit stemmatis linea. (*)

(*) De his Friderici VI. progenitoribus, ac illustri Burggraviorum Norimbergensium familia præ ceteris legendi REIN. REINECCII *Origines Stirpis Brandenburgicæ*, GEORGII SIGFRIDI *Genealogia Marchionum Brandenburg.* JOH. CERNITIVS disquisitione *de Originibus Burggravior. Norimberg. Historia X. Elector. Brandenburg. præmissa.* GEORGII CASPAR. KIRCHMAIERI Prof. Witteb. Disp. *de Originibus Hohenzollerano-Brandenburgicis.* GEORG. CHRISTOPH. RENSCHELII Brandenburg. Stammbaum, JOH. MELCHIOR Wildeisens Brandenburg. Genealogischer Lust-Wald, JOH. WOLFG. Renschens Brandenb. Cederhein, qui doctissimus ac elegantissimus liber Baruthi anno CIↃ IↃC LXXXII. prodiit. Non tamen omnia sic certa satis sunt in hac Genealogia: quod inprimis Cernitium intuenti patebit. Is enim ex Friderico I. Electore quartum facit hujus nominis Burggravium.

§. XLV.

Hic FRIDERICVS I. circa annum CIↃCCCLXXII. ex *Elisabetha*, Friderici Gravis, Misniæ Marchionis filia natus, rebus gestis contra prædones Francicos, & Marchicos, Mediolanenses Vice-Comites, Bohemos Sigismundo rebelles, Rotenburgenses ad Tuberam turbantes, inclytus, primo vices Sigismundi in Marchia sustinuit, (1) ac postea Marchiam ipsam cum dignitate Electorali ab eodem impetravit, Coloniæque arcem ad Spream condidit. (2) Et quamvis primum non nisi vetus & media Marchia Electorali sceptro se submitterent, aliquanto tamen post expugnata nova Angermunda & Primislavia, Ukaromarchi-

am

am Pomeranis Ducibus extorsit. (3) Ut pactam pro Marchia pecuniam commodius solveret, Norimbergensibus anno CIↃCCCCXVII. arcem Burggraviorum a Cæsarea arce 1427. distinctam, mox ab emtoribus eversam, & nemora duo, consentiente Sigismundo, vendidit, servatis tamen certis juribus & regalibus, in primis extra civitatem, (4) Mortuo Alberto, ultimo ex Ascania linea Electore Saxone, Wittebergam & cætera Electoralis ditionis occupavit: quæ tamen solutis in bellicum apparatum impensis, & stipulata nurui (nam uxor filii Johannis soror erat Alberti) pensione annua, Friderico Bellicoso resignavit. (5) Bello Hussitico in comitiis Norimbergensibus militiæ Dux deligitur. (6) illi vero Marchiam fœde aliquoties populantur, Francofurto etiam obsessa. (7) Cum Bernhardus Saxo-Lauenburgicus Prigniciam vastaret, Fridericus id contraria excursione, victo Bernhardo, ac Ertenoburgo (Atlenburgum nunc dicitur) destructo, ulciscitur. (8) Obiit Fridericus Cadolsburgi an. CIↃCCCCXL. 19. Septembris, sepulcrum cum uxore Elisabetha, Friderici Bavariæ Ducis Landshutensis filia, Principe summe formosa, 1440. (9) nactus Heilsbronnæ. (10)

(1) Unde *Provisor Marchiæ* appellatur ab ALBERTO ARGENT. *Supremus provisor & Advocatus Marchiæ* a PAULO LANGIO *ad an.* 1411. *Procurator Marchionis Brandenburg.* ab EMUNDO *in Magno Chron. Belgico p. 356.* & ENGELHUSIO *in Chron. pag. 293.* *Summus præfectus Marchiæ* a W. JUSTO. Vid. ANGELUS *l. II. p. 189.* CERNITIUS *p. 17.*

(2) AUCTOR *Chron. Slavici f. 32. a.* KRANTZIUS *Wandal. lib. XII. c. X.* W. JUSTUS *in G. B.* REINECCIUS *p. 31.* DRESSERUS *p. 486.* DIEPHOLDIUS *p. 75.*

(3) SPENERUS *d. l.* ANGELUS *lib. III. p. 208.* RENTSCHIUS im Brandenb. Cederhein *c. IV. p. 78. 362.*

(4) ANDREAS RATISB. *in Chron. p. 104.* DRESSERUS *p. 486. & de Germ. Urbibus, in Noriberga pag. 472.* SIGISM. a BIRK. *p. 427.* SPENERUS *p. 422.*

p. 422. RENTSCHIVS p. 104. ANGELVS *lib. III. pag. 201. & pag. 207.* SCHOSSERVS *in Descript. Marchiæ cap. VIII.* CERNITIVS p. 19. 20. Tria id propter distincta confecta sunt instrumenta, quorum summam recitat LIMNÆUS *Juris publ. l. IV. c. 4.* Vide eundem *l. V. c. VII.* §. 12.

(5) PEUCERVS *in Chron. Carionis pag. 628.* ALBINVS *Chron. Misn. tit. XVI. p. 209. s.* REINECCIVS p. 31. DRESSERVS p. 486. CERNITIVS p. 19. 20. SPENERVS p. 421. RENTSCHIVS im Brandenb. Cederhein p. 359. s. 583.

(6) ANDREAS RATISB. p. 114. 116. ÆNEAS SYLVIVS *Histor. Bojem. cap. XLIV. p. 41.* CUSPINIANVS *in Sigismundo p. 397.* P. LANGIVS p. 853. H. MUTIVS *Chron. Germanor. lib. XXVII. p. 279. s.* DUBRAVIVS *Hist. Bojem. lib. XXVI. p. 254.* BONFINIVS *Rer. Vngaric. Dec. III. lib. III. p. 395.* ZACHARIAS THEOBALDVS *Belli Hussitici part. I. c. LXXII. pag. 271.* RENTSCHIVS im Brand. Cederhein p. 356. LAYRITZIVS *Orat. de Heroibus Brandenburgicis.*

(7) *Chronicon Elwangense p. 462.* KRANTZIVS *Wadal. l. XI. c. XXIII.* W. JUSTVS *in Chron. Francof. c. V. p. 58.* ANGELVS *lib. III. p. 210.* SCHOSSERVS *in Descript. Marchiæ cap. XIX.* PONTANVS *Hist. Dan. l. IX. p. 592.* CERNITIVS p. 20.

(8) CERNITIVS p. 22. SPENERVS *pag. 422.* Perperam KRANTZIUS *Saxon. lib. XI. c. XXVII.* hæc ad *Johannem* Marchionem refert.

(9) Ob id vocabatur die schöne Elsa: ANGELVS *lib. II. p. 190.*

(10) *Chron. Elwang. p. 462.* REINECCIVS p. 32. CERNITIVS p. 15. RENTSCHIVS im Brandenb. Stammbaum p. 21. Heilsbronnæ instar epitaphii sequens habetur inscriptio: Anno Domini 1440. an Sanct Matthes Evangelisten Tag, da starb der Durchleuchtigste Hochgebohrne Fürst und Herr, Herr Friedrich, Marggraf zu Brandenburg, des heiligen Römischen Reichs Ertzkämmerer und Burggraf zu Nürnberg, der hie begraben liegt, dem GOtt genädig sei. Amen.

§. XLVI.

Filios Fridericus I. genuit quatuor. JOHANNEM, FRIDERICUM *Seniorem*, & ALBERTVM Electores: ut

&

& FRIDERICUM *Juniorem*: filias septem I. *Elisabetham*, Ludovico Duci Lignicensi; II. *Ceciliam*, Wilhelmo *Victorioso* Duci Brunswicensi; (1) III. *Magdalenam*, Friderico Duci Lunebergensi nuptas; IV. *Margaretham*, Alberto Sveciæ Regi, Alberti Ducis Meklenb. filio desponsatam: sed cum is ante nuptias moreretur, (2) Ludovico Gibboso Bavariæ Duci, invito ipsius patre; (3) V. *Dorotheam*, Henrico Pingvi Duci Meklenburgensi, (4) VI. *Barbaram*, Johanni Duci Oppoliensi collocatas: VII. Puellam, aliquot a nativitate mensibus exstinctam. (5) Ante obitum vero pater *Friderico II.* qui proximus erat a Johanne natu maximo, Electoralem dignitatem assignavit, ut pote quem majori auctoritate & gravitate Septemviratum gesturum judicaret: idque consentiente, ac haut indigne ferente Johanne, Principe ingenio mitissimo, & quietis amantissimo. (6)

(1) Male PECCENSTEINIUS hunc Principem vocat *Ludovicum*.

(2) KRANTZIUS *Wandal. lib. X. c. ult. lib. XI. c. I.* W. JUSTUS, *in Geneal. Brand.* Vid. LIMNÆUS *lib. V. cap. VII.*

(3) AVENTINUS *lib. VII. p. 509.* RENTSCHIUS im Brandenb. Ceder-hein *p. 471.* Vide *Thesin. LI.* ANGELUS *l. III. p. 205.* Fallitur procul dubio REINECCIUS, qui post Ludovici mortem *Martino Palatino* nuptam tradit *p. 36.* W. JUSTUS. vocat hunc Martinum, *Palatinum a Waldenfels.* Idem leges in ANTONII ALBIZII *Genealogicis fol. 32.* Vid. CERNITIUS *p. 14.*

(4) KRANTZIUS *Wand. l. XI. cap. XXXIX. Saxon. l. XI. c. XI.* ANGELUS *l. III. p. 200.* CERNITIUS *p. 12.*

(5) Hæc forte est *Sophia*, quam *innuptam mansisse*, refert REINECCIUS. Eandem memorat W. JUSTUS. In MS. quo usus CERNITIUS mentio fit filiæ Norimbergæ an. CIↃCCCCXVI. natæ, quæ postea semestris obierit. Vide & ANGELUM *l. III. p. 198.*

(6) NAUCLERUS Chronograph. *Generat. XLVIII. f. 279. a.* ÆNEAS SYLVIUS *Commentar. in dicta & facta Alphonsi Regis l. II. c. XXIX.* ex

quo repetunt PEUCERUS *Chron. Carionis lib. V. p. 632.* REINNECCIUS *p. 32.* CHYTRÆUS *Saxon. lib. I. p. 39.* ANGELUS. *l. III. p. 214. s.* CERNITIUS in hoc *Friderico p. 23.* IOH. GEORGIUS LAYRITZ in *Alberto Achille Germanico* §. *VII*, RENTSCHIUS im Br. Cederhein *p. 586. seq.*

§. XLVII.

Iohannes Friderici I. filius anno CIↃCCCCI. natus, ob Chemiæ studium *Alchemysta* dictus (1) Patris vicibus in Marchia functus, cum Duces Pomeraniæ occupassent Primislaviam, eandem recuperavit: (2) Christophorum & Wilhelmum, Duces Meklenburgicos, Marchiæ infestos repulit. (3) A Patris obitu Voigtlandiam accepit, ac aulam fixit Plassenburgi. (4) Mortalitatem explevit Baierstorfi anno CIↃCCCCLXIV. XVI. Novembris, avito Heilsbronnensi monumento illatus. (5) Ex *Barbara*, Rudolphi III. Electoris Saxoniæ filia genuit *Rudolphum*, in arce Trebniciana haut procul Witteberga, ubi tum mater apud parentes egit, anno CIↃCCCCXXIV. natum, sed nono mense mortuum. (6) *Barbaram*, Ludovico, Johannis Francisci, primi Mantuæ Marchionis filio nuptam. (7) *Magdalenam*, Ducis Stetinensis uxorem. (8) *Dorotheam*, duorum Daniæ Regum, Christophori III. Palatini, & Christiani I. conjugem. (9)

(1) W. JUSTUS, DRESSERUS, DIEPHOLDIUS, SPENERUS, RENSCHELIUS, RENTSCHIUS.

(2) KRANTZIUS *Wandal. lib. XI. cap. 8.* ANGELUS *lib. III. pag. 207.* CERNITIUS *pag.* 20. LAYRITZIUS *de Heroibus Brandenb.*

(2) KRANTZIUS *lib. XI. cap. 4.*

(4) W. JUSTUS, RENTSCHIUS *pag. 588.*

(5) Ubi sequens habetur inscriptio: Nach Christi Geburt MCCCC und im LXIV. Jahr, am Freitag nach St. Martin Tag, ist Todes verschieden, der Durchleuchtig Hochgebohrne Fürst und Herr, Herr Johannes, Marggraf zu Brandenburg, und Burggraf zu Nürnberg, dem Gott gnädig sei.

(6) REI-

(6) REINECCIVS p. 32. LIMNÆVS *Jur. Publ. lib. V. c. 7.* ANGELVS *l. III. p. 206.* pro menſibus annos ſufficit.

(7) Hanc *Barbaram* ÆNEAS SYLVIVS laudat *inter matronas ejus seculi forma & moribus præclaram.* LIMNÆUS *d. l.* ait Ludovico Mantuano deſponſatam.

(8) In nomine hujus Ducis diſſentiunt. *Wratislaum* vocant JUSTUS, REINECCIUS & SPENERUS: alii *Bogislaum*: quidam *Ottonem*: ALBIZIUS *Ioachimum.*

(9) Vid. CHRON. SLAVICUM. ANGELUS *l. III. p. 217.* PONTANUS *Rer. Danicar. l. X. p. 625. 633.* MEURSIVS *Histor. Danica lib. V. p. 132. & lib. I. p. 5.* Quas W. JVSTVS addit, *Agnetem* & *Eliſabetham*, merito cum MONINGERO & RENTSCHIO expungimus

§. XLVIII.

FRIDERICVM *Juniorem*, cui ob corporis molem, *Craſſi*, ſeu *Pingvis* cognomen adhæſit (1) pater ſupra veterem Marchiam, (2) Friderico Seniori in communionem Electoratus dederat: quo jure tamen ceſſit anno CIϽCCCCXLVII. ſervata ſibi ſuisque ſucceſſionis exſpectatione. (3) Tangermundæ aulæ ſedem habuit, ac anno CIϽCCCCLXIII. ibidem de vita deceſſit: (4) genitis ex Agnete, Barnimi VIII. Pomeraniæ Ducis filia, (5) *Magdalena*, Eitel Friderici Comitis Zollerani, *Agneta*, Georgii Junioris Principis Anhaltini (6) conjugibus: itemque *Dorothea*, quæ juvencula obiit.

(1) KRANTZIVS *Wandal. l. XII. c. XII. c. XIV.* P. LANGIVS *in Chron. Citiz. p.* 862. W. JVSTVS, REINECCIVS, alii.

(2) P. LANGIVS *d. l. fuit insuper & alius Fridericus, frater Alberti, qui in antiqua marchia dominabatur.*

(3) CERNITIVS *p.* 28. SPENERVS *p.* 423. RENTSCHIVS *p.* 367. *ſ.*

(4) A Tangermunda aula W. JVSTVS eum vocant *Marchionem Tangermundenſem.* Ibidem mortuum notant SPENERVS & RENTSCHIVS: quibus majorem fidem habeo, ac ANGELO, W. JVSTO, REINECCIO, &

& LIMNÆO, qui scribunt *Arneburgi* id factum. Addit REINECCIUS, *ibidem templum ab eo fundatum.*

(5) In P. LANGIO dele sphalma: *Cujus uxor Agnes filia Ducis Pomeraniæ, nomine Magd.* Rescribe *Barnim.* W. JUSTUS monet, patrem ejus ab aliis *Wartislaum. 7.* vocari. Hanc *Agnetem* a mariti obitu Ceorgio II. Principi Anhaltino nupsisse, ex BROTUFII *lib. VI. c. XIII.* colligimus. Consentit W. JUSTUS.

(6) Vid. RENTSCHIUS *p.* 368.

§. XLIX.

II. Patri autem Friderico I. in Electorali dignitate suc-
1413. cessit FRIDRICUS II. anno CIƆCCCCXIII. 19. Novembris Tangermündæ natus, ob eximiam in rebus garendis acrimoniam *Ferratus* (vulgo *cum Ferreis dentibus*) dictus. (1) In Polonia educabatur discendæ linguæ & moribus gentis, destinatus Regis Uladislai ex filia *Hedwige* gener, & ex consensu Ordinum, nisi masculi nascerentur, in regno successor, Hedwige maturius exstincta, spe illa excidit.
1434. (2) Anno CIƆCCCCXXXIV. Basileensis Concilii protector fuit (3) Cum Berlinenses & Colonienses dissiderent, litem
1443. anno CIƆCCCCXLIII. composuit, concessum pro arce locum
1444. accepit, & iterum turbantes multavit. (4) Anno sequenti Cotbusium, inferioris Lusatiæ oppidum occupavit, &
1446. coercuit. (5) Vladislao mortuo anno CIƆCCCCXLVI. oblatum Poloniæ regnum, quod Casimirus frater esset superstes, accipere recusavit. (6) Polonos & Lithuanos Fran-
1450. cofurtum obsidentes anno CIƆCCCCL. depulit, tribus millibus eorum cæsis. (7) Wilhelmo Duci Saxoniæ, contra fratrem Fridericum Placidum Electorem adstitit, sed anno
1451. --LI. ad concordiam rem deduxit. (8) Anno --LII. in Palæ-
1453. stinam iter facturus, *Confessionem Fidei* ante octennium conscriptam renovari fecit. (9) Marchiam novam Teutonico Ordini oppignoratam cum pacto retrovenditionis redemit an-

anno --lv. (10) Anno --lxi. bellum gessit contra Georgium Regem Bohemiæ ob Lusatiam inferiorem ab Uladislao Rege pridem concessam, quod ita compositum, ut Cotbusio & oppidis aliquot retentis, reliqua ad Regem redirent. (11) Cum anno --lxiv. Ottone, Duce Stetini mortuo, ex antiquo pacto sibi Ducatum assereret, Ericus autem & Wratislaus eum occuparent, ab Imp. Friderico acceptis feudo & insignibus, cum tredecim confœderatis Principibus Pomeranos aggressus multa cepit: illis marchiam vicissim populantibus. Casimirus Rex Poloniæ demum pacem inter eos fecit, Pomerania ipsi feudi vinculo obstricta. (12) Anno --lxvii. Duces Brunsvvicenses ac urbes Hinseaticas Quedlinburgi conciliavit: (13) eodemque anno Lubecam venit, literas oppignorationis Molnensis inspecturus. (14) Anno --lxviii. post novum bellum Pomeranicum pacem in pristinas conditiones Soldini factam amplexus est. (15) Eodem anno Georgii Regis Bohemiæ coronam a Paulo II. sibi oblatam accipere detrectavit. (16) Anno -- lxix. monasterium S. Catharinæ Stendalii, novamque ædem parochialem condidit Coloniæ, in dominicam (Dom) postea commutatam. (17) Ætate autem ingravescente, multisque curis ac laboribus fractus, Alberto fratri Electoratum cum Marchicis provinciis cedens, in superiorem Burggraviatum se recepit, (18) annoque cIↃcccclxxi. x. Februarii animam cœlo reddidit, ac Heilsbronnæ tumulatus est. (19)

1455. 1464. 1467. 1468. 1469.

(1) Justus. Reineccius p. 32. Dresserus p. 417. Cernitius p. 26. Spenerus p. 424.

(2) Cromerus *Hist. Polon. lib. XVIII. p.* 776. W. Justus, Cernitius *l. l.* Rentshelius p. 373.

(3) Cernitius, Spenerus p. 425. Rentschius p. 373. *f.* Alii tamen Wilhelmum Bavariæ Ducem a Sigism. Cæsare protectorem Concilii renunciatum volunt. V. Sigism. a Bircken Oesterr. Ehren-

Ehrenspiegel *l. IV. VII. p.* 455.

(4) CHRON. SLAVICUM *ad ann.* CIↃCCCCXLI. quod ad *annum XLIII.* tradit, Fridericum ad Wilsnacum oppidum cum Daniæ Rege Christophoro convenisse.

(5) CERNITIUS *p.* 26. *seqq.* SPENERUS *p.* 425. RENTSCHIUS *pag.* 375.

(6) Pro meritis ob id ab ÆNEA SYLVIO laudatus in *Europa sua.* Tangunt hoc W. JUSTUS, REINECCIUS, SPENERUS, LAYRITZIUS. Vide etiam CERNITIUM *pag.* 27. 28. RENTSCHIUM *p.* 378.

(7) W. JUSTUS *in Chron. Francof. c. V. p.* 58. DRESSERUS *p.* 487. CERNITIUS *p.* 29.

(8) RIVANDER *in Chron. Thuring. pag.* 480. *seqq.* CERNITIUS *p.* 29. SPENERUS *pag.* 425. ANTON. WECKE in der Beschreibung Dresden *p.* 119. RENTSCHIUS *p.* 377.

(9) Iter Friderici in Palæstinam alii in annum hujus sæculi LXIX. differunt. Confessio autem illa valde memorabilis, ac in multis vere est Evangelica: quam propterea Dn. CASPAR a LILIEN singulari dissertatione illustravit Baruthi edita anno 1673. Integram quoque edidit RENTSCHIUS im Brandenburg. Cederhein *p.* 381. *seqq.*

(10) CERNITIUS *pag.* 25. 29. LIMNÆUS *lib. V. cap.* 7. SPENERUS *d. l.* RENTSCHIUS *p.* 79. 375. Mirum id omisisse diligentissimum rerum Prussicarum scriptorem Hartknochium: qui tamen hoc anno Marchionem in Prussiam venisse memorat *part. II. cap. II. pag.* 316.

(11) SPENERUS *d. l.* Tetigimus etiam in *Historia Lusatica* §. L.

(12) De bello Friderici cum Pomeranis, & aliis eo pertinentibus vid. *Chron. Slav. ad an. hujus sec. LXIV. LXIX.* KRANTZIUS *Wand. lib. XII. cap.* 39. *lib. XIII. cap.* 2. 6. IRENICUS *Exeges. Germ. lib. III. cap.* 59. CHYTRÆUS *Saxon. lib. I. p.* 39. ANGELUS *lib. III. p.* 226. *seqq.* CERNITIUS *p.* 30. *seq.* LIMNÆUS *lib. V. cap.* 7. §. 98. DIEPHOLDIUS *p.* 75. SPENERUS *d. l.* PFANNERUS *de Principibus Germ. cap. IV. pag.* 163. RENTSCHIUS *p.* 376. *seqq.*

(13) ANGELUS *lib. III. p.* 227. CERNITIUS *d. l.* RENTSCHIUS *p.* 377.

(14) *Chron. Slav. ad ann.* 1465. & 67. KRANTZIVS *Wandal. lib. XII. cap. 37.*

(15) RENTSCHIVS *p. 377.*

(16) CERNITIVS *d. l.* SPENERVS *d. l.*

(17) ANGELVS *lib. III. p. 231.* RENTSCHIVS *p. 379*

(18) REINECCIVS *p. 33.* CERNITIVS *p. 31.* SPENERVS *d. l.* RENTSCHIVS *pag. 386. seqq.*

(19) Quæ de morbo ejus ex melancholia contracto habet *Auctor* Chronici Slavici ad an. 1470. eumque sectatus KRANTZIVS *Wandal. lib. XIII. c. II.* fabulosa puto. Heilsbronnæ tale ejus visitur elogium: Anno Domini 1471. am Sonntag nach Scholastica Tag, ist der Durchleuchtigste Hochgebohrne Fürst und Herr, Herr Friedrich, Marggraf zu Brandenburg, des Heiligen Römischen Reichs Ertzkämmerer und Churfürst, zu Stettin, Pommern, der Cassuben und Wenden Herzog, Burggraf zu Nürnberg und Fürst zu Rügen 2c. gestorben, der unser lieben Frauen Berg zu Brandenburg gestifftet hat, daselbst man die Brüderschaft der Seelen Gesellschafft begehet. Des Seel, und aller der Seel, die in dieser Brüderschaft verschieden seind, der Allmächtige Gott barmhertzig sey.

§. L.

Ex *Catharina*, Friderici I. *Bellicosi* Electoris Saxonis filia, quam Wittebergæ duxit anno CIƆCCCCXLI. pater factus est *Iohannis* & *Erasmi*, immaturo fato exstinctorum, ac Tangermundæ sepultorum. (1) Item *Margareta*, Bogislao X. Pomeraniæ Duci, (2) & *Dorothea*, Iohanni V. Saxoniæ inferioris Duci nuptarum. (3)

(1) P. LANGIVS *p. 862.* W. JVSTVS. Solius *Johannis* meminit BROTUFFIVS *Geneal. Anhalt. lib. III. cap. VIII. fol. 60. b.* qui & in eo errat, quod *Barbaram* Saxonicam ei uxorem jungat. Johannem adhuc ann. 1468. vixisse, ex Archivo constare, ante Patrem tamen mortuum, scribunt CERNITIVS *p. 24.* & LIMNÆVS *l. V. c. 7.*

(2) Hujus Sponsalia cum Sigismundo Bavaro facta sunt irrita. RENTSCHIVS *p. 388.*

(3) *Chron. Slavicum ad ann.* 1464. Krantzivs *Saxon. lib. XII. c. IV.* Brotufivs *d. l.* item *lib. V. cap. XX. fol. 86. b.*

§. LI.

III. Friderici II. in Electoratu successor ALBERTVS, Princeps bellicis artibus juxta ac insigni rerum usu inclytus, ac ob id *Achilles Germanicus* (1) itemque *Teutonicus*
1414. *Vlysses* (2) dictus, Tangermundæ anno cIↃcccc XIV. 24. Novembris (3) natus, bello Bohemico sub Sigismundo (4) ac porro Polonico, sub Alberto Cæsare (5) tyrocinia po-
1429. suit: inde anno cIↃccccxxix. Uratislaviensibus Dux datus adversus Polonos, aliquoties cum opima præda rever-
1444. sus est. (6) Anno --xliv. Ludovico Gibboso adversus Patrem, qui eum ob Alberti sororem Margaretam se invito ductam exheredare volebat, adstitit, patremque cepit, & Henrico ejus patrueli pro impensis bellicis tradidit. (7)
1448. Anno --xlviii. ferale bellum Norimbergense cœpit, quo octo præliis victor, nono victus quidem, sed tantum detrimentum dedit hostibus, ut pacem flagitare, quam bel-
1459. lum persequi maluerint. (8) Anno --lix. facto inter ipsum & Ludovicum Bavarum fœdere, Bavari & Palatini Onoldinum provinciale forum agnoscere compulsi: id quod postea novo bello faces subdidit, in quo Albertus Manhemium & alia castra occupavit. (9) In bello Moguntino Adolpho Nassovio contra Ditericum Isenburgium, Fridericum Palatinum, & Ludovicum Bavarum adstitit, anno-
1461. que --lxi. ab Imperatore belli dux constitutus, sequenti
1470. anno ad Giengam vincitur. (10) Anno --lxx. successor fratris, a Pomeranis impetrat, ut Stetinensem & Pomeraniæ ducatus, cujus insignia & titulos, & quæ tenebat, loca servabat, a se in feudum acciperent, accedente Cæsarea confirmatione: cumque Erico mortuo Bogislaus filius homagium negaret, recruduit bellum; quod brevi

fuit

fuit compositum. (11) Anno --LXXI. imperialium copiarum ad Novesium contra Carolum Burgundum dux fuit. (12) Auctor quoque fertur pactorum de mutua confraternitate inter Saxones, Brandenburgicos & Hassos ann. --LXXIII. (13) Anno --LXXXI. enata inter ipsum & Bambergensem Episcopum lite, cum sacra ex anathemate quiescerent, mascule retudit hæc fulmina. (14) Demum anno --LXXXVI. cum jam a decennio *Johanni* filio administrationem electoralem tradidisset, ejusque actiones in Franconia Friderico filio assignata, tanquam ex pharo prospectasset, (15) in comitiis Francofurtensibus, quibus Maximilianus I. electus, in cœnobio Prædicatorum XI. Maji obdormivit. (16) Viscera ibidem recondita, corpore reliquo Heilsbronnam translato: ubi calvaria nullis in continuo osse suturis distincta, tibiarumque ossa longitudinis insolitæ diu ostensa, anno demum CIƆIƆCXXXII. in monumento gentilitio sunt recondita. (17) Miles fortissimus & imperterritus, & hastiludiorum peritissimus, in quibus nunquam equo dejectus, vel aliquo damno affectus fuit. (19)

1471

1473.

1486.

(1) Quod nomen accepit a Pio II. qui ante Pontificatum dictus Æneas Sylvius Piccolomineus. PEUCERUS *in Chron. Carion. l. V. p. 678.* REINECCIUS *p. 33.* LUNDORPIUS *continuati Sleidani l. XXXI. p. 816. ob excelsi animi magnitudinem, & fortitudinis bellicæ præstantiam Achillem Germanicum Itali indigitarunt.*

(2) SPENERUS prius elogium a Paulo II. posterius a Pio II. profectum putat *p. 426.* Utrumque Pio II. tribuunt W. JUSTUS & DRESSERUS *p. 489.*

(3) Fallitur ergo ANGELUS, qui *XIX. Septembris;* item W. JUSTUS, EBERUS & SEIFRIDUS, qui *XIX. Novembris* natum volunt. Vid. LAYRITZIUS *in hujus Electoris vita* §. *IX.* RENTSCHIUS *p. 389.*

(4) CUSPINIANUS *in Sigismundo*, SPENERUS *p. 427.*

(5) ÆN. SYLVIUS *Hist. Bojem. cap. LV. p. 57.*

(6) CERNITIVS p. 34. SPENERVS *d. l.* LAYRITZIVS §. XIV. RENTSCHIVS *pag. 390. seqq.*

(7) HARTM. SCHEDELIVS *in Chron. Norimb. f. 251. b.* LEONHARDVS PAUHOLTZ *in Continuat. Chron. Andreæ Presb. Ratisb. p. 145.* AVENTINVS *lib. VII. p. 511.* ubi tamen Ludovicum Bavarum ab ipso filio captum, sed Alberto Marchioni traditum scribit. CHYTRÆVS *Saxon. lib. V. p. 139.* ANGELVS *lib. III. p. 216.* CERNITIVS *p. 34.* SPENERVS *d. l.* LAYRITZIVS §. XVI. RENTSCHIVS *p. 392.*

(8) De hoc bello Norimbergensi multis præliis nobilitato, legendi *Chronicon Elwangense anno* 1449. *& seqq. p. 463. seq.* ÆN. SYLVIVS *Comm. ad dicta Alfonsi lib. II. c. XXV.* HARTM. SCHEDELIVS *d. l.* Auctor *Chron. Slav. dicto anno.* KRANTZIVS *Saxon. lib. II. c. XXXII.* TRITTHEMIVS *in Chron. Sponh. p. 366.* P. LANGIVS *in Chron. Citiz. p. 862.* CRUSIVS *Annal. Svev. part. III. lib. VII. VIII. IX.* REINECCIVS *Orig. Brandenb. p. 33. 34.* FABRICIVS *Orig. Saxon. lib. VII. p. 715.* ANGELVS *lib. III. p. 220. 222.* CERNITIVS *p. 35.* DRESSERVS *p. 489. & de German. urbibus p. 473.* SIGISM. a BIRKEN im Oesterreich. Ehrenspiegel *lib. V. cap. VI. p. 569.* SPENERUS *d. l.* LAYRITZIVS §. *XXI.* RENTSCHIVS *p. 393. seqq.*

(9) Idem RENTSCHIUS *p. 403. 407.* Vide de hoc bello LEONH. PAUHOLTZ *d. l. p. 150. seqq.* TRITTHEMIVM *in Chron. Sponh. p. 371. seqq.* SIGISM. a BIRKEN *d. l. cap. XIV. p. 670. seqq.*

(10) TRITTHEMIVS *d. l. p. 373. seqq.* REINECCIVS *p. 33.* CERNITIVS *p. 36. seq.* SPENERVS *d. l.*

(11) *Chron. Slav. ad ann.* 1471. KRANTZIVS *Wandal. lib. XIII. c. VI.* ANGELVS *lib. III. p. 234.* CERNITIVS *p. 37.* LIMNÆVS *lib. V. c. VII. §. XCVIII.* SPENERVS *d. l.* RENTSCHIVS *p. 112.*

(12) KRANTZIVS *Wandal. lib. XIII. c. XI.* REINECCIVS *p. 33.* CERNITIVS *p. 38.* SPENERVS *p. 437.* SIGISM. a BIRKEN *lib. V. c. XXIV. pag. 810. seqq.*

(13) Ita REINECCIVS *d. l.* DRESSERVS *p. 409.* REUSNERVS *Isag. Hist. p. 473.* DIEPHOLDIVS *p. 76.* CERNITIVS *p. 37.* SPENERVS *p. 421.* RENTSHIVS *p. 408.* At WAREMUNDVS ab EHRENBERG *Meditamentor. pro Fœderibus lib. I. c. II. §. XXXVIII.* refert, Marchiones Branden-

denburg. anno demum 1557. ad fœdus hæreditariæ unionis Saxonum & Hessorum, anno vero 1587. ad confraternitatis fœdus, salva conventione cum Ducibus Pomeranis inita, accessisse. Videantur etiam Acta die Fürstl. Marpurgische Succession betreffend *Artic. CX. seqq.*

(14) Elegantem hac de re scriptiunculam affert RENTSCHIUS p. 409. in qua & hæc legas: Wie that Sebastian von Seckendorff, da er im Sterb war zu Culmbach, und der Bischoff interdict darlegte? Er ließ die Todten dem Pfarrherrn ins Hause tragen, wolte er den Gestanck nicht leiden, und die nachfolgende Besorgniß, er muste sie wol begraben lassen.

(15) CERNITIUS p.38. SPENERUS p.427. RENTSCHIUS p.410.

(16) In hoc cœnobio suum habuisse hospitium, refert RENTSCHIUS p. 410. W. JUSTUS & REINECCIUS *XI. Martii* habent, & hic addit: *Mortem in balneo obiit repentinam.* Atque ita etiam CERNITIUS p. 38. & SIG. a BIRKEN *lib. V. c. XXXIII. p. 952.*

(17) REINECCIUS, ANGELUS, CERNITIUS, SPENERUS, RENTSCHIUS. Et Et apud hunc quidem legas & sequens Epitaphium Heilsbronnense: Anno Domini 1486. am Samstag vor den Sontag Judica in der Fasten, der da was der eilfte Tag des Merzens, starb auf einen grossen Käiserlichen Tag, zu Franckfurt am Main, der Durchleuchtig Hochgebohrne Fürst und Herr, Albrecht Marggraf zu Brandenburg, des Heiligen Römischen Reichs Ertz-Cämmerer und Churfürst, zu Stettin, Pomern, der Cassuben und Wenden, Hertzog, Burggraf zu Nürnberg und Fürst zu Rügen, der hie begraben lieget, des Seele der gnädig und barmhertzig GOtt gnädig seyn wolle, Amen. Miror hic omissum titulum *Ducis Franciæ Orientalis*, quo usum fuisse scribit LEONH. PAUHOLTZ *d. l. p. 136.* Quam honorificæ ei ductæ fuerint exequiæ Francofurti, legere est in Commentariolo *de Electione Maximiliani Regis Rom. Tomo III. Marq. Freberi p. 23.*

(18) ÆN. SYLVIUS, & ex eo REINECCIUS *p.* 34.
SPENERUS *p. 428.* LAURITIUS *de Her. Brandenb.* RENTSCHIUS *p. 402.* Exstant de hoc Electore præclaræ aliquot narrationes Æneæ Sylvii a REINECCIO repetitæ *p.* 34. Celebratur suavissimo Sabini

BINI carmine *lib. II. de Cæsaribus Germanicis*. Quæ quondam de hoc Alberto singulari dissertatione in hac Academia scripsit Cl. LAYRITZIUS, ea postea in Orat. *de Heroibus Brandenburgicis* contraxit.

§. LII.

Conjuges Albertus habuit duas. I. *Margaretam*, Iacobi Marchionis Badensis filiam, an. CIↃCCCCLVII. Onoldi mortuam. II. *Annam*, Friderici II. Placidi Electoris Saxonici filiam anno CIↃIↃXII. exstinctam, & Heilsbronnæ sepultam. (1) Ex priori genita tam filiorum, quam filiarum triga. JOHANNES Elector: *Fridericus* & *Wolfgangus* ætate immatura exstincti: (2) *Ursula*, nata an. CIↃCCCCL. Henrico Duci Munsterbergensi, contra Pauli Pontificis interdictum, quod pater Georgius Rex Bohemiæ cum Hussitis faceret, (3) anno CIↃCCCCLXVII. nupta, annoque CIↃIↃIII. Vratislaviæ mortua ac sepulta: *Elisabetha*, an. CIↃCCCCLI. Eberhardi II. Ducis Wurtembergici uxor, quæ anno CIↃIↃXXIV. (Rittershusius male: CIↃIↃXV.) improlis obiit, ac humata Stutgardiæ: *Margaretha*, nata CIↃCCCCLIII. a matre cœnobio addicta; sed ab excessu matris, Caspari Palatino-Bipontino pacta: inde gravi morbo implicita, Curiam Variscorum in monasterium S. Claræ missa, ubi primum Abbatissa facta, post religione sæculi tacta, posito munere, ut monialium una consenuit, anno CIↃIↃIX. decedens. (4) Ex altero matrimonio suscepti quinque filii, octo gnatæ. I. *Fridericus*, Franconiæ prioris liniæ conditor. (5) II. *Albertus* an. CIↃCCCCLXVI. natus & mortuus. (6) III. *Sigismundus* an. CIↃCCCCLXX. 28. Sept. Onoldi natus, in aula Maximiliani I. adolevit, ejusque bellis Ducatum militarem meruit. Ex decreto testamenti paterni accepit Burggraviatum Norimb. superiorem, quem an. CIↃCCCCXCV. 26. Nov. cælebs moriens Friderico fratri reliquit. (7) Quiescit in cœnobio Heilsbronnensi. (8) IV. *Albertus*

an.

an. CIↃCCCCLXX. Onoldi natus & exſtinctus. V. *Georgius*, Coloniæ ad Spream anno CIↃCCCCLXXIII. in lucem editus, an. CIↃCCCCLXXVI. Cadolsburgi ſublatus. (9) I. *Æmilia* (Rittershuſio *Amalia*) an. CIↃCCCCLXI. Plaſſenburgi nata, & primum Ludovico Manſveto, Palatino ad Rhenum, dein loco ſororis Margaretæ, Caſpari Bipontino nupta, an. CIↃCCCCLXXXI. in thermis Badenſibus vivere deſiit. II. *Anna*, non diu poſt partum demortua an. CIↃCCCCLXII. III. *Barbara*, an. CIↃCCCCLXIV. Onoldi nata, puella annorum X. Henrico II. Duci Glogovienſi ea conditione nupta, ut, ſi ipſe absque liberis decederet, hæreditas ad uxorem ſocerumque devolveretur. Henrico autem an. CIↃCCCCLXXVI. mortuo, Albertus a Johanne Saganenſi in adeunda hæreditate impeditur: donec Barbara Uladislao Bohemiæ Regi deſponſaretur: a quo tamen domum non eſt ducta, (10) annoque CIↃIↃ. vitam cum morte commutans Heilsbronnæ ſepulcrum indepta eſt. IV. *Sibylla*, Onoldi an. CIↃCCCCLXVII. nata, Wilhelmo Duci Juliacenſi nupſit (11) an. CIↃCCCCXC. annoque CIↃIↃXI. ex hac vita migravit. V. *Dorothea* an. CIↃCCCCLXXI. Coloniæ nata, in monaſterio S. Sepulcri Bambergæ facta Abbatiſſa, rebus humanis valedixit an. CIↃIↃXXIX. VI. *Eliſabetha*, an. CIↃCCCCLXXIV. Onoldi nata, Hermanno Principi Hennebergico lineæ Römhildanæ nupta, anno CIↃIↃVII. obiit. (12) VII. *Magdalena*, an. CIↃCCCCLXXVI. Coloniæ nata, brevi poſt partum mortua. VIII. *Anaſtaſia*, nata an. CIↃCCCCLXXVIII. Wilhelmo Principi Hennebergico lineæ Schleuſingenſis juncta, an. CIↃIↃXXXIV. inter mortales eſſe deſiit. (13)

(1) Ejus epitaphium habet RENTSCHIUS im Brandenb. Cederhein p. 413.
(2) Ideoque a W. JUSTO & aliis omisſi.
(3) RENSCHELIUS im Brandenb. Stammbaum p. 29. RENTSCHIUS p. 414.

p. 414. CURÆUS *Histor. Siles. part. II. p.* 329. RITTERSHUSIUS ejus obitum refert in an 1508.

(4) RENSCHELIUS p. 30. RENTSCHIUS p. 415. s. Jejunus in his paucis est REINECCIUS: *Margarita religiosam vitam amplexa. Hofii abbatissa fit ad S. Claram.*

(5) De hoc Friderico & posteris, alibi, Deo volente, agemus.

(6) Fallitur ergo REINECCIUS, qui *in prima adolescentia annis exstinctum*, ac multo magis W. JUSTUS, qui *anno ætatis XV. obiisse* scribunt. CERNITIUS tamen etiam an. 1466. obiisse tradit: atque ita quoque LIMNÆUS.

(7) REINECCIUS p. 37. SPENERUS p. 429. REINECCIUS & CERNITIUS eum vocant *Præfectum Maximiliani I. Imp. in Zisterdorff.* RITTERSHUSIO *in Tabb. Geneal.* dies emortualis est *XXV. Februarii.* Alii anno 1468. obiisse scribunt. Nos sequimur CERNITIUM p. 32.

(8) Epitaphium repetit RENTSCHIUS p. 420.

(9) RITTERSHUSIUS an. 1476. 5. Dec. demortuum notat. LIMNÆUS *triennio post.* Mirum igitur qui REINECCIUS & W. JUSTUS ei assignent uxorem *Margaretam*, Alberti Austriaci cognomine Sapientis filiam.

(10) CURÆUS *Histor. Siles. part. II. p.* 338. *seqq.* ANGELUS *lib. III. pag.* 237. *seqq.* 247. W. JUSTUS, REINECCIUS, DRESSERUS p. 491. CERNITIUS p. 43. SPENERUS, RENTSCHIUS p. 124. & 417. PFANNERUS *de Germaniæ Principibus cap. IV. p. 176. seqq.*

(11) ADELARIUS ERICHIUS *in Chron. Juliacensi lib. VI. cap. XX. p. 295.* RITTERSHUSIO annus mortis est --ICX.

(12. 13) SPANGENBERG. *Geneal. Henneb. lib. IV. c. XXV. p. 160. lib. V. c. XLIV. p. 246.* Errant igitur JUSTUS & ANGELUS immatura morte sublatam scribentes. CERNITIUS *non leves conjecturas extare* tradit, *mortuam esse an.* 1524. Atque ita quoque LIMNÆUS *lib. V. c. VII.*

§. LIII.

JOHANNES Elector, Alberti Achillis filius, ob staturam proceram, & auctoritatem eximiam *Magnus*, ob admira-

mirabilem dicendi facultatem dictus *Cicero Germanicus*, (1) natus est Onoldi anno CIƆCCCCLV. 11. Augusti. In aula patrui Friderici II. educatus, illo Pomeranici belli causa ababsente, Marchiam quindecennis, ac porro patre Onoldi commorante, eandem administravit. (2.a) Primus hic est Electorum, qui aulæ sedem in Marchia constanter fixit; quo in successores eum sunt secuti. (2.b) An. CIƆCCCC-LXXIV. cum Electore Saxoniæ Ernesto, Casimirum Poloniæ, Uladislaum Bohemiæ, & Matthiam Ungariæ Reges, ob Silesiam inprimis discordes, adducta selectorum militum manu, habita oratione bene longa, sapiente & gravi, feliciter composuit ad Vratislaviam. (3) An.---LXXVI. cum mortuo sororio Henrico Glogoviensi Duce, qui Barbaræ conjugi, Iohannis sorori ejusque hæredibus legaverat Ducatum, hunc vero patruelis Johannes Dux Sagani, ascito in partes Matthia Rege Hungariæ sibi vindicaret, grave erupit bellum: quòd tandem Camenicii an.---LXXXII. sic compositum, ut Barbaræ dotalitio nomine Crosna, Zulichium Sommersfelda, Bobersberga Ducatui avulsa concederentur. (4) An.--- LXXXIV. oblatam tutelam Luneburgensis urbis recepit; (5) ac Duces cum Brunswicensi civitate composuit. (6) Anno--LXXXVIII. Veterem Marchiam ob cerevisiarum vectigal tumultuantem coercet, & multis ob hoc privilegiis mulctat. An.--XCII. in Vngariam profectus, parum abfuit, quin occideretur. (8) An.--XCVIII. condendæ novæ Academiæ Francofurtensis privilegium ab Alexandro VI. Papa impetravit. (9) Moritur demum Arnsburgi in veteri Marchia an. XCIX. 9. Januarii, cum jam diu ob corporis obesitatem, quam aliquoties præsentissimo vitæ periculo curare tentaverat, rebus agendis parum esset idoneus. (10) Corpus primo in monasterio Leninensi depositum, postea Coloniæ sepultum fuit. (11) Paulo ante obitum Joachimum filium hortatus est ad pie-

1455. 1474. 1476. 1482. 1484. 1488. 1492. 1498. 1499.

tatis, justitiæ, & beneficientæ studium: a violentia vero in subditos, nimia nobilium licentia, & ab illecebris voluptatum dehortatus. (12)

(1) REINECCIVS *p. 37.* ANGELVS *p. 252.* DRESSERVS *p. 490.* CERNITIVS *p. 42.* SPENERVS *p. 430.* KRANTZIVS *Wandal. lib. XIII. c. VI.* CERNITIVS *d. l.*

(2.a) SPENERVS, *d. l.* RENTSCHIVS *p. 423.*

(2.b) SPENERVS, RENTSCHIVS *p. 427.*

(3) PHIL. MELACHTHON *Epistola quadam ad Joach. II. Elect. Brandeb. & Sigismundum Archiep. Magdeb. scripta:* quæ exstat *lib. I. Epist. Joh. Schosseri VI. p. 285.* ac ipse SCHOSSERVS *Marthiados lib. I. p. 123.* PEUCERVS *in Chron. Carionis lib. V. p. 679.* ANGELUS *lib. III. pag. 234.* CERNITIVS *p. 43.* CURÆUS *Hist. Siles. part. I. p. 139.* REINECCIVS *p. 36.* DRESSERVS *p. 430.* RENTSCHIVS *p. 425.*

(4) Vide Scriptores *præcedenti thesi* allegatos *num. 10.*

(5) CERNITIVS *p. 43.* SPENERVS *p. 430.* RENTSHIVS *p. 427.*

(6) KRANTZIVS *Saxon. lib. XIII. cap. XIX. p. 346.*

(7) KRANTZIVS *Saxon. lib. XIII. cap. XIV. Wandal. lib. XIII. cap. XXVI.* ANGELVS *lib. III. p. 255.* CERNITIVS *p. 44.* SPENERUS *d. l.*

(8) RENTSCHIVS *p. 429.*

(9) Vid. JOH. CHRISTOPH. BECMANNI *Notitia Universitatis Francofurt. cap. II. p. 17.*

(10) REINECCIVS *p. 36.* CERNITIVS *p. 44.* SPENERVS *p. 430.* RENTSCHIUS *p. 428.*

(11) ANGELVS *lib. III. p. 260.* CERNITIVS *d. l.* RENTSCHIVS *p. 430.*

(12) REINECCIVS *p. 37.* ANGELVS *d. l.* DRESSERVS *p. 491.* CERNITIVS *p. 45.* RENTSCHIVS *d. l.* Idem integrum sermonem valedictorium ad Joachimum I. filium, utique dignissimum, qui omnium Principum animis inscribatur, repetit. p. 434. seqq.

§. LIV.

Ex uxore *Margareta*, Wilhelmi III. Saxoniæ Ducis filia

filia Johannes genuit *Joachimum I.* Electorem, *Wolfgangum*, (1) anno CIↃCCCCLXXX. brevi post baptismum demortuum, & *Albertum*, Archiepiscopum Moguntinum & Magdeburgensem; (2) *Elisabetham*, anno CIↃCCCCLXXXVI. natam & exstinctam, *Annam*, an. sequenti natam, Friderico Holsatiæ Duci, eidemque post ejectum Christianum II. Daniæ Regi nuptam, annoque CIↃIↃXXI. decedentem: *Vrsulam*, ingenio & forma excellentem, an. CIↃCCCCLXXXVIII. natam, Henrici IV. Ducis Meklenburgici conjugem, quæ an. CIↃIↃXI. obiit.

(1) Ab aliis dici *Christophorum*, notant W. JVSTVS & REINECCIVS. LIMNÆUS ex MS. notat, an. 1482. *infantem obiisse.*

(2) Hujus Alberti vitam jam scripsimus *in Historia Halberstadensi:* ac pluribus, Deo favente, de eo agemus *in Hist. Magdeburgensi.*

§. LV.

JOACHIMVS I. Elector natus an. CIↃCCCCLXXXIV. V. 21. Februarii, cognomento *Nestor*, (1) Princeps doctus, 1484. & lingvarum, inprimis latinæ, ut & historiæ & astrologiæ peritus, (2) ac ob studia cum Francisco I. Galliæ Rege & Leone X. Pontifice summam necessitudinem habuit. (3) Anno ætatis XVI. sine tutore Electoratum aggressus, idque inprimis Alberti patrui Electoris Moguntini consilio, verba Aureæ Bullæ, quæ huic instituto adversa videbantur, ad electionem Cæsaream restringens. (4) An. CIↃIↃIV. Ma- 1504. ximiliano Cæsari contra Palatinos belligeranti opem tulit. (5) Sequenti anno Coloniensibus comitiis interfuit. (6) 1505. Ao. CIↃIↃVI. die 27. Aprilis Academiam Francofurtensem 1506. ex paterni testamenti decreto introduxit, obtentis a Maximiliano & Julio II. Papa privilegiis, & plerisque Lipsia excitis Professoribus. (7) An. IↃIX. Hamburgenses se ejus 1509. tutelæ per integrum decennium crediderunt. (8) Anno

1510. --ICX. Judæos, quod panem eucharisticum indigne tractassent, vivicomburio aliisque suppliciis punivit. (9) Anno
1517. --IↃXVII. Marchiam novam, quæ cum pacto retrovenditionis Friderico II. tradita, ab Ordine Teutonico hæreditariam obtinuit. (10) An. --IↃXIX. Caroli V. electionem cum
1519.
1521. Alberto fratre promovit Francofurti. (11) An. --ICXXI. in comitiis Wormatiensibus B. Lutherum a confessione Evangelica frustra cum aliis Principibus dimovere conatus est. (12) An. --IↃXXIV. a morte Wigmanni ultimi Co-
1524.
mitis, Rupinensem Comitatum, ut feudi dominus, rece-
1528. pit. (13) An. --IↃXXVIII. stabile pactum cum Pomeranis initum, quo simultanea investitura Brandenburgicis concessa, & quoties Pomeraniæ ordines Principibus suis homagium præstarent, successio in casum masculorum defi-
1530. cientium promitteretur, cautum. (14) An. --IↃXXX. in comitiis Augustanis eleganti Latina oratione excepit Carolum V. (15) itemque legatum Pontificis Cardinalem Campegium. (16) Sed a religione Evangelica alienior, gravibus minis, nomine Cæsareo ab eadem abstrahere conatus est Johannem Saxoniæ Electorem. (17) Iisdem comitiis legatis Transsylvanis opem contra Turcos implorantibus latine respondit. (18) Elisabetham uxorem, Johannis Regis Daniæ filiam ob agnitionem Evangelii custodiæ mandaturus erat, nisi ad avunculos Saxones confugisset. (19) Parum aberat, quin ob hoc ad arma deventum: nec rediit Elisabetha, nisi a morte mariti: quæ Stendaliæ contigit
1535. tigit an. CIↃIↃXXXV. (20) XI. Julii. Corpus exanime primo in monasterio Leninensi depositum, post in ecclesiam cathedralem Coloniam translatum. (21) Uxor autem a filio Johanne reducta, Spandaviæ consenuit, (22) annoque --ICLV. mortua ad septuaginta cum liberis nepotes vidit. (23)

(1) Sa-

(1) SABINUS: *Nestoris es lingva dulcedine nomen adeptus,*
Vt tuus Æacida nomen Achillis avus.

(2) In his magistro usus est Joh. Carione. CERNITIVS *pag. 49.* Hinc & Joh. Tritthemium singulariter æstimavit. Vide hujus *Chronicon Sponheimense p. 424.*

(3) REINECCIVS p. 38. CERNITIVS p. 53.

(4) CERNITIVS p. 48. SPENERVS p. 434. RENTSCHIVS p. 432.

(5) TRITTHEMIVS *in Historia belli Bavarici* apud Freherum *Tom. II. p. 96.* LINTVRIVS *in Append. ad Wern. Rolevinckii Fascic. Temp. p. 121.*

(6) TRITTHEMIVS *in Chron. Sponheim. p. 423.*

(7) NICOL. BASELIVS *in Additionibus ad Naucleri Chronogr. fol. 51.* ubi mirifice laudat hunc Joachimum. P. LANGIVS *in Chron. Citiz. p. 188.* qui tamen perperam ad an. 1501. refert W. JVSTVS *de Francofurto cap. IV. p. 38.* JACOBVS MIDDENDORPIVS *de Academiis lib. V. p. 205.* REINECCIVS *p. 38.* ANGELVS *lib. III. p. 265.* CHYTRÆVS *Saxon. lib. I. p. 40. lib. VI. p. 148.* CERNITIVS *p. 49.* RENTSCHIVS *p. 439.* Videatur inprimis J. C. BECMANNI *Notitia Universitatis Francofurtanæ*, in qua ipsius Maximiliani Cæsaris, & Julii Papæ privilegia repræsentat *cap. II. pag. 12. seqq.*

(8) CERNITIVS *pag. 49.* SPENERVS *p. 434.*

(9) BASELIVS *in Addition. ad Nauclerum.* JOH. MANLIVS *in Collectaneis Locor. Commun. p. 88.* TRITTHEMIVS *in Chron. Sponheim. p. 433.* LUCAS OSIANDER *Epitom. Hist. Eccles. cent. XVI. lib. I. cap. XIV. p. 28.* ANGELVS *lib. III. p. 269. seqq.* fuse omnia describit. CERNITIVS *pag. 49.*

(10) CERNITIVS *p. 50.* RENTSCHIVS *49. 441.*

(11) SLEIDANUS *lib. I.* MELANCHTHON *in Historia de Electione & Coronatione Caroli V.* BROWERVS tamen scribit *Annal. Trevirens. l. XX. pag. 330.* Electorem Brandenburgensem metu armorum Caroli V. mutasse animum. Falsus tamen plane est Gvicciardinus, qui *lib. XIII. Histor. p. 291.* Joachimum nostrum putat secundum seipsum suffragium tulisse.

(12) SLEIDANVS *lib. III.* CERNITIVS *p. 50.*

(13) CHYTRÆUS *Saxon. lib. IX. p. 279.* CERNITIVS *p. 51.* SPENERVS *p. 434.* RENTSCHIVS *p. 441.*

(14) CHYTRÆUS *lib. XII. p. 314. s.* ANGELVS *lib. III. p. 318.* CERNITIVS *p. 52.* SPENERVS *d. l.* PFANNERVS *cap. IV. p. 166*

(15) REINECCIVS *pag. 38.* ANGELVS *pag. 319.* CERNITIVS *d. l.* RENTSCHIVS *p. 440.*

(16) DRESSERVS *p. 492.*

(17) SLEIDANVS *lib. VII. & VIII.* ex eo OSIANDER *lib. II. c. XVI. pag. 189.* CHYTRÆUS *lib. XIII. p. 323.*

(18) SABINVS *in Orat. Tomo I. Declamat. Melanchthonis*: ex ea REINECCIVS *d. l.* ubi addit: *Narrant alii typis eam* (orationem) *vulgatam fuisse. sed eam nondum videre mihi contigit.* DRESSERVS *d. l.* CERNITIVS *d. l.*

(19) LUTHERVS *Epist. ad Wencesl. Linckium Tom. II. pag. 375.* ex eo SPENERVS *p. 435.*

(20) CHYTRÆUS *lib. XIV. p. 360.*

(21) CERNITIVS *p. 53.* Epitaphium ei a Ceorgio Sabino ſcriptum repetit REINECCIVS p. 38. ac aliud elegantiſſimum de eo carmen habetur *lib. II.* SABINI *de Cæſaribus Germanicis.* Continet præterea exquiſitas tam ipſius Electoris, quam Alberti fratris laudes alia ad illum Sabini epiſtola.

(22) W. JVSTVS, SPENERVS p. 435.

(23) ANGELVS *lib. III. p.* 343. CERNITIVS p. 46. ex *concione funebri* ab Islebio habita. RENTSCHIVS p. 442.

§. LVI.

Et liberi quidem fuere ſequentes: *Joachimus II.* Elector, *Johannes Sapiens: Anna* an. CIↃIↃVII. nata, Alberti III. Ducis Meklenburgici conjux, mortua an. CIↃIↃLVII. *Eliſabetha* nata an. CIↃIↃX. ab exceſſu prioris mariti, Erici Senioris, Ducis Brunſw. Popponi Comiti Hennebergenſi conjuncta, obiit an. CIↃIↃLVIII. (1) *Margareta*, an. CIↃIↃXI. nata,

nata, primo Georgio Duci Pomeraniæ, deinceps Johanni Principi Anhaltino (2) nupsit, ac decessit an. CIↃICXLIII.

(1) De hujus Principis fortuna lege SPANGENBERGII *Chronicon Hennebergense lib. V. cap. LV. pag. 278. seqq.*

(2) BROTUFIUS *Geneal. Anhalt. lib. VI. cap. XVI. fol. 103. a.*

§. LVII.

Johannes, minor Ioachimi I. Electoris filius, *Sapiens & Severus*, (1) itemque *oculus & consilium Germaniæ* (2) dictus, an. CIↃIↃXIII. 3. Augusti in lucem editus est Custrini: quod oppidum restauravit, maximis impensis munivit, & in sedem suam delegit. (3) Ex paterno testamento novam Marchiam, & Ducatum Crosnensem accepit. (4) Evangelicæ religioni, & fœderi Protestantium nomen quidem dedit an. CIↃIↃXXXVIII. (5) sed cum de illa cavisset Cæsar, non modo ab hoc recessit, (6) sed etiam Cæsari militans vexillo inscribi fecit: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei.* (7) Cumque Smalcaldici eum hoc nomine perstringerent, publicis scriptis respondit. (8) Dein ipso intercedente multi Smalcaldici pacem quæsivere. (9) In formulam Interimisticam cum an. --XLVIII. consentire nollet, comitiis Augustanis abire jussus est: quod ideo factum putant, ne suo vel exemplo, vel sermone, aliorum animos confirmaret. (10) Unde postea Magdeburgensibus plus favit: at in Tangermundensi colloquio a fratre abstractus est: (11) annoque --LII. in expeditione Metensi Carolo V. adfuit. (12) Vitam finiit Custrini an. CIↃIↃLXXI. 13. Ianuarii, ac ibidem in æde parochiali sepultus est. (13) Dissecto corpore inventus in fellis vesicula lapis asper instar olivæ, cor vero flaccidum; quo dissecto ater sangvis effluxit. (14) Multis claruit virtutibus, singulari pietatis studio, eloquentia arguta, consilii dexteritate, & frugalitate.

1513. 1538. 1548. 1552. 1571.

litate. (15) Quotidianum tempus sic dispertitus est, ut partem precibus, ac lectioni S. Scripturæ, partem deliberationibus & cognitioni causarum suæ provinciæ, partem peregrinorum Principum negotiis tribueret. (16) Ex conjuge *Catharina*, Henrici junioris, Ducis Brunswicensis filia an. CIↃIↃXL. genuit *Elisabetham*, an. -- LVIII. Georgio Friderico Marchioni Brandenburgo-Onoldino; & *Catharinam*, n. ao. CIↃIↃXLIX. 10. Aug an. -- LXX. Ioachimo Friderico Administratori Magdeburgensi, post Electori, nuptas. Cumque masculos nullos haberet, hæreditas ad Iohannem Georgium Electorem devenit. (17)

(1) THUANUS *lib. L. Princeps prudentia, & ad severitatem antiquam compositis moribus commendabilis.* CHYTRÆUS *Saxon. lib. XXII. p.* 663. NICOL. REUSNERUS: *Princeps ille* Severus *ore, corde,*
Princeps at Sapiens *(utrumque nomen*
Gessit vivus adhuc) piusque Princeps.

(2) SPENERVS p. 436. Hoc tamen elogium alii Joachimo II. Electori tribuunt.

(3) Hæc fere verba sunt Sebastiani Schroteri *in Historia Terr. Orbis Tom. I. p.* 153. Plura vide apud ANGELVM *lib. III. p.* 366. & RENTSCHIVM im Brandenb. Cederhein *p.* 444. CERNITIVS ex Leutingero tradit, *Angermundi ad Viadrum* esse natum.

(4) RENTSCHIVS p. 443. Unde vulgo appellarunt *Ducem Crosnensem.* DRESSERVS p. 439.

(5) SLEIDANVS *lib. XII.*

(6) SLEIDANVS *lib. XVII.* CHYTRÆUS *lib. XVI. p.* 414. DRESSERVS *d. l.*

(7) SABINUS *in Epist. ad Sleidanum*, & ex ea REINECCIVS *p.* 44. SCHARDIVS *de Gestis sub Maximil. II. Tom. IV. p.* 2475. SPENERUS *d. l.*

(8) SABINVS *in Epist. ad Sleidan. in fine epistolarum ejus libri unius.* SLEIDANUS *lib. XVII.* Habentur hæc scripta in *Hortlederi Tom. II. lib. III. c. XIV. p.* 305. *seqq. & XVII. p.* 318. *seqq.*

(9) SPENERUS, *d. l.*

(10) SLEI-

(10) SLEIDANUS *lib. XX.* SCHARDIUS *d. l.* REINECCIUS *p. 44.* THUANUS *lib. IV.* DRESSERUS *p. 493.* Singularia hac de re habet RENTSCHIUS *pag. 446. seqq.*

(11) REINECCIUS & SPENERUS *d. l.*

(12) SLEIDANUS *lib. XXIV.* SCHARDIUS *d. l.* REINECCIUS, SPENERUS.

(13) THUANUS *d. l.* W. JUSTUS *in Geneal.* SCHARDIUS *d. l. p. 2476.* RENTSCHIUS *p. 449.*

(14) ANGELUS *p. 369.* DRESSERUS *d. l.*

(15) REINECCIUS & SPENERUS.

(16) REINECCIUS ex Sabino.

(17) CHYTRÆUS *lib. XXII. p. 663.* SCHARDIUS, THUANUS, ANGELUS *l. c.*

§. LVIII.

JOACHIMUS II. Elector anno CIƆIƆV. 9. Januarii natus, Alberti patrui cura, sub Johannis Funccii (1) disciplina educatus, multum in pietatis & Latinæ lingvæ studio profecit. Adolescens a patre in aulam Maximiliani I. ductus, adeo ipsi placuit, ut neptem Caroli V. sororem pacisceretur sponsam, quæ tamen ante sponsalia decessit. (2) Porro patrem ad omnia fere comitia secutus non contemnendam prudentiam collegit. (3) An. CIƆIƆXXXII. cum bis mille equitibus adversus Turcas profectus, & Philippo Palatino junctus, cum Turcicum ducem Casonum ad Leopoldesdorfium stravisset, equestri dignitate a Carolo V. Cæsare mactatus est. (4) Ab excessu Patris Evangelicam religionem professus, Spandaviæ primum an. CIƆIƆXXXIX. S. Cœna sub utraque specie usus est: cumque socer Sigismundus, Poloniæ Rex huic instituto per literas & legatum intercederet, atque idem Georgius, Dux Saxoniæ, & Albertus patruus facerent, Elector causas consilii epistola prudenter & graviter ad Regem scripta exposuit. (5) Laudato quoque anno Francof.

VI. 1505. 1532. 1539.

1540. Academiam insigniter auxit & ornavit. (6) An. --- XL. novam arcem Electoralem Coloniæ magnifice exstruxit, & judicium cameræ in meliorem redegit ordinem. (7)
1542. An. --- XLII. Spiræ communi Ordinum consilio & voluntate Dux belli adversus Turcas designatur: (8) qua expeditione licet parum promoveretur: quod auxilia vel emanerent, vel serius adventarent, ne latius tamen vageretur hostis, præstitit. (9) Vnde calumnias Pauli Iovii adversus optimum Principem merito refutarunt viri docti.
1546. (10) An. --- XLVI. bello Smalcadico Cæsaris partes secutus, ut idem faceret Iohannes frater, hortator fuit. (11) Cum eodem tempore inter Iohannem Fridericum, Electorem Saxoniæ, & Mauritium Ducem simultas recruduisset, reconciliandis illis vehementer incubuit. (12) Quando Elector Saxo in potestatem Cæsaris venisset, ut capitalis in eum sententia mutaretur, intercessione sua impetrat, (13) simulque ab Anhaltinis finibus hostiles direptiones avertit. (14) Pro reconciliando Cæsari Philippo Hassiæ Landgravio multum laboravit. (15) Granvellano autem Cardinali sophisticen ex formula pacis Germanica (**in einig & ewig**) ingerere auso, ita in hominem incanduit, ut manu hoc vindicaturus fuisset, nisi alii iracundiam ejus leniissent. (16) Nec ab eo tempore sollicitare pro Philippo destitit, sed ut operam semper luderet: quoad istum veluti nodum Gordium ense suo dissecuit
1548. Mauritius Elector. (17) Anno -- XLVIII. in negotio Interimistico a Cæsare confirmationem propriæ apud suos paulo ante promulgatæ constitutionis impetrat, neque aliquid
1549. in puriore religione immutat. (18) Anno sequenti Grimnicii una cum uxore grave periculum vitæ subiit, con-
1550. clavi, in quo spatiabantur, diffracto. (19) Anno -- L. a Magdeburgensibus per incursiones læsus, Magdeburgensem obsidionem promovit. (20) Postea Mauritiano in Cæ-

sarem

ſarem bello haut adverſatus, fidem ſuam Philippi filio datam liberari deſiderabat. (21) Illo ex ſententia confecto, Albertum agnatum ab ulterioribus turbis ſerio dehortatur. (22) An.--LV. illo potiſſimum auctore confraternita- 1555.
tis fœdus inter Saxones, Brandenburgicos & Haſſos Naumburgi confirmatum fuit. (23) Eodem anno Spandaviam egregie munire cœpit. (24) An.--LVIII. coronationi Fer- 1558.
dinandi I. annoque --LXII. electioni Maximiliani II. Fran- 1562.
cofurti interfuit. (25) Bellum Gothanum an.--LXVI. liben- 1566.
ter compoſuiſſet, niſi Martius furor omnia turbaſſet. (26) 1569.
An.--LXIX. a Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Rege, ſi agnati in Pruſſia ſine hæredibus extingverentur, ſucceſſionis certitudinem impetravit. (27) Obiit tandem an.--LXXI. 1571.
3. Januarii in arce venatoria Coppenick, fraude Lipoldi Judæi, qui in Malvatico venenum porrexerat. (28) Funus Coloniam deductum eſt, ubi die poſt mortem 23. conditur. (29) Enituit maximarum virtutum fama, pietate, ſinceriori religionis ſtudio, fortitudine, beneficentia. Paci enixe ſemper ſtuduit: quam ut ſuis perpetuam præſtitit, ita aliis ſæpe feliciter conciliavit. Adulationes & calumnias averſatus quam maxime fuit. Addatur his ſingulare id & mirificum, quod res futuras ſœpe non obſcure cognoverit. (30)

(1) REINECCIUS *p. 40.* CERNITIUS *p. 56.* RENTSCHIUS *p. 451.*

(2) Iidem, Miror id tacere SIGISM. a BIRKEN im Oeſterreich. Ehrenſpiegel.

(3) REINECCIUS *d. l.* SPENERUS *d. l.*

(4) W. JUSTUS, REINECCIUS *d. l.* DRESSERUS *pag. 494.* cujus & hæc ſunt: *Cum iter ingreſſus eſt, galli vix ante biduum nati læta acclamatione totum diem cecinerunt.* Elegans de hoc præſagio carmen ſcripſit Sabinus, quod repetit ANGELUS *lib. III. p. 321.* Meminit hujus rei etiam CERNITIUS *p. 58.*

(5) Epiſtola illa exſtat inter Melanchthonis epiſtolas. De re ipſa vid. BUCHOLZERVS *in Chronol. p. 553.* & ex eo OSIANDER *Epit. Hiſt. Eccl. cent. XVI. lib. II. cap. XLII. p. 321.* CHYTRÆUS *Saxon. lib. XV. pag. 388.* REINECCIVS *p. 41.* ANGELVS *lib. III. p. 320. ſeqq.* DRESSERVS *p. 495. ſeqq.* CERNITIVS *p. 58.* SPENERVS *p. 538.* RENTSCHIVS *p. 425.* ex ipſis Pontificiis LAUR. SURIUS *part. II. Chronic. Germanice verſorum fol. 47.*

(6) W. JVSTVS *in Chron. Francof. c. IV. p. 39.* SCHARDIVS *de geſtis ſub Maximil. II. Tom. IV. p. 2473.* CERNITIVS *p. 59.* RENTSCHIVS *d. l.* REINECCIVS hoc refert in an. hujus ſæculi XLII. Habet gratulationem de Academia Francof. inſtaurata SABINVS *lib. III. Elegiar.*

(7) CERNITIVS *p. 59.* SPENERUS *p. 438.* RENTSCHIVS *p. 453.*

(8) SLEIDANVS *lib. XIV.* & ex eo OSIANDER *d. l. cap. XLVII. p. 339.* CHYTRÆUS *lib. XV. p. 398.*

(9) REINECCIVS & SPENERVS *d. l.* Ipſe Joachimus luculenta oratione in conſeſſu totius Imperii Ordinum id demonſtravit. Exſtat illa inter *Orationes Turcicas* Reusneri. Schardius etiam provocat ad literas Electoris e caſtris datas ad Ferdinandum & Ordines Imperii Norimb. congregatos.

(10) THUANVS *lib. L.* SABINVS *lib. VI. Elegiar.* SCHARDIVS *d. l. p. 247. ſeqq.* REINECCIVS *d. l.* CERNITIVS *p. 67.*

(11) SLEIDANUS *lib. XVII.* HIERON. FALETVS *in Hiſtor. belli Germanici lib. IV.* apud HORTLEDERUM *Tom. II. lib. III. cap. LXXXI. p. 702.* REINECCIVS.

(12) REINECCIVS & CERNITIVS.

(13) SLEIDANVS *lib. XIX.* ex eo OSIANDER *cap. LXV. p 410.* LUDOV. ab AVILA *de bello Smalcaldico n. CCXIX.* JOH. GODOJUS *de bello Caroli V. Germanico lib. II.* apud HORTLED. *Tom. II. p. 1956. ſeqq.* SCHARDIVS *d. l.* ANGELVS *lib. III. p. 338.* THUANVS *lib. IV.* ALSTEDIUS *in Theſauro Chronolog. pag. 548.* MASENIVS *in Hiſtoria Caroli V. & Ferdinandi I. p. 105.* Celebrat hanc Electoris Brandenb. interceſſionem eleganti epiſtolio MELANCHTHON *in Epp. a Manlio editis fol. 210* REINECCIVS, ANGELVS

(15) SLEI-

(15) SLEIDANUS *lib. XIX.* ex eo OSIANDER *lib. II. cap. LXVII. p. 409.* REINECCIVS, ALSTEDIVS, SCHARDIUS *d. l.* THUANVS *lib. IV.* CERNITIVS *pag. 60.*

(16) REINECCIVS, CERNITIVS *d. l.* SPENERUS *439.*

(17) Verbis hic usi sumus Reineccii, quæ & habet Cernitius.

(18) Sequimur Reineccium, & Cernitium, qui ad diploma Cæsareum provocant. Nec aliter SPENERUS *p. 439.* Non tamen sum nescius, in alia abire SCHARDIUM *d. l.* SLEIDANVS *lib. XX.* quem exscribit OSIANDER *lib. II. cap. LXIX. p. 490.* THUANUM *lib. IV.* DRESSERVM *p. 495.* & REUSNERVM *in Isagoge Histor. pag. 582.* Forte primo non restitit, persvasus nimirum ab Islebio: post a Bucero rectiora edoctus, mutare cœpit sententiam. Confer & HORTLEDERUM *Tom. II. lib. III. cap. LXXXVI. p. 930. seqq.*

(19) CERNITIVS *p. 61.* RENTSCHIVS *p. 455.*

(20) SEBAST. BESSELMAIERVS *in Hist. Belli Magdeburg.* apud HORTL. *lib. IV. c. XVII. p. 1197.* SLEIDANVS *lib. XXII.* OSIAND. *lib. II. c. 78. p. 454.* REINECCIVS *p. 42.* ANGELVS *p. 344.* SPENERVS *p. 439.* RENTSCHIVS *p. 454.*

(21) SLEIDANVS *lib. XXV.* REINECCIVS *d. l,* Vid. HORTL. *Tom. II. l. V. cap. I. p. 1281. seqq.*

(22) Idem, & SPENERVS.

(23) JOACH. CAMERARIVS *in Annotat. rerum præcipuar. ab an.* 1550. *Tom. III. Freberi p. 479.* SLEIDANVS *lib. XXVI.* OSIANDER *lib. III. c. XX. p. 631.* CHYTRÆVS *Saxon. lib. XVIII. p. 480* ANGELVS *lib. III. p. 353.* THUANUS *lib. XVI.* CERNITIVS *p. 62.* DRESSERVS *p. 92.* LIMNÆUS *Jur. publ. lib. III. c. X. Tom. IV. Addit ad lib. IV. cap. IV.* SPENERVS *pag. 55.*

(24) ZEILERVS *Itinerar. German. lib. I. cap. IV. p. 100.* CERNITIVS *p. 62.* RENTSCHIVS *p. 455.*

(25) REINECCIVS *p. 42.* OSIANDER *lib. III. cap. XXX. p. 663.* ANGELVS *p. 356. 360.* THUANUS *lib. XXXI.* CERNITIVS *p. 63.*

(26) REINECCIVS *d. l.* CERNITIVS *p. 64.* RENTSCHIVS *d. l.*

(27) W. JVSTVS, ANGELUS *lib. III. pag. 366.* CERNITIVS *d. l.* SPENERVS *pag. 439.* RENTSCHIVS *p. 457.* HARTKNOCH. *Histor. Pruss. part. II. c. II. pag. 334.*

(28) CHYTRÆUS *Saxon. lib. XXII. pag. 602. s.* OSIANDER *lib. III. cap. LXVII.* qui tamen male Custrini obiisse scribit. THUANUS *l. C.* REINECCIVS *p. 43.* JOH. DICKENSONVS *in Speculo Tragico pag. 104.* CERNITIVS *p. 66.* LUNDORPIVS *Sleidani contin. lib. XI. p. 60.* SPENERVS *d. l.* RENTSCHIVS *pag.* 458.

(29) W. JUSTVS, REINECCIUS, ANGELVS, *p. 368.* CERNITIVS *pag. 62.* SCHARDIVS *Tom. IV. p. 2472.* Funeris historiam edidit ANDREAS MUSCULVS D. ubi & de morte plura, eaque memoratu dignissima. Scripsit porro Orationem de totius vitæ curriculo atque obitu, CHRISTOPH. MEIENBURGIVS, quam in paucorum esse manibus, testantur CERNITIVS. Ab ANDR. ANGELO aliquoties etiam laudatur D. Francisci Hildensemi *Vita Joachimi II.*

(30) REINECCIVS *p. 43.* CERNITIVS *pag. 64.*

§. LIX.

Conjuges habuit duas: *Magdalenam*, Georgii Saxoniæ Ducis filiam, an. CIƆIƆXXXIV. mortuam, & *Hedwigem*, Sigismundi Poloniæ Regis gnatam, anno -- LXXIII. denatam. (1) Ex priore nati *Johannes Georgius* successor: *Fridericus*, an. -- LXXX, 12. Dec. natus, in Archiepiscopatu Magdeburgensi & Episcopatu Halberstadensi Johanni Alberto surrogatus an. CIƆIƆLII. eodemque anno, III. (Rittersh. V.) Octobris mortuus. (2) *Albertus* & *Georgius* gemelli, in cunis mortui. (3) *Paulus*, an. CIƆIƆXXXIV. 29. Martii partu difficili natus, mox a baptismo exstinctus. (4) *Barbara* an. CIƆIƆXXVII. X. August. nata, Georgio Duci Lignicensi nupta an. CIƆIƆXLV. demortua anno CIƆIƆXCV. II. Januarii *Elisabetha*, an. CIƆIƆXXVIII. nata, anno nondum vertente sublata. Posterior laudato an. XXXVIII. die II. Decembris peperit *Sigismundum*, a morte Friderici fratris Archiepiscopum

ſcopum Magdeb. ac Adminiſtratorem Halberſtadenſem an. CIƆIƆXVI. 14. Septembr. Hallis de vita decedentem, ibique tumulatum. (5) *Eliſabetham Magdalenam* (6) Berolini anno CIƆIƆXXXVII. 6. Novemb. natam, a patruo Alberto Archiepiſcopo baptizatam, annoque -- LV. Franciſco Ottoni Duci Brunſwicenſi junctam, qui tamen tertio a nuptiis menſe obiit. (7) Ipſa vero vidua an. demum -- XCV. XXII. Auguſti Coloniæ ex hac vita migravit. *Hedwigem*, n. an. CIƆICXL. Iulii Ducis Bruſw. conjugem, quæ an. CIƆIƆCII. XXII. Octob. vita functa eſt in dotalitio Heſſem, ubi etiam ſepulturam nacta. (8) *Sophiam*, n. an. CIƆIƆ XLI. Wilhelmi Baronis Roſemberg, ſupremi regni Bohemiæ Burggravii uxorem, tertio poſt initum matrimonium a. -- LXIV. XIV. Dec. (al. XVIII. Febr.) demortuam. (9)

(1) Nuptiæ an. CIƆIƆXXXV. Kl. Septembr. ſunt celebratæ.

(2) Hujus Friderici vitam deſcripſimus *in Hiſtoria Halberſtadenſi*, & fiet id denuo *in Hiſtoria Magdeburgenſi*. Exſtat alias erudita JOH. SCHOSSERI *Ecloga*, Principis hujus encomium continens in libro *Carminum Heroicor. p. 200. ſeqq.*

(3) W. JUSTUS & REINECCIUS *pag.* 45.

(4) Iidem.

(5) De hoc item Sigismundo dictum *in Halberſtadenſibus*. Vide quoque REINECCIUM *p. 46*. SIMON. SCHARDIUM *de rebus geſtis ſub Maximiliano II. Tom. IV. p. 2306.*

(6) REINECCIUS vocat *Magdalenam Eliſabetham p. 47.*

(7) W. JUSTUS, RENTSCHIUS *p. 462.*

(8) Idem *p. 462.* vocat Wilhelmum, *Banderefium* (Banerherrn) *regni Bohemici.*

(9) W. JUSTUS, CERNITIUS *p. 6.* SPENERUS.

§. LX.

IOHANNES GEORGIUS Elector communis pater

ter omnium Principum ex familia Brand. superstitum (1)
1525. an. CIↃIↃXXV. XI. Septembr. Onoldi in lucem editus, cum Friderico fratre Francofurt. Academiæ alumnus fuit, (2) ac tantum in literis & artibus profecit, ut prudentissimos non æquaverit, sed etiam superaverit consiliarios. (3) Tyrocinia militiæ posuit in bello Smalcaldico ad Wittebergam, (4) equestri cingulo ob id ornatur, cum honorifico Caroli V. ad patrem perscripto testimonio. (5) Quamvis autem a patre arcem Zechlin, ubi familiam institueret, acceperit, (6) Philippo tamen II. Regi Hispano cui a consiliis fuit bellicis, ac deinceps Ferdinando I. & Maximiliano II. operam suam togatam ac sagatam addixit. (7) Ex
1571. quo successit patri an. CIↃIↃLXXI. non multo post exstincto patruo Johanne, novam Marchiam, & quæ alia iste posse-
1573. derat, accepit. Deinde an. --LXXIII. a Lippoldo venefico Judæo supplicium sumsit, (8) ac Judæos marchia ejecit.
1575. (9) An. --LXXV. Dresdam ad Maximilianum II. Cæsarem profectus (10) ibidem de electione Regis Romani consultavit, ac paulo post electionem Rudolphi Ratisbonæ præsens procuravit. (11) Eodem anno Bescoviensem & Storcoviensem præfecturas Johanni patruo oppignoratas ob-
1528. tinuit hæreditarias. (12) An. --LXXVIII. controversias inter Sigismundum Regem Poloniæ & urbem Gedanensem una cum Augusto Saxone composuit: (13) Ac in comitiis Varsaviensibus simultaneam de Prussia investituram impetra-
1586. vit. (14) An. --LXXXVI. post obitum soceri Joachimi Ernesti, Anhaltinorum Principum supremus tutor factus, hanc tute-
1587. lam summa cum laude administravit. (15) An. --LXXXVII. confraternitatis fœdus cum familiis Saxonica & Hassiaca Numburgi renovavit, (16) Religionem Evangelicam constanter fovit ac promovit: Sed pro libertate Evangelica Coloniensibus impetranda, & Gebhardi Truckseſſii Ar-
1591. chiepiscopi causa frustra laboravit. (17) Ab an. --XCI. quo Chri-

Christianus I. Elector Saxoniæ obiit, cum Friderico Wilhelmo Saxoniæ Duce, Principum filiorum tutelæ præfuit. (18) Eodem anno Henrico IV. Galliæ Regi auxilia adversus fœderatos (Ligistas) mitti decrevit. (19) Mortem obiit 8. Januarii an. CIƆIƆXCVIII. qui multis illustribus & doctis 1598.
viris fatalis fuit. (20) Coloniæ ad Spream sepultus est. (21) Princeps erat miti ingenio, quique pacis tam in Ecclesia, quam in Imperio colendæ & constituendæ summum desiderium tota vita præ se tulit. (22)

(1) THUANUS *lib. CXX. Illustrissimam familiam pene exstinctam felici prole serius suscepta instauravit.*

(2) Præceptoribus usus *Nicolao Mienero*, & ab ejus obitu, *Bartholomæo Rademanno* D. JCto. REINECCIUS p. 45. CERNITIUS in *Joh. Georgio p. 70.* Vid. RENTSCHIUS p. 463.

(3) RENSCHELIUS p. 44. RENTSCHIUS p. 468.

(4) CERNITIUS *d. l.* Singularia hac de re affert RENTSCHIUS p. 465.

(5) THUANUS *l. IV.* REINECCIUS, SPENERUS *p. 442.*

(6) CERNITIUS & SPENERUS.

(7) Iidem RENSCHELIUS & RENTSCHIUS *d. l.*

(8) Scelus Judæi *quinquennio post indicio vocis, a Judæi uxore cum marito rixante impotenter emissa, patuit*: quæ verba sunt THUANI *lib. V.* repetita ex CHYTRÆI *Saxon. lib. XXII. p. 603.* Legendus inprimis CERNITIUS p. 71. 72. ANGELUS *lib. III. p. 371.* provocat ad scriptiunculam hac de re editam.

(9) SPENERUS, RENSCHELIUS, RENTSCHIUS.

(10) CERNITIUS p. 73. ANGELUS p. 374. ANTONIUS WECKE in der Beschreib. Dresden *part. IV. tit. IV. pag. 387.*

(11) CERNITIUS *d. l.* RENSCHELIUS *pag. 45. s.* RENTSCHIUS *468.*

(12) CERNITIUS, RENTSCHIUS, SCHOSSERUS *cap. XXII.*

(13) PASTORIUS *Flori Polon. lib. IV. p. 267.* CERNITIUS, SPENERUS.

(14) Iidem, ut & RENSCHELIUS ac RENTSCHIUS.

(15) CERNITIVS *pag.* 74. RENTSCHIVS *p.* 472.
(16) CERNITIVS, SPENERVS *pag.* 442.
(17) CHYTRÆVS *lib.* XXVI. *p.* 728. MICHAEL ab ISSELT *de bello Coloniensi lib.* II. *p.* 247. 292. 339. 559. CERNITIVS & SPENERUS *d. l.*
(18) SPENERVS *d. l.*
(19) THUANUS, SPENERVS, RENTSCHIVS *pag.* 472.
(20) THUANUS *lib.* CXX. CERNITIVS *pag.* 77. REUSNERVS male ponit XCVII. 8. *Dec.*
(21) Pompam funeris describit ANGELVS *lib.* III. *pag.* 443. *seqq.* Idem sarcophagi inscriptionem repræsentat *p.* 450.
(22) THUANVS *d. l.*

§. LXI.

Conjuges Johanni Georgio fuere tres. I. *Sophia*, Friderici Ducis Lignicensis & Brigensis filia, Joachimi Friderici Electoris mater, quæ nono ab ejus puerperio die decessit. II. *Sabina*, Georgii Marchionis Brandenburgo-Onoldini gnata, nupta an. CIƆIƆXLVIII. an. CIƆIƆLXXV. 4. Nov. mortua. III. *Elisabetha*, Joachimo Ernesto, Principe Anhaldino genita, quæ nupta an. CIƆIƆLXXVII. Crosnæ obiit an. CIƆIƆCVII. 26. Sept. (Rittersh. XXVIII.) Ex altero matrimonio suscepit *Georgium Albertum*, qui an. CIƆIƆLV. 19. Febr. natus, an. -- LVII. vivere desiit: *Johannem* & *Albertum* gemellos: item *Magdalenam Sabinam*, *Magdalenam*, *Hedwigem*, *Margaretam*, *Mariam*, omnes & singulos ætate immatura exstinctos. *Erdmudem* n. a. CIƆIƆLXI. 26. Jun. Johanni Friderico, Duci Pomeraniæ nuptam, Stolpæ demortuam an. CIƆIƆCXXIII. 13. Nov. (1) *Annam Mariam*, n. ann. CIƆIƆLXVII. 3. Febr. Barnimi Ducis Pomeraniæ uxorem, quæ an. CIƆIƆCXVIII. 4. Nov. vita excessit Wollini: *Sophiam*, Zechlini natam an. CIƆIƆLXVIII. 6. Junii, quæ Christiano I. Electori Saxoniæ nupsit an. CIƆIƆLXXXII. decessit ann. CIƆIƆCXXII. 7. Decembris. (2) Ex tertia uxore, præter illos,

illos, qui ante partum exstincti, nati sunt septem filii, quatuor filiæ I. *Christianus*, n. a. CIƆIƆLXXXI. 30. Jan. Baruthinæ lineæ conditor. (3) II. *Joachimus Ernestus*, n. an.-- LXXXIII. 12. Junii, sator lineæ Onoldinæ. (4) III. *Fridericus*, ann.-- LXXXVIII. 22. Martii Berlini natus, cum in Academia Francofurtana, & in illustri Collegio Tubingensi aliquamdiu vixisset, ac postea Galliam, Angliam, Scotiam & Belgium peragrasset, an. CIƆIƆCX. Ordinis Equitum Johannitarum per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam Magister (des Johanniter-Ordens Heermeister) creatus, anno sequenti Sonneburgi obiit, ac Custrini sepultus est. (5) IV. *Georgius Albertus*, n. a. CIƆIƆXCI. 20. Nov. ann. CIƆIƆCXIV. Magister laudati Ordinis factus, ibidem sequenti anno moritur, ac Custrini sepelitur. (6) V. *Sigismundus* an. CIƆIƆXCII. 20. Novemb. Berlini natus, sub Spinola copias in Belgio duxit, (7) præfectus Cliviæ constitutus, inducias inter Polonos & Svecos in annos XXVI. promovit, eoque nomine a Prussicis Ordinibus donativum accepit. (8) Demum Cliviæ terrenis valedixit an. CIƆIƆCXL. VI. *Johannes*, an. CIƆIƆXCVII. 13. Jul. natus, Spinolæ etiam militavit, & postea sub Wallensteinio tribunus Cæsareæ legionis fuit: sed an. CIƆIƆCXXVII. 13. Sept. bello contra Danos mortuus (9) & sequenti anno Culmbaci sepultus est. (10) VII. *Johannes Georgius*, posthumus Crosnæ n. an. CIƆIƆXCVIII. 4. Augusti, atque ita, quod rarissimi est exempli, LII. annis primogenito fratre suo minor, *junior* ob nepotem suum dictus, (11) tribunum in fratris sui Johannis legione egit, an. CIƆIƆCXXVII. una cum Henrico Duce Saxo-Lauenburgico tres legiones in gratiam Cæsaris conscripsit, ac an. CIƆIƆCXXXVII. 27. Januar. Creilshemii vita abiit. (12) Filiæ fuerunt sequentes. I. *Magdalena*, Berlini nata anno CIƆIƆLXXXII. 7. Januar. nupta Ludovico Hassiæ Landgravio, Darmstadii mortua an. CIƆIƆCXVI. 4. Maji. II. *Agnes*,

n. an. CIƆIƆLXXXIV. a morte Philippi Julii, Ducis Pomeraniæ, Francisci Caroli, Ducis Saxo-Lauenburgici secunda uxor, (13) mortua an. CIƆIƆCXXIX. III. *Elisabetha Sophia*, n. an. CIƆIƆLXXXIX. 4. Julii, conjuncta primo Johanni (Janusio) Radzivilio, Duci in Bierze, Dubinki, Slazco & Kopyl, deinde Julio Henr. Duci Saxo-Lauenburgensi, n. an. CIƆIƆCXXIX. 24 Decemb. IV. *Dorothea Sibylla*, n. an. CIƆIƆXC. 19. Octobr. nupta Johanni Christiano, Duci Lignicensi, demortua Brigæ an. CIƆIƆCXXV. 9. Martii.

(1) Ita CERNITIUS & RENTSCHIUS. Sed RITTERSHUSIUS & SPENERUS obiisse scribunt an. 1628.

(2) RITTERSH. habet *3. Decembr.* Mirum qui LIMNÆUS *lib. V. cap. VII.* scribat, mortuam *ann.* 1583.

(3. 4) De *Christiano* & *Joachimi Ernesto* alibi, Deo volente, dispiciemus. RITTERSHUSIUS J. Ernestum *X. Junii* tradit natum.

(5) CERNITIUS *p. 61.* LIMNÆUS *d. l.* SPENERUS *p. 444.* RENTSCHIUS *p. 476.*

(6) Iidem.

(7) SPENERUS *p. 444.*

(8) RENTSCHIUS *478.*

(9) SPENERUS *d. l.*

(10) RENTSCHIUS.

(11) SPENERUS.

(12) RENTSCHIUS *p. 479.*

(13) Hunc alterum *Agnetis* maritum tacent CERNITIUS & RENTSCHIUS.

§. LXII.

VIII. JOACHIMUS FRIDERICUS Elector an. CIƆIƆXLVI.
1546. 27. Jan. Berlini semivivus utero materno extractus, vino Malvatico, aliisque preciosis aquis lotus, divina providentia servatus fuit. (1) Cum annum ageret septimum, ab excessu Friderici patrui Episcopus Havelbergensis, inde

an-

anno CIƆIƆV. Lebusiensis Episcopus renuntiatus est, patre interim filii nomine Episcopatus regente. (2) Accrescentibus annis aulam Maximiliani II. Imp, aliquamdiu secutus, sub ejusdem auspiciis in Ungaria militavit an. CIƆIƆLXV. 1565.
(3) Cumque alter ejus patruus Sigismundus Archiepiscopus Magdeburgensis an. -- LXVI. fatis concederet, Admi- 1566.
nistrator Archiepiscopatus postulatur, (4) approbante illam postulationem literis ad cathedrales scriptis (5) laudato Imp. summoque cum applausu Procerum & Ordinum exceptus, in id unice incubuit, ut symbolum, quo per omnem vitam usus, *Initium Sapientiæ timor Domini*, re ipsa declararet. (6) Sic igitur templum cathedrale per motus bellicos diu clausum anno -- LXVII. aperuit, ac cetera quo- 1567.
que monasteria a fermento Papistico repurgavit. (7) Licet vero Pontificii ejus conatibus vehementer obsisterent, ac Imperator quoque, ob contractum cum *Catharina* patrui magni Johannis filia matrimonium, regalia differret, in quieta tamen possessione nihilominus mansit: (8) nisi quod aliquoties de hac causa cum Pontificiis necessum habuerit decertare in comitiis. An. -- LXXIV. Henricum 1574.
Valesium, designatum Poloniæ Regem Hallis magnifice excepit. (9) Anno sequenti dominia Bescoviense & Stor- 1575.
coviense, loco hypothecæ socero & socru demortuis ad se transmissa, parenti hæreditariam successionem a Maximiliano II. impetranti libens cessit. (10) An. -- LXXVIII. simul- 1578.
taneam investituram Ducatus Prussiæ per contactum vexilli nominatim indeptus est. (11) Gliscentibus tum temporis in religione dissidiis, trium Electorum sæcularium & aliorum Principum votis, adhibito Theologorum consilio, subscripsit. (12) An. -- LXXIX. dedita Magdeburgo 1579.
subditos in fidem suscepit. (13) An. -- LXXXII. Imp. Rudol- 1582.
pho prima comitia Augustæ indicente, cum de sessione Mageburgensi lites ei moverentur, cedere loco, quam ju-

1587. ri suo maluit. (14) An. -- LXXXVII. Conventui Numburgensi, quo confraternitas Saxonica, Brandenburgensis &
1590. Hassiaca confirmabatur, interfuit. (15) An. -- XC. Christianum I. Electorem Saxoniæ invisit Dresdæ, cum quo profectus Torgam, ibidem de suppetiis Henrico IV. Galliæ Regi mittendis egit. (16) An. sequenti laudati Electoris Saxonis funus Freibergam usque comitatus est. (17) An.
1592. -- XCII. Thermas Carolinas valetudinis gratia adiit. (18) In his thermis nuncium de electione filii *Johannis Georgii* in Administratorem Episcopatus Argentoratensis accepit: quæ tamen electio ob antagonistam Carolum Lotharin-
1595. gum, multarum curarum turbarumque causa fuit. (19) An.
1596. -- XCV. varia itinera confecit. (20) An. -- XCVI. ad coronationem Christiani IV. Daniæ Regis Hafniam profectus, in mari Balthico ex tempestate extremum vitæ subiit periculum. (21) Non diupost Regi filiam despondit Annam Catharinam, quam Haderslebium in Holsatiam deduxit, nuptiis ibidem celebratis. (22) In reditu cum nuncium de parentis lethali accepisset morbo, eundem Berolini decum-
1598. bentem celeriter invisit, ac ineunte an. -- XCVIII. placide vita functum luxit. (23) Homagio a subditis præstito, præter religionis studium Reip. negotia sedulo procurans, legatos Geram in Voigtlandiam misit, pactis, quæ postea Geraviensia fuere dicta, cum Georgii Friderici Marchio-
1599. nis legatis finem impostituros. (24) An. -- XCIX. investituram tam Germanicorum, quam feudorum Bohemicorum im-
1602. petravit. (25) An. CIƆIƆCII. in comitiis provincialibus de
1603. arduis rebus ad salutem provinciarum pertinentibus cum Ordinibus consultavit. (26) Anno CIƆIƆCIII. agnato Georgio Friderico mortuo, cum patruis Christiano & Joachimo Ernesto fratribus de successione in Franconia & Jägerndorfensi Ducatu transegit, ac postea exequias Georgii Friderici præsentia sua ornavit. (27) Reversus per legatum

tum Joachimum Hubnerum curatelam ægri Ducis Prussiæ Alberti Friderici a Sigismundo III. Poloniæ Rege secundum pacta petiit, ac biennio post impetravit. (28) Postmodum possessionem Ducatus Jägerndorfici adiit, subditis ei 1604.
homagium lubenti animo præstantibus. (29) An. -- IV. Collegium Consiliariorum secretius instituit: quod institutum 1605.
successores prosecuti sunt. (30) An. -- V. per regium diploma curator ægri Principis cum titulo Ducis Prussiæ constitutus, præsentibus legatis regiis subditos sibi per homagium obstrinxit. (31) Cum autem ei de successione mo- 1606.
verentur scrupuli, seq. anno legatos misit in Poloniam, qui Varsavia redeuntes a seditiosis Racossanis indigne sunt tractati. (32) Eodem anno Jubilæum Academiæ Franco- 1607.
furtanæ celebrari curavit. (33) Anno -- VII. pro cultu juventutis Marchicæ illustre gymnasium in valle Ioachimica erexit, ac dedicavit. (34) Demum cum Coloniæ aliquas ceremonias curasset aboleri, ac ædem cathedralem S. Trinitatis titulo mactasset, (35) sermonem inauguralem habente D. Christophoro Pelargo, in Præfecturam Storcoviensem profectus, morbum inveteratum, compressionem nempe orificii ventriculi ex flatibus sentiens, Berlinum accelerans, in carpento prope Copnicium exspiravit 1608.
an. CIↃIↃCVIII. die 18. Iulii, ex quo vixisset annos LXII. menses V. septimanas tres. (36)

(1) Angelus *lib. III. p. 335.* Cernitius *p. 80.* Spenerus *pag. 444.* Rentschius *p. 479.*

(2) W. Justus *in Geneal.* Angelus *p. 351. 353.* Cernitius *l. l.* Rentschius *p. 480.*

(3) Cernitius.

(4) Chytræus *Saxon. lib. XXI. p. 563. seqq.* Angelus *p. 364.* Rentschius *pag. 481.*

(5) Cernitius.

(6) Idem.

(7) In

(7) In hujus rei memoriam in Magdeburgensi cathedrali templo trabi cuidam choro incumbenti aureis litteris hæc leguntur inscripta: ANNO DOMINI M.D.LXVII. DOMINICA I. ADVENTVS REPVRGATVM EST HOC TEMPLVM CATHEDRALE ET INCHOATA PVRA EVANGELII PRÆDICATIO ET LEGITIMA SACRAMENTORVM ADMINISTRATIO, EXPLOSO ANTICHRISTO VENI. VIDE. AVDI. Repetunt hanc inscriptionem AVCTORES *Chron. Saxon. Germanici p. 667.* REINECCIVS *p. 47.* CERNITIVS *p. 81.* P. BERTIVS *lib. III. Rer. Germanicar. p. 605.* RENTSCHIVS *p. 481.*

(8) SCHARDIVS *de rebus gestis sub Maximiliano II. Imp. p. 2441.* THUANUS *lib. XLVII.* CERNITIVS *p. 81.* MICH. CASP. LUNDORPIVS *in Continuat. Sleidani Tom. II. lib. X.* SPENERVS *p. 445.*

(9) THUANVS *lib. LVII.* CERNITIVS *d. l.* OLEARIVS *Halygraph. part. II. pag. 295.*

(10) CERNITIVS.

(11. 12) IDEM.

(13) REINECCIVS *p. 47.* CERNITIVS Pompam hujus introitus Magdeburgici eleganti carmine descripsit M. JOH. POMARIVS

(14) CERNITIVS *p. 82.* RENTSCHIVS *p. 483.*

(15) CERNITIVS & RENTSCHIVS *d. l.*

(16) Iidem.

(17) CERNITIVS.

(18) *Ob collisum brachium*, ait Cernitius.

(19) CHYTRÆVS *lib. XXIX. p. 851.* THUANUS *lib. CIV.* ANGELVS *lib. III. p. 411.* CERNITIVS *p. 84.*

(20) *Primum Onolspachium, deinde Heidelbergam, ubi Conventus multorum Principum institutus erat, & postmodum Stutgardiam ac Argentinam.* CERNITIVS *d. l.*

(21) IDEM.

(22) ANGELVS *p. 442.* CERNITIVS *p. 85.*

(23) ANGELVS & CERNITIVS. RENTSCHIVS *p. 484.*

(24) CER-

(24) CERNITIVS *p. 86.*

(25) IDEM.

(26) CERNITIVS *ad Recessum de his negotiis publicatum* provocat.

(27) AUCTOR *Continuat. Chytraei p. 78. seqq.* LUNDORPIVS *Sleidani continuati Tom. III. lib. IX. p. 488. 490.* CERNITIVS, SPENERVS & RENTSCHIVS.

(28) CERNITIVS *p. 87.* HARTKNOCHIVS *in Histor. Prussica parte II. c. II. pag. 345.*

(29) CERNITIVS.

(30) RENTSCHIVS *p. 484.* Primi in hoc Collegium recepti fuere: *Comes Hieronymus Schlikius: Baro Rhetius: Cancellarius Johannes Lobenius: Christophorus Wallenfelsius: Hieronymus Dificovius: Procancellarius D. Christophorus Benekendorfius: D. Fridericus Prukmannus: Simon Uldaricus Pistoris, & Joachimus Hübnerus* CERNITIVS *p. 88.*

(31) IDEM, & RENTSCHIVS.

(32) *Racossanis* id tribuit CERNITIVS *p. 89.* sed *Cosacis & Masuris* AUCTOR *continuati Chytraei p. 124.* LUNDORPIVS *Continuati Sleidani Tom. III. lib. XIII. p. 807.* Miror cur id praetereat PIASECIVS.

(33) CERNITIVS *p. 88.* RENTSCHIVS *p. 485.*

(34) IIDEM & SPENERVS.

(35) IIDEM.

(36) IIDEM. REUSNERO dies emortualis est *XX. Julii.*

§. LXIII.

Prima uxor *Catharina*, quam duxit an. CIↃIↃ·LXX. quæq; Coloniæ an. CIↃIↃII. XXX. (Rittersh. *XXIII.*) Sept. mortua, Patrem eum fecit novem liberorum. (1) Hi fuere sequentes: I. *Iohannes Sigismundus* Elector. II. *Iohannes Georgius.* III. *Augustus* Hallis natus an. CIↃIↃLXXX. XVII. Febr. Coloniæ tabe consumtus an. CIↃIↃCI. XXXIII. April. IV. *Albertus Fridericus* n. an. CIↃIↃLXXXII. XXIX. Apr. (2) m. an. an. CIↃIↃC 3. Dec. V. & VI. *Joachimus* & *Ernestus* gemelli,

nati an. CIↃIↃLXXXIII. 13. Apr. quorum ille decessit Dresdæ an. CIↃIↃC. x. Junii; hic autem fratris Electoris nomine Juliacensibus provinciis aliquamdiu præfuit, (3) anno CIↃIↃCXI. magister Ord. Johannitarum per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Wandaliam factus, (4) anno CIↃIↃCXIII. 19. Septembr. Coloniæ vivere desiit. VII. *Christianus Wilhelmus*. VIII. *Anna Catharina*, (5) n. an. CIↃIↃLXXV. 26. Jun. Christiani IV. Daniæ Regis conjux, denata Hafniæ an. CIↃIↃCXII. 29. Martii. IX. *Barbara Sophia*, n. an. CIↃIↃLXXXIV. 16. Nov. Johanni Friderico Duci Würtembergico nupta an. CIↃIↃCX. mortua an. CIↃIↃCXXXVI. Ex altera uxore *Eleonora*, Alberti Friderici Marchionis Brandenb. Ducis Prussiæ filia, quam duxit an. CIↃIↃCIII. ac an. CIↃIↃCVII. decessit, non nisi filia auctus est *Maria Eleonora*, Coloniæ nata an. CIↃIↃCVII. 22. Martii, an. CIↃIↃCXXXII. Ludovico Philippo, Palatino-Simmerano desponsata, an. CIↃIↃCLXXV. exstincta.

(1) THUANUS *lib. XLVII. Uxorem duxit Catharinam, Johannis patrui filiam, ex qua numerosam sobolem sustulit, opportuno ad illustrissimam gentem, quæ fere ad solitudinem redacta fuerat, propagandam subsidio.* LUNDORPIUS *Sleidani continuati lib. X. p. 18.*

(2) RITTERSHUS. *XIX. April.*

(3) LUNDORPIUS *d. l. Tom. III. lib. XV. p. 943.* CERNITIUS *in Joh. Sigismundo p. 95.*

(4) RENTSCHIUS *p. 487.*

(5) REINECCIO *p. 48.* tantum audit *Catharina.*

§. LXIV.

Johannes Georgius, Joachimi Friderici Electoris filius an. CIↃIↃLXXVII. 16. Dec. Wolmersteti natus, an. CIↃIↃLXXXVIII. cum fratre Johanne Sigismundo Argentoratum studiorum causa missus, (1) virtute & humanitate sua meruit,

ruit, ut anno CIↃIↃXCII. Administrator Episcopatus Ar- 1592.
gentoratensis ab Evangelicis Canonicis eligeretur: cum
contra Pontificii in Carolum Lotharingiæ Ducem con-
sentirent. (2) Magnæ exinde nascebantur turbæ & tu-
multus bellici, (3) quorum pertæsus pater, tandem filio au-
ctor est Episcopatum resignandi: quod is faciens Jägern-
dorffensem Ducatum a morte Georgii Friderici vacantem 1607.
accepit anno CIↃIↃCVII. ac ducalem arcem magnifice ex-
ornavit. (4) Anno CICIↃCXIII. nomine fratris Electoris Iu- 1613.
liacensem provinciam administravit. (5) Anno CIↃIↃCXVI.
auctus est Magisterio Ordinis Johannitici. (6) An. CIↃIↃC- 1618.
XVIII. utriusque Silesiæ Ordinum Dux bellicus constitu-
tus, adeoque sequentium annorum turbis Bohemicis in- 1621.
volutus, Silesiam & Moraviam an. CIↃIↃCXXI. infestat. Ob
hoc a Ferdinando II. proscriptus, & Ducatu Jägerndor-
fensi privatus, Bethleni Gaboris conatus in Vngaria juvit, 1624.
(7) annoque CIↃIↃCXXIV. 2. Martii Leutschoviæ mortuus,
Cassoviæ sepultus est. (8) Ex *Eva Christina*, Friderici Du-
cis Wurtembergici filia, quam duxit anno CIↃIↃCX. genuit
Georgium an. CIↃIↃCXIII. 31. Jan. Jägerndorfii natum, se-
quenti anno X. Nov. Berlini exstinctum: *Albertum* anno
CIↃIↃCXIV. X. Aug. natum, anno CIↃIↃCXX. demortuum. *Er-
nestum*, Jägerndorfii an. CIↃIↃCXVII. 18. Jan. natum, qui in
Würtembergica aula aliquamdiu vixit, tum Produx etiam
Berolini fuit. Qua in statione an. CIↃIↃCXLII. 24. Sept.
decedens Iägerndorfensem claudit lineam.

(1) Cernitius *in Joachimo Friderico Electore p. 82.* Spenerus *p. 455.* Rentschius *p. 915.*

(2) Cernitius *p. 85. 86.* Rentschius *p. 415. seqq.*

(3) Legendi de hoc bello Argentinensi Chytræus *Saxon. lib. XXIX. p. 851.* Thuanus *lib. CIV. CV.* Lundorpius *Sleidani continuati lib. XXXII. pag. 868. seqq. & Tom. III. lib. XI. p. 558. seqq.* Carolus Carafa *de Germania sacra restaurata pag. 48. seqq.* Tobias

Pfan-

PFANNERVS in *Historia Pacis Westphalica lib. I. §. VII. pag. 19. seqq.*

(4) ZEILERVS *Itinerar. Germ. cap. XXX. p. 634.* SPENERVS *pag. 455.* RENTSCHIVS *p. 133. & 917.*

(5) AUCTOR *continuati Thuani lib. VI. p. 372.*

(9) RENTSCHIVS & SPENERVS.

(7) De hujus Marchionis Jägerndorfii gestis bellicis & proscriptione inter ceteros agunt NICOLAUS BELLVS im Osterreich. Lorbeer-Krantz *lib. IV. p. 441. 475. lib. V. p. 504. 509. 552. 559. 582. 587. lib. VI. p. 613.* ADOLPHVS BRACHELIVS *Historiar. nostri temporis lib. I. p. 35. 39.* CARAFA *de Germania S. restaurata p. 124. 126. 131.* JOH. CLUVERIVS *in Epitome Historiar. pag. 739.* WASSENBERGIVS *in Floro German. pag. 23.* PAULVS PIASECIVS *in Chron. p. 348. seqq.*

(8) PFANNERVS *de Princip. German. p. 179.* SPENERVS p. 455. RENTSCHIVS p. 918.

§. LXV.

1587. *Christianus Wilhelmus* (1) anno CIↃIↃLXXXVII. 28. Augusti Wolmersteti natus, ex quo Pater Electoratum, ipse Archiepiscopatus Magdeburgensis administrationem in-
1608. deptus, annoque CIↃIↃCVIII. 21. Augusti solenni ritu inauguratus, summæque rerum præfectus fuit. (2) Quod
1625. autem an. CIↃIↃCXXV. icto cum Christiano IV. Daniæ Rege, affini suo, fœdere, arma contra Ferdinandum II. Imp. tulisset, proscriptus, (3) & a suis quoque, qui adversus pacta (Capitulationem vocant) quædam designasse causabantur, (4) desertus, externa circumspexit præsidia. Demum itaque confugit ad Gustavum Adolphum Sveciæ Regem, petendæ opis & æris impetrandi ergo, quo militem conscriberet. (5) Interim Canonici Magdeburgici metuentes, ne dignitas Archiepiscopalis in manus Pontificii veniret Principis, Augusto Saxoni, quem jam tum Coadjutorem postulaverant, Archiepiscopatum contulerunt an.
1628. CIↃIↃCXXVIII. (6) cui Cæsar, auctoritate Pontificia adjutus,

jutus, Leopoldum Wilhelmum filium opponit. At Christianus Wilhelmus, qui id temporis adhuc in Svecia commorabatur, de his turbis factus certior, non destitit postulata sua apud Regem urgere enixius: qui de auxiliis spem certam, & potestatem facit, ut ab argentariis & mercatoribus, quantam ubique posset, pecuniam in nomen ac fidem suam sumeret mutuam: addita adhortatione, ne cœpta præcipitaret, sed caute & lente ageret. (7) Ille vero tentatis prius per fidum ministrum Magdeburgicorum animis, festinato itinere per medios hostes Magdeburgum ignotus venit exeunte Julio an. CIↃIↃCXXX. ibique rebus 1630.
ex sententia fluentibus, ipsis Augusti Kalendis in magna civium frequentia fœdus cum Rege Svecorum publice percussum est. (8) Mox publico edicto (9) omnes Archidiœceseos incolas ad expellendum religionis ac patriæ hostem in armis sibi præsto esse jussit. Delectus itaque pro se ac Rege Sveciæ instituit, & cohortes aliquot Wolmerstadium & Calbam mittit, quæ Cæsareanis inde abactis cum copioso commeatu, ac monachis captivis in urbem reversæ sunt. Bernburgum quoque Anhaltini Principatus oppidum vi cepit. Per hos successus factus animosior, majora spirare, & Hallas intercipere aggressus est. Hallenses antea de cœptis moniti plerique Domino suo faventes, eundem dato signo cum milite admittebant, cumque Cæsareani in arcem Mauritianam confugerent, Administrator eos obsidere & admotis tormentis oppugnare cœpit. Sed postquam Tillium contractis copiis sibi reditum præcludere velle accepisset, relictis tormentis omnique apparatu, Magdeburgum se recepit. Non multo post arcem Mansfeldicam per Nicolaum Bockium tribunum intercepit. Crebræ exin velitationes inter Cæsareanos & Magdeburgenses commissæ; donec Tillius & Pappenhemius urbem obsidione cingerent. Venit tamen in tem-

 pore

pore a Sveciæ Rege missus Theodorus Falckenbergius, animosque magistratui, & plebi auxit. (10) Prius tamen quam Tillius extrema tentaret, missis aliquoties ad Chri-Christianum Wilhelmum, Falckenbergium, & magistratum literis (11) monuit, ut maturata deditione imminenti se excidio subtraherent. Ad ultimas cum per biduum frustra responsum exspectasset Tillius, die x. Maji signo dato urbem invadit; cum Administrator & Falckenbergius in curia cum primoribus urbis de responso Tillio dando deliberarent. Primus Pappenhemius districto gladio suos antegressus, qua novum oppidum spectat, vallo potitus est. (12) Huic provolans e curia Falckenbergius cum globo militum civiumque occurrit: & nonnihil retro pulsus cessurus videbatur Pappenhemius, nisi Falckenbergius inter promtissimos dimicans occubuisset. Taceo expugnationem Magdeburgi & flebile incendium, (13) & ad Christianum Wilhelmum revertor. Is in expugnatione urbis glande plumbea sinistrum crus trajectus, & caput graviter contusus, in Pappenhemii potestatem venerat. (14) Hic eum ad Cæsarem Viennam, Cæsar Neustadium abduci & in custodia haberi jussit. Ibidem frequenter ad illum itarunt sacerdotes Pontificii, & ad amplectendam religionem Papalem induxerunt, quam denique ritu solenni in sacello aulico professus est. (15) Nec id tantum, verum etiam suo sub nomine *Speculum Veritatis* evul-
1634. gari fecit an. CIƆIƆCXXXIV. cui Caspar Erasmus Brochmandus, Hafniensis, & Melchior Nicolai, Würtembergicus Theologi, responderunt. (16) E custodia liberatus maluit apud Imperatorem manere, quam ad suos reverti, ne (ut volunt aliqui) magis liberationis ac pietatis causa Confessionem Augustanam abdicasse videretur. (17) An.
1635. CIƆIƆCXXXV, per Pragensis pacis capita, quando Augusto Saxoni Archiepiscopatus Magdeburgicus maneret, Mar-

chioni

chioni nostro quotannis XII. talerorum millia adscribebantur, ipso in dynastia Austriæ Seefeldio commorante. (18) Sed an. CIϽIϽCXLVIII. per decretum pacis Westphalicæ, loco laudatæ summæ, cœnobium & præfecturam Zinna & Loburg accepit: indeque sibi suisque prospiciens in ipso anni CIϽIϽCLXV. exordio decessit, nulla prole mascula e triplici matrimonio suscepta. 1648. 1665.

Prima uxor fuit *Dorothea*, Henrici Julii Ducis Brunswicensis filia an. CIϽIϽXLIX. mortua, mater *Sophiæ Elisabethæ* an. CIϽIϽCXVI. 22. Jan. natæ, Friderico Wilhelmo Duci Saxo-Altenburgensi an. --XXXVIII. nuptæ, annoque -- L. 6. Martii demortuæ, multo relicto sui desiderio. (19) Altera erat *Barbara Eusebia*, Jaroslai a Martiniz, supremi in regno Bohemiæ Burggravii filia, supremi Iudicis provincialis Bohemiæ Comitis in Zvvirben, vidua, quam an. CIϽIϽCL. ducens an. -- LVI. mense Iunio amisit Pragæ: ubi tertiam sibi conjunxit Comitem a Trautmansdorf.

(1) Hujus historiæ summam ex *Magdeburgensi historia Mss.* excerpsimus: sed plenius atque exactius omnia tradentur (si Deo & Mæcenatibus ita visum) in Magdeburgensis historiæ, cujus *Antiquitates* nuper emisimus, continuatione.

(2) Hanc dignitatem ipsi gratulatus est celebris ICtus ARNOLDVS de REYGER, Oratione eleganti *de Principis boni dignitate, & officio.*

(3) BRACHELIVS *lib. III. p. 143. lib. IV. p. 175.*

(4) Vid. Epistola Electoris Saxoniæ Joh. Georgii I. ad Imp. Ferdinandum *Theatri Europæi Tomo I. ad ann.* 1628. *p. 1083.*

(5) BRACHELIVS *d. l.* SPENERVS *p. 447.*

(6) CAROLVS CARAFA *in Commentario de Germania sacra restaurata p. 394.* BRACHELIVS *lib. III. p. 143.*

(7) JOH. LOCCENIVS *Histor. Suecana lib. VIII. p.* 575. BRACHELIVS *lib. IV. p. 174.*

(8) JOH. LUD. GOTFRIED *Inventarii Sveciæ part. II. p. 249.* CARAFA *de Germania S. restaurata p. 417.* BRACHELIVS *p. 175.*

(9) Habetur hoc edictum in Lungwitzii Schwed. Lorbeer-Krantz *part.*

part. II. cap. XLII. p. 282. in Gotfrieds *Inventario Svec. p.* 250. *seqq.* ut & *Tomo II. Theatri Europai p.* 265.

(10) Videantur de hactenus dictis CARAFA *p. 417. seqq.* WASSENBERGIVS *in Floro Germanico p. 170. seqq.* PETRVS BAPTISTA BURGVS *in Marte Sveco-Germanico lib. I. p. 43.* BRACHELIVS *d. l.* LOCCENIVS *d. l.* LUNGWITZIVS & GOTFRIED *d. l.* *Theatrum Europaum Tom. II. pag. 264. seqq.*

(11) Harum exempla habentur in LUNGWITZIO *cap. LVIII. p. 391. seqq.* GOTFRIED *p. 318. seqq.* *Theatro Europao T. II. p.* 355. *seqq.*

(12) CARAFA BRACHELIVS, JOH. HORATIVS SCOGLIVS *in Chronologia Ecclesiastica sua historia addita.*

(13) Plenius de hac παλιλλογία Magdeburgensi agunt LUNGWITZIVS im Schwed. Lorbeer-Krantz *part. II. cap. LVIII. p. 386. seqq.* GOTFRIED *p. 310. seqq.* CARAFA *p. 437.--444.* J. B. BURGVS *p. 96.--113.* WASSENBERGIVS *p. 170.*--189. PIASECIVS *p. 427. seqq.* BRACHELIVS *lib. IV. p. 187. seqq.* PETRVS LANSBERGIVS *in Bello Germanico Gustavi Magni p.* 259. CLUVERIVS *in Append. Epitom. Historiar. p. 771. seqq.* *Theatrum Europaum Tom. II. p. 354.--373.*

(14) CARAFA *p. 443.* BRACHELIVS *p. 190.* SPENERVS *p. 447.*

(15) BRACHELIVS *p. 220.*

(16) BROCHMANDI *Lychnus Speculo veritatis Pontificio oppositus* prodiit an. 1624. cui ao. 1638. nomine Christiani Wilhelmi respondebatur *Speculo Veritatis apologetico, Colonia excuso.* Sed prodiit an. --XLI. BROCHMANDI *Confutatio Apologia.* Melchioris Nicolai Refutatio *Speculi* edita Tubingæ anno--XLIII. cui cum rescriberet Iodocus Kedd, Iesuita, an.--LIII. D. Nicolai elegans scriptum, cui titulus; *Nihil non ad rem* anno ætatis LXXV. opposuit.

(17) BRACHELIUS *l. IV. p. 220.* Vid. *Theatrum Europaum Tom. II. p. 599.*

(18) RENTSCHIVS im Brandenb. Cedernhein *p.* 908.

(19) SPENERUS *p. 447.*

§. LXVI.

IX. IOHANNES SIGISMUNDUS Elector, Ioachimo
1572. Friderico an. CIↃIↃLXXII. 8. Nov. Hallis cum exorta nova stella in Cassiopea (1) natus, ab avo Iohanne Georgio edu-
1588. catus, donec an.--LXXXVIII. una cum fratre Ioh. Georgio

gio Argentoratum mitteretur. Vnde vigesimum ætatis annum vix egressus, sponsalia celebravit cum Anna Brandenburgica, Alberti Friderici Prussiæ Ducis filia, nuptiis an. CIƆIƆXCIV. Regiomonti, altero ab adventu ejus in 1594.
Prussiam anno, celebratis. (2) An. --XCV. rediit in Mar- 1595.
chiam ad avum Custrini tum agentem, annoque sequenti 1596.
Hallis variolis corripitur. (3) Recepta valetudine una cum Patre interest coronationi Christiani IV. Daniæ Regis: post reditum avo morituro ad extremum halitum omni solertia inservit. (4) Avo vita functo, cum Pater in Electoratu succederet, assignatur ipsi arx & præfectura Zechlinensis: (5) qua vix occupata, in Prussiam protrahitur an.
--XCIX. juribus Domus Brandenburgicæ ultra triennium 1599.
ibidem invigilans. (6) Et licet an. CIƆIƆCII. Comitiis in- 1602.
teresset Marchicis, retractus tamen statim fuit in Prussiam, svasu Georgii Friderici Marchionis, Curatoris tum temporis & Administratoris Ducatus. Neque ipsum impedit lues, quæ Regiomontum invaserat; quin potius in oppido Heiligenbeil, ubi Ordines Prussiæ convenerant, Ducatus negotia satis solerter & accurate expedit. (7) E Prussia deinceps per Marchiam iter in Franconiam instituit, cumque Georgium Fridericum cum morbo lethali confligentem præter exspectationem offenderet, eidem usque ad beatum excessum adfuit. (8) Hoc demortuo, de provinciis Franconicis, consentiente patre suo, cum Christiano & Ioachimo fratribus, amica compositione transegit.
(9) An. CIƆIƆCV. Heidelbergæ nuptias primogeniti cum 1605.
Friderici IV. Electoris Palatini filia procurat. (10) Interea dum denuo in Prussiam concedit, moritur Pater: cumque Prussicis motibus minus fideret, vicarium Electoralibus provinciis dedit Adamum Gans, Baronem de Putlitz, (11) & præter successionem in Electoratu, etiam curatelam Prussicam a Sigismundo III. Poloniæ Rege obtinet anno

1609. CIϽIϽCIX. (12) In Marchiam dein reversus, juramento sibi obstringit Consiliarios & civitates primarias; nobiles autem & reliquas civitates per legatos. (13) Eodem anno Johanne Wilhelmo Juliacensi & Clivensi Duce, avunculo uxoris mortuo, possessionem illarum terrarum sibi vindicat: obnitente inprimis Wolfgango Wilhelmo, Palatino Neoburgico. Intercedente tamen Mauritio, Hassiæ Landgravio, pacta Tremoniæ inita; ut bipartita regiminis forma ad tempus constituta, conjunctis animis & viribus publico
1610. bono consulerent. (14) An. -- X. Vnioni Ligæ Pontificio-
1611. rum oppositæ subscribit. (15) Sequenti anno Juterbocensem conventum præsens, (16) Coloniensem, Xanthensem, quo æqualis provinciarum Juliacensium divisio inter ipsum & Neoburgicum instituta, (17) & alios per legatos adiit. Eodem anno feudum Prussicum, sed legibus paulo durioribus circumscriptum Varsaviæ accepit. (18) Ab obitu Rudolphi Cæsaris, electionem Matthiæ Francofurti
1612. an. -- XII. promovit, (19) an. -- XIII. Ernesto fratri in vica-
1613. rio Juliacensium regimine Georgium Wilhelmum primo-
1614. genitum substituit. (20) An. -- XIV. Reformatæ religioni accedens, a templo S. Trinitatis Coloniæ fecit initium, vulgata etiam Confessionis suæ formula. (21) Deinde cum aliis Principibus Numburgum abiit, ob pactorum hæreditariorum inter Saxonicam, Brandenburgicam & Hassiacam familias renovationem. (22) Demum cum an. CIϽIϽC-
1617. XVII. alterum Electoralis dignitatis in sua familia continuatæ sæculum celebrasset, cum tota aula in Prussiam se contulit: ubi cum aliquamdiu ex apoplexia paralyticus decubuisset, domum reversus, filio paucis ante obitum hebdomadis electorales fasces resignans, Berlini in ædibus Antonii Freitag, cubicularii sui intimi, conjuge ac
1619. liberis præsentibus, moritur, an. CIϽIϽCXIX. 23. Decemb. posteaque ad latera majorum Coloniæ in templo cathe-
drali

drali reponitur. (23) Vxor autem Coloniæ an. CIƆIƆCXXV. decedens mense Martio Regiomonti humatur. (24)

(1) ANDR. ANGELUS *Chron. Marcb. l. III. p. 369.* CERNITIVS *p. 92.* SPENERVS *p. 448.* RENTSCHIVS *p. 489.*
(2) HARTKNOCHIVS *Histor. Prussica parte II. cap. II. p. 344.* RENTSCHIVS *p. 490.*
(3) CERNITIVS *p. 93.* RENTSCHIVS *d. l.*
(4) Idem *ibid.*
(5) CERNITIVS *p. 94.* SPENERVS *p. 448.*
(6) CERNITIVS *d. l.* RENTSCHIVS *p. 491.*
(7) CERNITIVS & SPENERVS *d. l.*
(8) CERNITIVS & RENTSCHIVS.
(9) CERNITIVS, SPENERUS & RENTSCHIVS.
(10) CERNITIVS.
(11) IDEM *p. 95.* SPENERVS *d. l.*
(12) CERNITIVS, SPENERVS, RENTSCIVS, HARTKNOCHIVS *d. l. p. 345.*
(13) CERNITIVS.
(14) CHYTRÆVS continuatus *p. 160.* LUNDORPII *Sleidanus continuatus Tom. III. lib. XV. p. 932. seqq.* GRAMONDVS *Histor. lib. I. p. 13.* THUANVS *continuat lib. II. p. 57. seqq.* CERNITIVS, CARAFA *de Germania sacra restaurata p. 54.* SPENERVS, PFANNERVS *in Historia Pacis lib. I. §. IX. p. 25.* RENTSCHIVS *p. 92. & 493.*
(15) CERNITIVS *p. 96.* RENTSCHIVS *p. 494.*
(16) THUANVS *contin. lib. IV. p. 221.*
(17) SPENERUS *p. 448.*
(18) THUANVS *contin. lib. IV. p. 237.* CERNITIVS & SPENERVS *d. l.* HARTKNOCHIVS *p. 345.* Vid. Privilegia Statuum Prussiæ Brunsbergæ impressa an. 1616.
(19) CERNITIVS *p. 97.* THUANVS *contin. lib. V. p. 279.*
(20) CERNITIVS *p. 97.* RENTSCHIVS *p. 495.*
(21) Id. THUANVS *contin. lib. VII. p. 396.* RENTSCHIVS *d. l.*
(22) CERNITIVS.
(23) IDEM *p. 98.* SPENERVS, RENTSCHIVS *p. 496.* CERNITIVS *p. 90.*

§. LXVII.

Ex laudata uxore Anna nati sunt quatuor filii, ac totidem filiæ. I. *Georgius Wilhelmus* successor. II. *Joachimus Sigismundus*, Colon. an. cIɔIɔXCIII. 25. Julii natus, non diu postquam Magister Ordinis Johannitici factus, an. cIɔIɔC-XXV. 23. Febr. obiit. III. *Johannes Fridericus* an. cIɔIɔC-VII. 17. Augusti Zechlini natus, sequentis anni 1. die Martii exstinctus. IV. *Albertus Christianus*, Coloniæ an. cIɔIɔCIX. 7. Martii natus, mense nondum exacto denatus. V. *Anna Sophia*, Colon. nata an. cIɔIɔXCVIII. 17. Martii, Friderico Ulrico Duci Brunswico-Luneburg. juncta an. cIɔIɔCXIV. quæ deinceps diu vidua Scheningæ egit, ac Berlini decessit an. cIɔIɔC.... VI. *Maria Eleonora*, Regiomonte nata, an. cIɔIɔXCIX. XI. Novemb. Gustavo Adolpho Sveciæ Regi nupta Holmiæ, ac coronata an. cIɔIɔCXX. anno cIɔIɔCLV. vita functa. VII. *Catharina*, an. cIɔIɔCII. Regiomonti nata, an. cIɔIɔCXXVI. Bethleno Gabori Principi Transsylvaniæ, & ann. cIɔIɔCXXXIX. Francisco Carolo Duci inferioris Saxoniæ conjuncta, quæ anno cIɔIɔCXLIX. decessit. VIII. *Agnes*, quæ nata Zechlini an. cIɔIɔCVI. 31. Augusti, moritur an. cIɔIɔCVII. 12. Martii.

§. LXVIII.

X. GEORGIUS WILHELMUS Elector, an. cIɔIɔXCV.
1595. 3. Novembris Coloniæ natus, Patrem non modo & avum, sed (quæ rara est felicitas) & proavum Johannem Georgi-
1611. um vidit. (1) Anno cIɔIɔCXI. in Academiam Francofurtanam cum Ephoris suis missus literarum studiis navavit operam. (2) Anno sequenti Francofurti ad Mœnum electioni adfuit Cæsareæ, ac novo Cæsari Matthiæ gratulatus
1616. est. (3) Anno cIɔIɔCXIII. post obitum Ernesti Marchionis in Juliacensem Ducatum a Patre Administrator mittitur.

(4)

(4) An. cIↃIↃCXVI. conjugem Heidelbergæ duxit *Elisabetham Charlottam*, Friderici IV. Electoris Palatini filiam, (5) annoque cIↃIↃCXIX. vivente adhuc Patre Electoratum accepit. 1616. 1619.
Ab excessu ultimi Prussiæ Ducis Alberti Friderici, an. cIↃIↃCXVIII. 28. Aug. mortui, an. cIↃIↃCXXI. investituram Prussicam Varsaviæ a Rege Poloniæ Sigismundo III. obtinuit. 1621.
(6) In causa Palatina Friderico V. affini favit, eumque e Bohemia profugum excepit, (7) & ad Batavos dimisit: nec nisi an. -- XXVII. in translationem Electoratus ad Maximilianum Bavarum consensit: 1627.
(8) quo anno & Cæsari in Bello Danico transitum & annonam permisit. (9) Cum bello Polonico Sveci Prussiam Ducalem infestarent, celebratis laudato anno provincialibus comitiis, Prussiam ordinavit, & quomodo Svecorum irruptiones declinandæ, cum Ordinibus constituit: (10) anno autem -- XXIX. ipso mediatore induciæ sexennales inter Svecos & Polonos firmatæ, eidemque seqvestro tradita Mariæburgum, Stumma & Hauptumb, (11) quæ altera induciarum prorogatione anno -- XXXV. reddidit. (12) Quandoquidem vero an. cIↃIↃCXXVIII. Ferdinandi II. Cæsaris edicto restitutionis, Episcopatus Havelbergensis & Lebusiensis repeterentur, (13) anno cIↃIↃCXXX. ad Ratisbonensia comitia, exhaustis per militiam Cæsaream provinciis, impensarum defectum causatus, venire detrectavit. 1628.
(14) An. -- XXIX. cum hactenus bello utrimque gesto, auxiliaribus isthinc Hispanis, hinc Batavis, in Juliacensibus fuisset actum, nova pacta Dusseldorpii fuerunt inita in annos XXV. nisi interim de tota causa conveniretur & de divisione provinciarum statueretur. 1629.
(15) Cum vero inter partes novæ orirentur difficultates, an. -- XXX. ita conventum, ut Elector his XXV. annis Ducatum Clivensem & Comitatum Marcanum totos, Palatinus Iuliacensem & Bergensem Ducatus, cum dominio Ravestein & Breskesant possiderent, Ravensber- 1630.

1631. vensbergius Comitatus communis foret. (16) An.--XXXI. Lipsiensem conventum præsens obiit, (17) eoque finito militem conscripsit, Regique Sveciæ Gustavo Adolpho obsessum Magdeburgum liberaturo Spandaviam concessit. (18) Hanc cum expugnata Magdeburgo enixe repeteret Elector, adeo excanduit Rex Sveciæ, ut ante ipsum Berlinum vim ostentaret: quam Electorale gyneceum Regi obviam egressum inhibuit. Tum Spandavia ad finem belli permissa Regi, Gustrini quoque & in reliquis Electoris receptus & securitas, & quæ alia bello ducendo necessaria forent, promissa. (19) Quin & paulo ante Lipsiense prælium copias suas cum Saxonicis Svecico exercitui passus
1633. jungi, ipse ad sua defendenda digreditur. (20) An.--XXXIII. ad exequias Sigismundi Poloniæ Regis legatum misit Adamum Comitem Swartzenbergicum, (21) ipse autem Wolgasti adfuit, quando Regis Sveciæ corpus classe navali in Sveciam transmitteretur. (22) Hinc pace cum Wallensteinio frustra tentata, Francofurtum Cæsareanis
1635. fœderatorum ope extorsit. (23) Pace Pragensi an.--XXXV. cautum, ut, si in hanc Elector consentiret (quod dein factum) investitura in Pomeraniam a Cæsare daretur. (24)
1637. Quando autem autem an.--XXXVII. x. Martii Bogislaus XIV. ultimus Pomeraniæ Dux decederet, successionem tamdiu ostensam & firmatam aggreditur; non sine difficultate tamen: quod non modo Ordines Pomeraniæ initio adversarentur, sed novo Ungarorum irruptio Marchiam infestaret. (25) Et quoniam Sveci quoque Brandenburgensibus subditis valde incommodarent, militia Electoralis trans-
1639. misso an.--XXXIX. Duna fluvio in Livoniam pene ad Rigam penetravit: quo permoti Sveci Berlinum & Francofurtum Electori restituerunt. (26) Vivendi finem fecit Elector
1640. Regiomonte an. CIↃIↃCXL. 21. Nov. annoque sequenti 1. Martii exequiæ magnifico apparatu ibidem celebratæ sunt. (27)

(1)

(1) CERNITIVS *p. 104.* RENTSCHIVS *p. 499.*
(2.3) IIDEM.
(4) IIDEM & SPENERVS *p. 450.*
(5) RENTSCHIVS *p. 500.*
(6) PIASECIVS *p. 345.* RENTSCHIVS *p. 501.*
(7) BRACHELIVS *lib. I. p. 34.* SPENERVS *d. l.*
(8) BRACHELIVS *lib. III. p. 124.*
(9) IDEM *p. 122.* SPENERVS *d. l.*
(10) RENTSCHIVS *p. 501.*
(11) LUNGWITZIVS im Schwed. Lorbeer-Krantz *part. I. cap. XXXII. p. 191. & seqq. p. 196.* JOH. LUD. GOTFRIED *in Inuentario Sveciæ p. 210.* PIASECIVS *p. 409.* BRACHELIVS *lib. III. p. 148.* HARTKNOCHIVS *Histor. Prussica part. II. cap. II. p. 348.*
(12) PIASECIVS *p. 420.*
(13) BRACHELIVS *p. 142.* SPENERVS.
(14) CHRISTOPH. BROWERVS *Annal. Trevirens. lib. XXIV. p. 491. 493.* BRACHELIVS *lib. IV. p. 162.*
(15.16) SPENERVS.
(17) LUNGWITZIVS *part. III. cap. XII. p. 178.* CARAFA *de Germania S. rest. p. 437.* BRACHELIVS *p. 184.*
(18) BROWERVS *d. l. p. 495. 499.* LUNGWITZIVS *part. II. cap. LVII. p. p. 385.* GOTFRIED *p. 307.* P. B. BURGUS *in Marte Sveco-Germ. p. 94.* PIASECIVS *p. 428.* LOCCENIVS *Hist. Svec. lib. VIII. p. 581.* BRACHELIVS *p. 191.*
(19) LUNGWITZIVS *cap. LIX. p. 447.* BURGUS *p. 116.* LOCCENIVS *d. l.* BRACHELIVS *p. 192.* LANSBERGIVS *in Gustavi M. Bello Germanico p. 277. seqq.* SPENERUS *p. 451.*
(20) BRACHELIVS *pag. 197.* SPENERVS *p. 451.*
(21.22) RENTSCHIVS *p. 503. seqq.*
(23) IDEM *p. 505.*
(24) PIASECIVS *p. 484.* BRACHELIVS *lib. V. p. 247.*
(25) RENTSHIVS *p. 506.*
(26) IDEM.
(27) BRACHELIVS *lib. VI. pag. 288.* HARTKNOCHIVS *pag. 357.* RENTSCHIVS *p. 407.*

§. LXIX.

§. LXIX.

Præter felicissimum succęssorem, *Fridericum Wilhelmum*, genuit Elector *Iohannem Sigismundum*, Coloniæ natum an. CIƆIƆCXXIV. XXV. Iulii, XXX. Octobris, eodem anno mortuum, præsentibus hospitibus Iohanne Georgio, Electore Saxoniæ, ejusque conjuge Magdalena Sibylla: (1) *Ludovicam Charlottam*, n. an. CIƆIƆCXVII. III. Septembr. Iacobo Curlandiæ Duci an. --XLV. nuptam, an. - - LXXVII. 18. Augusti denatam: *Hedwigem Sophiam* n. an. CIƆIƆCXXIII. 4. Iulii, Wilhelmi VI. Landgravii Hasso-Cassellani conjugem, & ab ejus obitu tutela relictorum Principum egregie perfunctam, (2) anno CIƆIƆCLXXXIII. 26. Iun. demortuam. (3)

(1) CERNITIVS *p. 102.*
(2) CHAPPEZOVIUS *in Europa vivente part. III. p. 138.*
(3) AUCTOR *Notitiæ Historico-Heraldico-Genealogicæ, Procerum S. Rom. Germ. Imperii p. 1486.*

§. LXX.

XI. FIDERICVS WILHELMVS, præsens Elector glo-
1620. riosissimus an. CIƆIƆCXX. 4. Febr. intra tertiam ac quartam pomeridianam (1) Coloniæ in aula Electorali natus, biennio ante exessum Patris gravissimo tentatus morbo, (2) statim ab obitu Patris in Comitiis Varsaviæ a Vladislao Polo-
1641. niæ Rege investituram Prussiæ accepit an. CIƆIƆCXLI. (3) Hujus Electoris augustum regimen præcipue inclaruit cessione quarundam provinciarum, & receptione aliarum per pacem Westphalicam; motibus Neoburgicis, demum compositis; fœdere Svecico, & in Polonos bello, dicessione a Svecis, ac contra eos cum fœderatis bello, & hinc impetrato supremo in Ducalem Prussiam dominio; deditione Magdeburgi; bellis Gallo-Svecicis, & succęssione Magdeburgensi,

(1)

(1) CERNITIUS p. 102.
(2) Singularia de hoc morbo habet Auctor des kurtzen Entwurfs der rechtmäßigen Waffen, und glücklichen Thaten des Durchl. Churfürsten von Brandenburg edit. CIƆIƆCLXXVIII. p. 18. 19.
(3) HARTKNOCHIUS pag. 357. RENTSHIUS p. 511.

§. LXXI.

In pace Westphalica an. CIƆIƆCXLVIII. Elector Brandenburgicus Svecis cessit totam Pomeraniam citeriorem (Vor-Pommern) una cum insula Rugia, & ex ulteriori (Hinter-Pommern) Garz, Damm Golnau, & insulam Wollin, titulus tamen & insigniis Pomeraniæ integris, donec masculina superaverit linea, retentis. Recepit autem Elector pro æquivalente, (ut loquuntur articuli pacis) Episcopatum Mindensem, & Halberstadensem, ut & expectantiam Archiepiscopatus Magdeburgensis. * 1648.

(*) Videantur ipsi Articuli Pacis cap. XI. *Pro aequivalente autem compensatione Electori Brandenburgico Domino Friderico Wilhelmo &c.* Auctor *Historia Pacis Westphalica l. III.* §. *CXV. seqq.* SPENERUS p. 452. RENTSCHIUS p. 513. seq.

§. LXXII.

Motus Brandenburgico-Neoburgenses ex dissidio Iuliacensi nati sunt an. CIƆIƆCXLIV. cumque multa utrinque acta essent, & ad arma jam deventum an.---XLVII. nova transactione pactum divisorium confirmatum; sed ut Electoris totus esset Comitatus Ravensbergicus. Licet autem in pace Germanica causa controversa ad ordinarium juris processum, vel amicam compositionem seposita; novæ tamen dissensiones ortæ sunt anno--- LI. Electore Palatinas terras infestante, Palatino autem vicinorum auxilia flagitante. Post ipsorum tamen Principum patenti in campo colloquium, ac dein legatorum Cæsaris operam, controversiæ pro tempore sunt compositæ. (1) Anno demum --LXVI. inter Electorem & Palatinum res plene ita 1651.

est confecta; penes illum Clivia, Marca & Ravensbergo, penes hunc Juliaco & Montibus manentibus, & Ravensteinia causa ad arbitros remissa: quæ tamen postea alio modo composita. (2)

(1) Copiose hæc descripsit BRACHELIUS *lib. IX. p. 193. seqq.*

(2) Pactum inter Electorem & Neoburgicum hæreditarium opera potissimum Bernhardi Episcopi Monasteriensis confectum repræsentat integrum Christianus GASTELIUS *de Statu publico Europa cap. IX. p. 438. seq.* Conf. RENTSCHII Cederhein *p. 106. & 232.*

§. LXXIII.

Quod ad Svecico-Polonica Electoris, res summatim ita se habet. Cum Carolus Gustavus novus Rex Sveciæ
1655. an. CIƆIƆCLV. Polonos aggrederetur, Elector ad defendendam Prussiam copias conscripsit. (1) Quandoquidem autem Svecicorum armorum felicitas in dies succresceret, Ele-
1656. ctor ineunte an. --LVI. percusso cum Svecis fœdere, (2) magno ipsis in felici ad Varsaviam prælio adjumento fuit. (3) Sed Rege Sveciæ an. CIƆIƆCLVII. e Polonia ad bellum Danicum digresso, ac Electorem deserente, (4) hic cum Polonis in gratiam redit, (5) ac inito etiam cum ipsis & do-
1658. mui Austriaca sequenti anno fœdere, (6) supremum, & a pristino nexu feudali solutum in Ducalem Prussiam dominium, ac insuper urbes, arces, ac præfecturas Lauenburgum, Butau & Lebe accepit. (7) Quod cum ægre ferret Rex Sveciæ, ut nec Flensburgi admittere vellet legatos Electorales, (8) Elector etiam cum Leopoldo Cæsare, ut & Friderico IV. Daniæ Rege constituto fœdere, copias suas fœderatis jungens, caput illius militiæ dictus est. (9) Quo ipso arma fœderatorum in Holsatiam (10) & Pomeraniam translata, & in hac Wollinum & Demminum occupata, (11) sed post felix in Fionia cum Svecis prælium, (12) pax
1660. redintegrata an. --LX. (13) Anno autem --LXIII. status Prus-
1663. siæ Ducalis supremo dominio Polonico exemti, Electori

præ-

præsentibus legatis Polonicis homagium præstitere, (14) ac porro qui Regiomonte emerserant motus feliciter sunt compositi.

(1) CHRIST ADOLPH. THULDENUS *Historiar. lib. V. p. 122.*

(2) IDEM *lib. VI. p. 171.* LOCCENIUS *Hist. Svec. lib. IX. p. 769. seqq.* HARTKNOCHIUS *Hist. Pruss. part. II. cap. II. pag. 359.*

(3) Falsus igitur est THULDENUS p. 256. scribens: *Modicum operæ militaris, quam Svedis navabat Marchio, precium fuisse.* Rectius SPENERUS p. 452. *Potior victoria apud Warzoviam obtenta pars ipsi* (Electori) *attributa est.* Confer LOCCENIUM *lib. IX. p. 784. seqq.* HARTKNOCHIUM *p. 361.* JOH. CYPRIANUM *in Historia Caroli Gustavi Regis cap. XIX.* RENTSCHIUM *p. 517.*

(4) THULDENUS *lib. VIII. p. 145.* LOCCENIUS *p. 804.* AUCTOR des Entwurffs der rechtmässigen Waffen des Churfürsten *p. 23.*

(5) THULDENUS *lib. VIII. p. 127. 137. 144.*

(6) THULDENUS *lib. VIII. p. 174.* Vid. Instrumentum Pacis inter Joh. Casimirum Poloniæ Regem, & Fridericum Wilhelmum Electorem, apud THULDENUM *Append. part. IV. p. 273. seqq.* PFANNERUS *de Principibus Germaniæ p. 155.* Copia fœderis offensivi inter Domum Anstriacam & Brandenburgicam an. 1658. apud THULDENUM *in Tractat. Historico-Politicis ad part. III. pertinentibus p. 125. seqq.* ut & Copia Fœderis Defensivi inter Domos *p. 129.*

(7) LOCCENIUS *d. l. p. 804.* HARTKNOCHIUS *p. 362.* RENTSCHIUS *p. 718.*

(8) TULDENUS *lib. IX. p. 257.* LOCCENIUS *p. 832. seqq.* Vid. scriptum, cui titulus: Chur-Brandenburgischer an die Kön. Maj. von Schweden abgelassener Gesandschafft Verrichtung *edit. an.* 1658.

(9) THULDENUS *part. IV. lib. I. p. 41.* SPENERUS *p. 453.*

(10) THULDENUS *eod. libro.* CYPRIANUS *cap. XXIII.*

(11) THULDENUS *p. 69. seqq.*

(12) IDEM *p. 3. seqq.* LOCCENIUS *lib. IX. p. 850.*

(13) THULDENUS *part. IV. lib. III.*

(14) HARTKNOCHIUS *p. 363.* Moneta in hujus rei memoriam cusa sequentem habet inscriptionem: SUPREMO PRUSSIÆ DOMINO FRIDERICO WILHELMO PRINCIPI ELECT. BRANDENB. HOMAGIUM PRÆST. VIII. OCTOB. 1663. Vid. RENTSCHIUS *p. 522. seqq.*

§. LXXIV.

1666. Occupationi Magdeburgensi anno CIƆIƆCLXVI. ansam dedit bellum Episcopi Monasteriensis in Belgium fœderatum. Istum enim primo petebant arma Electoris, qui cum Batavis fœdus pepigerat, (1) quæ, quod is ad pacem flexus, post certa cum Augusto Saxone pacta Magdeburgum nihil tale metuens aggressa, sine cæde & sangvine in ditionem Electoris redegere, homagio prius Augusto Administratori, post Electori, futuro Duci Magdeburgensi præstito. (2)

(1) Vid. libellus, cui titulus: Außführlicher Bericht alles dessen, was sich in deme zwischen den Königen in Franckreich und Engelland, dem Herrn Bischoff zu Münster, und den Herren Staaten der vereinigten Niederlande in Anno 1664. entstandenen Krieg, biß auf den in Anno 1667. zu Breda geschlossenem Frieden begeben. Franckfurt, 1669. pag. 363.

(2) RENTSCHIUS p. 92. & 525.

§. LXXV.

Gesta bello Gallo-Svevici compendiaria ita habent. Cum Serenissimus Elector juncta cum Leopoldo Cæsare,
1672. armorum societate, (1) anno CIƆIƆCLXXII. fœderato Belgio contra Gallos suppetias ferre laboraret, Westphalica Electoris a Gallis & Monasteriensibus insigni affecta damno: (2) donec pace cum Gallo constituta (3) Monasteriensis quoque Episcopus ad quietem componeretur. Quod tamen articulis pacis cautum, ne Electori fraudi esset salutem Imperii Germanici procurare, (4) factum, ut Gallis porro Germaniæ infestis, Elector novo fœdere cum Cæsare & Belgis inito, ad pellendos Germania Gallos cum exercitu promovens, victricia arma in Alsatiam, & Brisacum usque proferret. (5) Interea Sveci a Gallis concitati Marchiam Brandenburgensem gravissimis exactionibus pressere, (6) ac Lockenitium & Rupinam occupavere. (7)

Quam-

Quamobrem Elector patriæ ſuppetias laturus, quanta potuit celeritate regreſſus, ac Magdeburgo nocte concubia exiens, Ratenavia occupata, Svecos cum ſolo equitatu ad Fehrbellinum adortus, cædit, ſternit, fugat, exque terris ſuis ejicit. (8) Hinc poſt congreſſum cum Rege Daniæ Gadebuſchi in Mecklenburgicis, (9) armis in Pomeraniam converſis, Wolgaſtum ac Ukermunda in manus Electoris venere. Deinceps Garzium, Greifenhaga, Lockenitium, Damma & Tribſea, caſtrum firmiſſimum Penemunda, Wollina, & poſt gravem adverſariam Anclamum & Demminum ſequebantur. (10) Stetinum quidem Pomeraniæ metropolis Electori multum faceſſivit negocii: ſed & ea tandem ſequentis anni menſe Decembri, poſtquam ſemeſtrem obſidionem ſuſtulerat, ad deditionem compulſa eſt. (11) Reſtabat inclyta urbs Stralſunda, itemque Academia nobilitata Gryphswaldia: at ex quo devicto Konigsmarckio, Rugia inſula fœderatorum ope occupata, (12) tanti Herois vim ſuſtinere Stralſunda non potuit, cum præſertim bona pars urbis incendio eſſet vaſtata. (13) Colophonem victoriis Pomeranicis impoſuit Gryphiswalda, & ipſa tamen inflammationi proxima. (14) Et dignæ utique hæ erant victoriæ, quas glorioſiſſimus Daniæ Rex Chriſtianus V. potentiſſimo Electori noſtro in præſenti gratularetur Dobrani 25. Novemb. (15) Jam omnia videbantur in vado, cum quietem Electoralem turbare conarentur Sveci, duce Henrico Hornio in Pruſſiam Ducalem erumpentes, & Tilſa, Ragenitio ac Inſterburga occupatis, ipſi Regiomontanæ urbi imminentes. (16) Verum ex quo Elector media hyeme per glaciem & confertam nivem transmiſit Viſtulam, Sveci in fugam converſi plenam victoriam Electorali militi inviderunt. Neque tamen incolumes evaſere Sveci, aliquot legionibus cæſis, multisque tormentis atque impedimentis victoris arbitrio relictis. (17) An autem perpetuus

magnæ felicitatis comes invidia, an Principum quorundam Germanorum duriora a Gallis passorum querelæ, an pacis brevi tamen duraturæ dulcedine illecti fœderati Belgæ pacem Neomagensem præcipitarint, meum nunc non est curatius inquirere. (18) Etsi vero Elector noster intercedentibus Gallorum, aliis periculis defunctorum armis, pleraque Pomeranica reddiderit Svecis, æternæ tamen Ei cedet gloriæ, quod id inter media sit factum arma, & eo quidem tempore, cum prope ab omni humana ope videbatur destitutus. Uti tamen Electori nonnulla in ulteriori Pomerania (19) olim controversa per tractatus pacis accessere; ita inprimis Ei manet ac æternum manebit per tot illustria gesta immortalis parta gloria.

(1) Vid. PETR. VALCKENIER im verwirretem Europa *part. III. p. 386. 387. 451. & in Appendice num. LXXVII. p. 84. seqq.*

(2) IDEM *p. 454.* ANDREAS MÜLLER in der Continuation des verwirreten Europæ *part. V. p. 5. seqq.*

(3) VALCKENIER *d. l. p. 487. 490.* A. MULLER *d. l. p. 6.*

(4) VALCKENIER *p. 493.*

(5) MULLER *part. VI. p. 395. seqq. 430. seqq. 454.*

(6) IDEM *p. 510. seqq. 529. seqq. 537. seqq. 634. 644. 646. seqq. 656. seqq. 672.* PFANNERUS *de Princ. German. cap. IV. p. 173.*

(7) MULLERUS *part. VII. p. 783. seqq.*

(8) IDEM *p. 785. seqq.* In memoriam hujus victoriæ cusus est nummus, cujus inscriptionem repetit Rentschius im Brandenb. Ceder-Hein *p. 546.*

(9) MULLERUS *p. 796.*

(10) IDEM *part. VIII. p. 204. seqq.*

(11) De obsidione & occupatione Stetinensi vid. ANDR. MULLER. *part. IX. p. 568. seqq. 582. seqq.* RENTSCHIUS *p. 549. seqq.*

(12) MULLERUS *part. X. p. 802. seqq.*

(13) IDEM *p. 811. seqq.*

(14) IDEM *p. 817. seqq.*

(15) IDEM *p. 822.*

(16) IDEM *p. 829.* HARTKNOCH. *Hist. Pruss. part. II. c. II. p. 363. seqq.*

(17)

(17) MULLERUS p. 831. HARTKNOCH. d. l.
(18) Vid. *Auctor*, qui sub Trajani Boccalini nomine *de Pace Neomagensi* scripsit.

§. LXXVI.

Et nescio sane, annon compensaverit Deus redditionem Pomeranicorum per accessionem archidiœcesios Magdeburgensis. Hanc enim per Augusti Saxonis Administratoris excessum (1) ad se per leges pacis Germanicæ transmissam primi Magdeburgensis Ducis nomine recepit Elector, annoque CIƆIƆCLXXXI. per homagialia sacra subditos sibi devinxit. (2) 1681.

(1) ANDR. MULLER. *part. X. p.* 1127.
(2) IDEM *p.* 1159.

§. LXXVII.

Plurima quidem adhuc de Potentissimo Electore dicenda forent, ac in his de condita Dusburgensi Academia; de incomparabili Bibliotheca Berolinensi; de Spreæ atque Suevi (Oder) per canalem in tria milliaria excurrentem conjunctione; de capta opulenta navi Hispanica, & in Americam institutis navigationibus. Verum quia in hac oppella non nisi lineamenta gestorum duximus Electoralium, hoc Catone, verius dixerim, Atlante Germaniæ nobis licuerit esse contentis.

§. LXXVIII.

Restat tamen utrumque Electoris conjugium mutua concordia ac prole numerosa felicissimum. Prima uxor erat *Ludovica* (Loysa) Henrici Friderici Principis Arausionensis filia, ducta anno CIƆIƆCXLVI. 7. Decemb. anno CIƆIƆCXLVII. 6. Junii mortua. Ex hac geniti I. *Wilhelmus Henricus*, anno CIƆIƆCXLVIII. XI. Maji Cliviæ natus, sequenti anno 20. Octobr. Vesaliæ denatus. II. *Carolus Æmilius*, anno CIƆIƆCLV. 6. Febr. Coloniæ natus, Princeps summæ exspectationis, paternæ in Alsatiam expeditionis comes, qui an. CIƆIƆCLXXIV. 27. Novemb. Argentorati vivere desiit. III. *Fridericus*, Electoralis Princeps; de quo mox dicemus. IV. *Henricus* & V. *Amalia* gemelli anno CIƆIƆCLXIV. 9. Novemb. nati, quorum alter nono a partu die, illa sequenti anno 22. Januar. obiere.

VI.

VI. *Ludovicus*, anno cIↄIↄcLXVI. 28. Junii natus, Stetinenſi obſidioni interfuit. An. cIↄIↄcLXXX. eidem conjuncta Ludovica Carolina (Loyſa Charlotta) Radzivilia, Bogislai Ducis unica filia maritum Radzivilianis in Lithuania Ducatibus auxit. (A. Muller *part. X. p. 1228.*)

Ex altera uxore *Dorothea*, Principe Holſato-Glucksburgica, Chriſtiani Ludovici Ducis Brunſwico-Luneburgenſis vidua in Electoralem thorum an. cIↄIↄcLXVIII. adſcita, itinerum atque expeditionum plerarumque atque adeo periculorum mariti fidelisſima ſocia, nati I. *Philippus Wilhelmus*, Regiomonte an. cIↄIↄcLXIX. 19. Maji. II. *Albertus Fridericus*, an. cIↄIↄcLXXII. 14. Januar. Coloniæ nati. III. *Carolus Philippus*, eodem anno 26. Decemb. in arce Sparenbergenſi natus. IV. *Chriſtianus Ludovicus*, Coloniæ anno cIↄIↄcLXXVII. 14. Maji Coloniæ natus. V. *Maria Amalia*, Coloniæ an. cIↄIↄcLXX. 16. Nov. nata. VI. *Eliſabetha Sophia*, an. cIↄIↄcLXXIV. 26. Martii Coloniæ nata. VII. *Dorothea*, an. cIↄIↄcLXXV. Sparenbergæ nata, anno cIↄIↄcLXXVI. Coloniæ denata.

§. LXXIX.

Electoralis Princeps FRIDERICUS anno cIↄIↄcLVII. 1. Julii natus in toga atque ſago inclaruit, ac Patri contra Svecos militanti adſtitit, adeoque devicta Pomerania in partem gloriæ paternæ venit, atque ex ipſius Daniæ Regis manu inſigne Ordinis Elephantini accepit Dobrani. (*) An. cIↄIↄcLVIII. conjugem duxit *Eliſabetham Henricam*, Wilhelmi VI. Landgravii Haſſo-Caſſellani filiam, ex qua an. cIↄIↄcLXXX. 19. Sept. filia auctus eſt *Ludovica Dorothea Sophia*. Sed poſtquam Sereniſſima mater an. cIↄIↄcLXXXIII. 27. Junii deceſſit, hoc ipſo præſentis anni menſe Octobri Reverendisſimi ac Sereniſſimi Principis Erneſti Auguſti, Epiſcopi Oſnabrugenſis, ac Ducis Brunſwico-Luneburgenſis filiæ primogenitæ jungetur. Quod connubium ut fauſtum felix atque fortunatum ſit, ex animi ſententia opto, voveo, precor.

(*) ANDR. MVLLER. *Continuat. des verwirreten Europa part. X. p. 822.*



SCRIPTORES RERUM MARCHIÆ BRANDENBURGENSIS.

PARS QVARTA.

Hactenus fere, nescio quo morbo, vetustas nobis in deliciis fuit peregrina Romanorum, patriæ diplomatibus aliisque nostri imperii instrumentis vere neglectis. Spero, fore, ut in posterum sapere in nostra republica malimus, quam in aliena. Commendat nobis consilium hoc *patriae amor, necessitas utilitasque. Illustr.* I. P. de LVDEWIG in *Germania Principe.*

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

IMPENSIS IO. CHRISTIANI KLEIBII,

TYPIS I. C. WINTERI

MDCCLI.

ELENCHVS PART. IV.

XIV.

JO. DAVIDIS KOELERI Diſſertationem A. MDCCXXIII. Altorfii Noricorum, Reſpondente *Georgio Erneſto Finckler*o, Patricio Norimbergenſi ventilatam de *Sacra et Illuſtri Sodalitate B. Mariæ Virginis in monte ad Vetus Brandenburgum.* h. e. Die Geſellſchaft unſer lieben Frauen auf den Berg bey Alt-Brandenburg, iterum in lucem producimus, eoque fidem, quæ *Part. II. Collectionis* hujus pag. 234. fuit data, præſtamus. Auctorem Celiberr. Magnæ Brittaniæ Regi à Conſiliis, Juris Publici & Hiſtoriarum Profeſſorem Publ. Ordinar. ornamento Academiæ Göttingenſis ſuperſtitem eſſe, cum omnibus, quibus vera literarum incrementa cordi ſunt, lætamur, eumque, ut diutius inter vivos ſoſpes agat, optamus.



XIV.

IO. DAVID KOELERI

SACRA ET ILLVSTRIS SODALITAS B. MARIAE VIRGINIS IN MONTE AD VETVS BRANDENBVRGVM.

oder

Die Gesellschaft unser lieben Frauen auf den Berg bey Alt-Brandenburg.

PRAEFATIO.

Renouamus memoriam ſacrae et illuſtris Sodalitatis B. Mariae Virginis Brandenburgicae, penitus fere obliteratam. Hanc

enim ſcriptores generales, notitiam et indicem Equeſtrium Ordinum tam ſacrorum quam profanorum proponentes, plane praetermiſerunt, et hiſtorici quoque Brandenburgici, quotquot euoluere nobis licuit, mentionem eius fecerunt aut plane nullam, aut ſubitaneam. Cum autem ſingulari humanitate & beneficio generoſiſſimi Domini, CRRISTOPHORI ELIAE OELHAFENII, DE SCHOELLENBACH IN EISMANSBERG, *Praefecti oppidi et tractus Altdorfini bene merentiſſimi, Patroni noſtri honoratiſſimi, egregia et authentica documenta nobis obtigerint, non negligendam duximus exoptatam occaſionem de hoc Ordine religioſo et nobili Brandenburgico uberius diſſerendi, eumque in maiorem lucem ex obſcuritate indigna, in qua hactenus immerito delituerat, vindicandi, publicatis ſimul partim ineditis hactenus ad illum pertinentibus dictis monumentis, ſine quibus omnis eius notitia eſſet tantum nominalis et ſuperficiaria, non realis et ſolida. Faxit DEVS omnia Feliciter!*

SVMMARIA.

I. *Sodalitatis B. M. V. deſcriptio generalis.* II. *Autor.* III. *Occaſio.* IV. *Denominatio.* V. *Inſignia.* VI. *Sodales idonei.* VII. *Statuta.* IX. *Poenae.* X. *Commoda.* XI. *Sedes duplex.* XII. *Officiales.* XIII. *Duratio et finis.* XIV. *An inter equeſtres ordines referenda.*

I. Soda-

I.

Sodalitas B. Mariae Virginis Brandenburgica, de qua dicturi sumus, fuit consortium sacrum nobilium virorum et feminarum, in peculiarem honorem Deiparae a Friderico II, Marchione et Electore Brandenburgico, institutum, certisque insignibus donatum, eo potissimum consilio, vt sodales isti ab eo adsciti, et hoc ornamento admoniti, partim publicis et communibus sacris in templo B. Mariae, matris Domini, in monte ad vetus Brandenburgum oppidum faciendis, partim priuatae pietatis exercitiis, seria inprimis poenitentia, vitae innocentia, et continua recordatione, tam mortis nostri Seruatoris IESV CHRISTI, quam imminentis cuiusque obitus, studerent promereri gratiam, tutelam, ac opem B. Mariae Virginis, ad auerruncandas publicas priuatasque calamitates, ad instaurandam concordiam et pacem inter diffidentes Christianos, et obtinendum denique beatum ex hac vita exitum.

II.

Autor huius Sodalitatis fuit FRIDERICVS II, MARCHIO ET ELECTOR BRANDENBVRGICVS, qui a patre Friderico I, ob viuidiorem magisque idoneam ad regendum indolem, fratri natu maiori Iohanni Alchymistae, bona cum eius voluntate, ex ratione status praelatus, ab A. 1440. vsque ad A. 1471. marchiae Brandenburgicae regimen feliciter tenuit, rerumque praeclare fortiterque gestarum gloria multos suae aetatis Principes superauit. Praeter bellicas laudes inclaruit inprimis acriori religionis et pietatis studio, quod constat non solum ex peregrinatione religiosa in Palaestinam suscepta, ex coenobio S. Catharinae Stendaliae fundato, atque ex templo parochiali Diuis Fabiano et Sebastiano Coloniae ad Spreham A. 1469. dedicato, et ho-

dienum ſub Baſilicae titulo ſuperſtite; verum etiam ex prorſus ſingulari confeſſione fidei, quam Primislauiae die Iouis poſt Dominicam Exaudi A. 1445. vernaculo ſermone ſua manu conſcripſit, et appoſito ſigillo muniuit, eandemque poſtea Hieroſolymas profecturus in cathedrali eccleſia Brandenburgenſi A. 1453. repetitam denuo confirmauit, quae plena eſt fiduciae in Dei miſericordiam, et IESV CHRISTI, Seruatoris noſtri, meritum, flagrantiſſimique deſiderii, vt horum diuinorum beneficiorum particeps fiat, atque ita ſe habet:

Ich Friedrich von Gottes Gnaden Marggraf zu Brandenburg, bekenne dir aller barmhertziger Gott und Vater, die Groß-mannigfaltigkeit und unordentlichkeit meiner Sunde, Ubertrettung und aller ungerechtigkeit die ich je begangen habe, von der Taufe uns auf dieſe Stund, und für alle meine Schuld und poen gib Ich dir zur gnugthuung, allerliebſter Gott, den alleredelſten und überflüßigen Schatz unſers Herrn Jeſu Chriſti, deines eingebohrnen Sohns, wann ich anders nicht mag ſeelig werden nach deiner Gerechtigkeit gnug thun, dann durch ſein Verdienen, und iſts das ich es bett-weiß nicht bekennen mag mit der Stimme und der Zunge, ſo bekenne ich es doch mit der Schrifft. Ich will auch ſterben ſeliglich in rechten Glauben meines Herrn Jeſu Chriſti, den er ſelber und eigendlich hat geleeret ſeine Jünger, und darnach haben ſie ausgelaſſen, und ſein wiederum geſtorben, in dem chriſtl. Glauben von groſſer Gnad Gottes ich bin gebohren, gezogen und gewachſen, alſo wil ich ſterben ein gut Chriſt, als die Römiſch heilig Kirch glaubt, es iſt mir aber leid daß ich dem nicht allewege mit guten wercken gezieret habe, als ich ſolt all mein Leben tag mit tugendlicher zunehmung wider alle meine Sünde, und iſts, daß der Feind mir zubliß oder eingebe unglauben, irrfall, verzagung, oder einigerlei Mißtrauen an Gottes Güte und

Barm-

Barmhertzigkeit, so ich itzund mit guter klarer vernunfft nicht vol wort, stat nach will, und wiederruf es von grund meines hertzens, und widersprich aller teuflischen lüst und gespenste, und lasse das urkundlich in dieser Schrift und all mein lebentage und in der letzten noth, so will ich weder mit willen oder vollwort sünden zufallen oder bösen wercken wider Gottes willen nach böser eingebung des feinds, zu einer gezeügnus eines starcken glaubens und ewigen guten willens als mir müglich sei, in den vollkommnesten grad grösstes glaubens, wan ich groß hofnung hab, und gantz ein getrauen in dem allmächtigen Gott, durch das Leben und Leiden Jesu Christi. Item ob Gott über mich gebent und verhengte, daß ich in Todesnöthen von sinnen käme, und von vernunfft oder unbescheiden würde redend, oder sonst ungeschickt, oder mein sinn und vernunfft jähling entstünden, doch mich Gott vor behüte, so bitt ich demüthiglich alle, und begehre mit hertzlicher Begierd und Lieb zu meiner armen seelen heil, daß man mich nicht versaum an Gottes rechten, wann ich ie gern eine gantze Beicht thun wolle, und die heilgen sacrament nehmen des heiligen wahren leichnams Jesu Christi, und der heiligen oelung, mit starcker hoffnung zu der ewigen seeligkeit.

Ich vergib auch allen denen durch Gottes willen, die ie wider mich gethan haben von gäntzen hertzen, und bitt Gott für sie, ich geb auch wider, was ich unrecht hab, sicher und unsicher, bey lebendigen Leib, daß meine erben nicht unrecht gut erben, noch meine seele übel fahre, wann sie mus ewiglich bleiben, so schicke ich das, und mache das verdienlich bey lebendigen Leib, und stiffte das nach meinen tod auf, wärs aber, daß es bey meinen leben so gäntzlich nicht geschehe, so bestell ich doch, daß meine Erben und nachkommen, alles was das sey, nach meinen Tod vollkömlich wieder geben, weil es in obgeschriebener Maß gehalten werde, so seid ihr alle Gottes Engelein meine zeugen des geschäffts und dieser bekändniß, und habe ich iemand unrecht gethan, daß

 mir

mir vergessen ist, oder nicht, so bitte ich alle, daß sie mirs vergeben, und wolte gern von allen kräfften meiner seelen, daß ich in allen meinen leben nie hätte gethan wider Gottes lieb und des nechsten, und wider meine eigene seele, von innen und aussen, und wann es möglich wäre und Gott von Gnaden nur gebe, so wolte ich gerne alle Tag weinen Blut zehren überflüßig, zu einen zeichen wahrer reu für alle meine sünde, und für eine iedliche besonder, und hab einen starcken fürsatz mein leben zu bessern, halten die zehē gebot, beichten klagen, büssen und gnug thun, mit allen dem, das ich vermag und leiden gedultiglich, was Gott uber mich gebeut und verhengt, wenn es alles zu wenig ist gegen der höllischen Pein.

Jesus von Nazareth der Juden König in dem Zeichen des Heiligen Creutzes † verschreib ich mich dein zu seyn ewiglich, her in deine hände befehl ich meinen geist, du bist mein heil, erlösung und Urstand, o gerechter richter ich fürchte dich, o gütiger Jesu ich lebe, ich liebe und hoffe in dich, du magst mich behalten oder verdammen, leib, seel, und alles was du mir gegeben hast, das gib ich dir, Jch will dein sein lebendig und tod, habe mich in deinen Schirm: nicht verlasse mich, helffe in nöthen, in deine schiedung, befehl ich meine Schiedung, der du mich erschaffen und erlöset hast, erbarme dich mein, nimm mich auf, und biß mir armen sünder gnädig! es ist mir leid, daß mir meine sünde nicht leider sein, schreibe dein leiden und marter mit deinen heil. Blut in mein hertz, mit verwunter Liebe deiner Liebe, vergiß nicht in meiner letzten zeit, gedenck mein und meiner schickung in allen zeiten, du bist mein, so will ich dein sein in ewige einigkeit, und das glaube ich vestiglich, und halte es also.

Heiliger Engel, der du mir von Gott geben bist du sollest sein mein zeug mit allen Gottes heiligen, ich empfehle dir diese zetteln, daß du sie dem allmächtigen Gott zu gebest, in der zeit meiner Noth oder am jüngsten Gericht, daß ich die fröliche stimm möge

möge hören, nach glorificirten leib wieder erstehen, kommt ihr gesegneten meines vatters, und ererbet das reich, das euch und allen auserwehlten bereit ist von ewigkeit Amen.

Mit meinen aufgedruckten insigel und mit meinem gewissen versiegelt, und geben zu Prenzlau am Donnerstag nach Exaudi 1445.

Habes itaque B. L. piissimi huius Principis virtutes in hac confessione accuratissime quasi in tabula depictas, qui praeterea rara prorsus animi moderatione et memorabili continentiae exemplo recusauit diuerso tempore oblata sibi Poloniae Bohemiaeque regna, ne, aut vlli iniuriam faceret iusti ac honesti tenacissimus Princeps, aut maioribus turbis ob regni auiditatem inuolueret suas ditiones. A Sigismundo Imperatore A. 1433. viuo adhuc patre Protector constitutus concilii Basileensis, vices Caesaris Augusti grauiter egit, omnibusque ad hunc conuentum confluentibus liberum tutumque itum reditumque praestitit, nec quidquam praetermisit, quod vel ad generalis concilii vigorem et autoritatem, vel vniuersalis ecclesiae salutem, vel ad dignitatem muneris sui tuendam vllo modo pertinere videbatur. De constituta ab eo sodalitate B. M. V. non solum statuta huius subiuncta testantur, verum etiam epitaphium Heilsbronense his verbis conceptum:

Anno Domini 1471. am Sontag nach Scholastica Tag ist der durchleuchtig hochgebohrne Fürst und herr, Herr Friedrich Marggraf zu Brandenburg, des heiligen Römischen Reichs Ertz-kämmer und Churfurst, zu Stettin, Pomern, der Cassuben und wenden herzog, burggraf zu Nürnberg und Furst zu Rugen rc. gestorben, der unser lieben Frauen berg zu Brandenburg gestifftet hat, daselbst man die brüderschafft

der

der seelen gesellschafft begeht, des Seel und alle der seel, die in dieser brüderschafft verschieden seind, der allmächtige gott barmherzig sei.

Videantur AENEAS SYLVIVS *in historia Europae c. 25. et 39. et in commentario in dicta et facta Alfonsi Regis lib. II. c. 29.* IO. WOLFG. RENTSCH in Brandenburgischen Cedernhayn *P. II, c. 3. p. 372. sq.* IO. GEORG. LAIRITZ in hist. genealog. Palmwald *annotat. ad tab. VI. c. III. §. 2. p. 319.* CERNITIVS *in vit. X. Elect. Brandenb, p. 30.* GVNDLINGIVS *in vita Frid. I. p. 384.* ABEL in der Brandenb. staatshist. *P. I. c. 4. §. 2. p. 94.* CASPAR a LILIEN *in oratione de Friderici II. Marcb. et El. Brandenb. fidei confessione edita Baruthi A. 1683. in 4.*

III.

Variis dissidiis ac factionibus ea tempestate laborabat respublica Christiana, quorum incommoda ac damna etiam in Germaniam nostram redundabant. Fatale schisma Papale inter Eugenium IV. et Felicem V. magna animorum vehementia altas radices agere videbatur. Eugenius, ira percitus, et sui non satis compos, eo quoque processerat, vt Iacobum Treuirensem et Theodoricum Coloniensem, Archiepiscopos et Principes Electores, excommunicationis censura notaret, et sacerdotiis priuaret, quae durior sententia collegium electorale valde perturbabat, et ad foedus inter se pangendum compellebat de mutua defensione suscipienda, de recuperanda collegis et Archiepiscopis dignitate, et de tollendo schismate. In Bohemia famosa compactata Pragensia discordiam de praecipuis religionis capitibus inter Vtraquistas et Catholicos hactenus magis auxerant, quam imminuerant. Calixtini non solum odio plusquam Vatiniano prosequebantur Pontificios, verum etiam vehementer dissidebant a Thaboritis, omniaque ibi iterum potius

tius spectabant ad iniuriam, vim, et tumultus, quam ad concordiae pacisque continuandae studium. Austria omnis consumebatur bello domestico; caussa quoque Toggenburgensis non leue belli incendium excitabat, passim alii motus tranquillitatem patriae concutiebant. Quae omnia tam praesentia quam futura mala, vt ab aris et focis arcerentur, vel mitigarentur, et dissensiones, odia, seditiones bella Dei pacifici benignitate sopirentur, penitusque tollerentur, Fridericus Brandenburgicus praelaudatus proposuit sibi suas aliorumque sociatas preces apud Deum adhibere, eoque consilio instituit sacrum et illustre consortium compluriun varia dignitate conspicuorum, ac vtriusque sexus hominum, qui secum concordiam et pacem Christiani orbis in votis haberent, eamque a Deo propitio precibus impetrare allaborarent, vt compositis fluctibus in aeuum duraturam tranquillitatem vbique reduceret, et tam Ecclesiae quam Germaniae statum pacatum redderet. Annus ergo, quo haec pie salubriterque cogitauit instituitque, fuit a nato Christo MCCCCXLIII. die aussumtionis B. M. V. qui est in fastis d. XV. Augusti, quem diem et annum refert clausula statutorum huius sodalitatis, proemium vero eorundem occasionem causasque mouentes clare innuit *articulo I. et II.*

IV.

Haec sodalitas a Friderico conditore dicta fuit **Unser lieben Frauen Brüderschafft oder gesellschafft**, h. e. nostrae almae dominae, siue B. Mariae Viginis, fraternitas aut sodalitas. Pro more enim istius seculi, et fidei Catholicae institutione, suspexit Fridericus Mariam, *Θεοτόκον*, tanquam optimam maximamque patronam et deprecatricem coelestem, cuius ope non solum preces piorum omnia apud Deum obtinerent, quae ad salutem eorum facerent; sed quae ipsa

etiam vires ſuis cultoribus diuinitus largiretur ad propulſandas omnes ſeculi calamitates. Hac de cauſa in eiuſdem maiorem venerationem et autoritatem autor extitit ſocietatis ineundae, quae tota ad eius venerationem perpetuo intenta eſſet. Vulgariter quidem omnes antiquiores ordines equeſtres, aliter licet denominati, B. Mariam Virginem, veluti ſuam protectricem, colebant; plane peculiari tamen ratione haec ſodalitas Brandenburgica a B. Maria Virgine appellationem ſuam ſortita eſt, quippe quae, quanta fuit, ſe comparauit ad eius cultum puriorem intenſioremque, ac ex infimo pectore anhelauit iſtius auxilia coadunatis precibus ſacriſque impetranda. Dantur eiuſmodi plures religioſae ſodalitates honori B. Mariae Virginis ſingulariter dedicatae, eiuſque nomine inſignitae. Ita habemus equites Teutonici Ordinis a Pontifice Coeleſtino III. ſub titulo *Equitum hoſpitalis B. Mariae Virginis, domus Teutonicorum in Ieruſalem*, A. 1198. confirmatos. vid. BARONIVS *T. XII. annal. ad h. a.* §. 2. 3. VENATOR im hiſt. bericht vom Marianiſchen Teutſchen Ritter-Orden *Lib. I. c. 1. p. 7.* Ordinem Danicum Elephantinum, ordinem B. Mariae initio dicatum fuiſſe, tradunt MIRAEVS *in Symb. Ord. militar. p.* 149. Vladislaus IV. Rex Poloniae fundauit A. 1634. Ordinem immaculatae Virginis. vid. GRYPHIVS *in tr.* von geiſt- und weltl. Ritterorden §. 55. *p. 319.* Amadeo VI. Comiti Sabaudiae, debetur Ordo Anunciationis B. M. V. vid. GVARINI *nell' ordine e fondationi di tutte le religioni e Militie di Cavallieri p. 34.* Ad pacificandas Italiae ciuitates Barth. Vicentius Ord. Praedicat. A. 1233. excogitauit ordinem S. Mariae glorioſae, vid. PHILIPPVS BONANNI *in catalogo Ordinum Equeſtr. n. LXXV.* Noti pariter ſunt *Equites S. Mariae Lilii* in regno Nauarrae auſpiciis Ferdinandi R. Arragoniae A. 1403. orti. Geſtabant torquem ex duplici vaſe compoſitum, ex quo imago B. M. V. pendebat. Ex vaſe pro-

dibat

dibat lilium. cui insuper gryphus connectebatur. vid. BONANNI l. c. n. LXXIII. Dominicus, sui ordinis parens, incoepit olim in Hispaniae religiosam militiam S. M. V. de rosario, vt homines in honorem Deiparae diligenter recitarent preces secundum ordinem et numerum globulorum in corolla precatoria pro opprimendis Albigensibus. In centro crucis, quam gerebant eiusmodi milites, apparebat imago B. M. V. cum infante Iesu distribuente rosaria vid. BONANNI l. c. n. LXXIV. Longe plura occurrunt eiusmodi sodalitia, B. Mariae Virginis titulo et signo superbientia, quae tamen lubenter praeterimus.

V.

Tessera Sodalitatis B. M. V. Brandenburgicae fuit imago Deiparae, IESVM puerulum in sinu gestantis; cum corniculata luna sub pedibus, circumdata radiis Solaribus: A tergo inscripta legebatur salutatio Angelica: *Ave Maria.* Ex hac icone suspensum erat aliud signum memorabile, linteolum nempe album, contortum, et in orbem circumpositum, dependentibus ex vtroque latere eiusdem fimbriis cirratis, quod insidebat cygnus, alis quasi ad volatum expansis. Imago vero B. M. V. pendula erat ex torque, conflata ex concatenatis tredecim pastomidibus, quarum singulae dentata sua parte corculum comprimebant. Omnia haec insignia erant argentea valore vnius librae nummulariae, singula quoque erant ita comparata, vt facile sodales suorum officiorum admonerent. Imago B. Mariae Virginis ipsis in memoriam reuocare debebat beneficia eiusdem benignitate et ope accepta, eoque incitare ad perpetuam illius venerationem publice priuatimque exhibendam. Pastomides, corcula constringentes, designabant praxin contritionis Christianae ob admissa peccata, coercitionem prauorum affectuum, op-

 pressio-

pressionemque proteruarum cupiditatum, quibus sodales continuo occupati esse deberent. Linteolum album, contortum, circumuolutumque cygno, notabat puritatem integritatemque vitae, omni modo ipsis sectandam, exigendamque ad normam optimam decalogi, quem innuebant fimbriae crispatae prominentis linteoli. Quoniam vero ad studium sanctitatis plurimum confert recordatio mortis Seruatoris nostri IESV CHRISTI, quam pro nobis piaculariter oppetiit, et meditatio nostrae mortalitatis, vtramque etiam animo sodalium suggerebat hieroglyphicum cygni signum. Nam ex vulgari sententia veterum,

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

quam in rem pulchre ita differit Socrates moriens in Platonis Phaedone p. 64. ex interpretatione Marsilii Ficcini: *Et apparet inferior cygnis ad diuinandum vobis esse videor. Illi quidem quando se breui praesentiunt morituros, tunc magis admodum dulciusque canunt, quam antea consueuerint, laeti quod ad Deum sint, cui seruiunt, iam migraturi. Homines vero cum ipsi mortem expauescant, cygnos quoque falso criminantur, quod lugentes mortem ob dolorem cantum emittant. Neque animaduertunt nullam esse auem, quae cantet, quando esuriat, aut rigeat, aut quouis alio dolore afficiatur: Non ipsa philomela, nec hirundo nec upupa, quam ferunt, prae moerore cantare lugentem. At mihi neque hae aues, prae dolore videntur canere, neque cygni; sed quia Phoebo sacri sunt, vt arbitror, diuinatione praediti praesagiunt, alterius vitae bona, idcoque cantant alacrius, gestiuntque ea die, quam superiore tempore. vid. Proem. stat. Art. II.* Ex hisce vero insignibus quaedam, diuersa licet ratione, etiam in aliis inclytis sodalitiis occurrunt. Ita LAMBECIVS *lib. II. Commentar. Bibliothec. Caesareae c. 8. p. 960.* ex codice MSto sistit nobis statuta, et regulas societatis

cum

cum stola candida, cantharo floreali, et grypho, ad seruandam mediocritatem ab Alphonso R. Arragoniae institutae. PHILIPPVS BONANNI *in catalogo Ordinum Equestr. n.° XXXIII*, meminit ex antiquitatibus Belgicis Rich. Wassenburgensis vetustissimae militiae, Cygni nomine inclytae a Salucio Brabone ad discordias ibi inter proceres componendas, inchoatae, in qua adhibitus sit Cygnus, tanquam concordiae symbolum. FAVINIVS in libro, qui inscribitur, *theatre d' honneur et de chevalerie*, *T. I. lib. VII. p. 670.* producit equestrem ordinem Cliuensem cygni tessera insignitum, cuius initium deducit ab Elia Graio, heroe egregio, quem in tracta nauicula a cygno, catena aurea circa collum ornato, Nouiomagum venisse; aiunt, vt desponsaret sibi Beatricem, Thedorici, vltimi Comitis Cliuensis, filiam virginem et heredem, eundem vero rursus cum nauicula et cygno disparuisse; postquam vxor contra datam fidem curiosius in eius genus et originem inquisiuisset. Sed haec sunt admodum fabulosa. Scriptores quoque Cliuenses hanc equestrem sodalitatem plane ignorant, et solum referunt, maiores fabulis deditos cygnum, quasi generis sui tesseram, turribus, palatiis, aulaeis, statuis, sigillis, aliisque rebus apposuisse: vid. PIGHIVS *in Hercule prodicio p. 51-54.* TESCHENMACHER *in annalibus Cliv. P. II. p. 123. et 189.* DITHMARVS *in diss. de Comitatu Teisterbantiae* §. 15. Notus praeterea est in orbe literario ORDO CYGNEVS, der Elb-Schwan-Orden, autore Io. Ristio, Comite Pal. Caes. et Pastore Wedeliae ad Albim, eo consilio excitatus, vt lingua et poesis Germanica magis excoleretur. Istius sodales gestabant cygnum deauratum et dependentem ex coerulea fascia. Instituta et fata huius societatis enarrantur in libris, qui inscribuntur: Der Zimber-Schwan, darinnen des Schwanen-Ordens Anfang, Zunehmen, Bewandtniß, Gebräuche, Satzungen, Ordens-Gesätze, samt der Gesellschafft

Ordens-Namen entworffen sind, Lubecae A. 1666. it. Der Thrän-fliessende Zimber-Schwan, welcher alle des Schwanen-Ordens zu des Urhebers Lebzeit gewesenen Mitglieder Ordens-Namen, nebst sonderlichen Merckwürdigkeiten, und andern Ordens-Bewantnissen, eröffnet, ibidem A. 1669. in 8v. Pro mortis nobis continuo imminentis memoria seruanda auspiciis laudatissimi Principis, Syluii Nimrodi, Ducis Wurtembergici et Oelsnensis, in Silesia coaluit A. 1652. der Orden des Todten-Kopfes, quem ordinem nostra tempestate restaurauit ipsius neptis, Ludouica Elisabetha, vidua Philippi, Ducis Saxoniae Merseburgensis in Lauchstaed, nouis publicatis statutis d. d. Forst. d. 24. Augusti. vid. GRYPHIVS *in tr.* von geistl. und weltl. Ritter-Orden §. 57. *p.* 351. et *Europ. Fama P. XCII. p.* 630. Nostra autem Sodalitas Brandenburgica dicebatur etiam a tesseris suis Unserer Lieben Frauen Ketten Gesellschafft, siue die Gesellschafft zum Schwanen; sodales pariter nominabantur Unserer Lieben Frauen Ketten-Trager. Ex praescripto enim statutorum *Art. V.* sodales adeuntes curias Principum, vel conventus sodalitatis, et celebrantes dies festos B. Mariae torquem gestare debebant, vti etiam in qualibet hebdomadis feria septima. Negligentes in hoc eius praescripto vsu et a commilitonibus deprehensi, mulctam persoluebant octo nummulorum, pauperibus ab iisdem statim erogandorum.

VI.

In hanc sodalitatem B. M. V. ex instituto Friderici Electoris recipiebantur *primo* tantum nobiles, classibus quidem diuersi, vetustate tamen generis conspicui. Nobilibus secundùm clypeos distinctis hunc honorem datum fuisse indicat Art. I. statutorum his verbis: Darum haben wir Fürsten, Herren, Rittern, und Knechten die Gesellschafft mitgetheilt.

theilt. Nobilitatis enim vox eſt quam maxime generalis, et ſub ſe comprehendit in noſtra Germania, ſecundum antiquum jus Saxonicum et Alemannicum, ſeptem clypeos militares. Vulgo tamen nobiles ad tres claſſes reducuntur, quarum primam conſtituunt Principes, alteram Comites et Barones, tertiam nobiles ſimpliciter ita dicti. Olim Nobilis titulum ſolis Ducibus, Comitibus et Baronibus tributum fuiſſe oſtendunt BESOLDVS *in theſauro pract. voc.* Adel, *& in annotat. ad Documenta Wurtenbergenſ. p. 39. lit. a.* MEIBOMIVS *ad lib. II. Witechindi p. 686. et in vindiciis Billingianis T. III. ſcript. p. 40.* SCHILTERVS *in diatriba de praerogatiua S. R. I. Comitum §. XI. p. 12.* Teſtantur hoc varia diplomata de Principibus. Ita legitur in charta Friſingenſi Friderici I. Imp. de A. 1180. in HVNDII *T. I. metrop. Salisb. p. 115. Adilbertus Friſingenſis Epiſcopus humiliter nobis conquerendo ſignificauit, quod* nobilis vir, *Heinricus de Brunſvvick, quondam Dux Bauariae et Saxoniae --- violenter tranſtulerit.* Heinricus III. Angliae R. in priuilegio Hamburgenſi de A. 1266. in LAMBECII lib. II. Orig. Hamb. p. 61. inquit: *Volentes ad inſtantiam* nobilis viri *et Ducis Brunſwikenſis, mercatoribus ipſius de Hamborch gratiam facere ſpecialem.* Comites nobiles dictos fuiſſe conſtat etiam ex multis diplomatibus. E. g. In charta Erici R. Danorum apud LAMBECIVM *l. c. ad A. 1283. p. 62.* dicitur: *Nouerint uniuerſi, quod nos ad inſtantiam nobilis viri, Domini Iohannis, Comitis Holſatiae.* Sic in Actis Kitzingianis f. 22. occurrit: Der Edelmann Gottfried von Hohenloe. Orta vero hinc eſt diſtinctio inter nobilitatem ſuperiorem et inferiorem, quam varia documenta comprobant, ac vrgent. Clare ea occurrit in grauaminibus nationis Germanicae Norimbergenſibus A. 1523. §. 25. his verbis conceptis: *Licet quaedam eccleſiae in hoc,* vt nobiles tantum ſummae atque mediae ſortis *in eas reciperentur, primum ſunt fundatae, in quibus priuilegium eſt,* vt tantum Principes, aut

alioqui

alioqui nobiles *acceptari possint.* In statutis ergo sodalitatis B. M. V. Brandenburgicae ad eminentiorem nobilitatem pertinent Principes et Barones, ad inferiorem Equites et Famuli. Barones siue Domini dicuntur, qui dynastias possident iure plane libero, nullis seruitiis obnoxias. Equitum vero et Famulorum discrimen his verbis exponunt SCHILTERVS *in commentario ad Iuris feudalis Alem. Cap. I. §. I. p. 39. Omnes Nobiles nati primo fuerunt Armigeri, clientes,* Edelknaben, Edelknechte, *militares, milites gregarii, postea ob virtutem bellicam cingulo equestri solenni varioque ritu creabantur milites siue equites;* et LAMBECIVS *lib. II. Orig. Hamburg. p. 9. In rescripto Imp. Marciani, quod extat Cod. de summa Trinitate, militia sumitur pro nobilitate, quae armis comparatur, et militares nuncupantur eiusmodi militia seu nobilitate praediti —. Caeteri nobiles, equestris dignitatis expertes, dicebantur Famuli, Germanice* Knapen, Edelknechte, *Adelschalcki.* Qui a Friderico in statutis et aliis documentis Germanicis dicuntur Knechte, in chartis Latinis nominantur *serui*, item *famuli*, et quidem ex triplici ratione. Primo quidem ex Lambecii et Schilteri sententia in oppositione ad Equites. Deinde vero, quod obligati essent ratione clientelae ad praestanda aliis vel ministeria palatina, vel bellica, hinc molliori vocabulo dicebantur *Ministeriales*, Dienstmänner. Tertio, quod ita quibusdam addicti vtique aliquam seruitutem subirent, et homines quasi proprii fierent. Clare hoc cognoscimus ex documento inter priuilegia ecclesiae Hamburgensis ap. LINDENBROGIVM *n. 73. p. 175. Nos Henricus et Otto, milites, fratres, dicti de Barmstede, renunciantes nobilitati et libertati nostrae spontanea voluntate, facti sumus ministeriales Ecclesiae Bremensis --- iurantes nos Ecclesiae ante dictae sicut ministeriales perpetuo seruituros. Vxores nostrae, liberi nostri iam nati, et adhuc nascituri, idem facient.* Statuta Sodalitatis B.M.V. praeterea in nobilibus requirebant Articulo II.

culo II. prosapiae nobilis a quatuor avis paternae maternaeque lineae productum indubium et antiquum splendorem, et reiiciebant omnes nouos homines. Procul dubio respexit Fridericus Elector ad Art. XII. Legum torneamentorum, qui ita se habet: *Quisquis recentioris notae nobilis, et non talis, vt a stirpe nobilitatem suam et originem quatuor saltem generis auctorum proximorum gentilitiis insignibus probare possit, is quoque ludis bis exesto*, vid. GOLDASTVS T. II. Constit. Imp. p. 42. Genuinae enim nobilitatis characterem consistere in quatuor maiorum nobilium insignibus his verbis docet, eruditus autor des Schlesischen Ritterrechts und Ehrengerichts *fol. 40.* Nach löblicher Gewohnheit und eingeführten Adel und Ritters-Brauch, soll und muß ein Edelmann vierschildig seyn, und daß er von vier Vätter, und Mütterlichen, Adelichen Ahnen herkommen und gebohren seyn, beweisen und darthun -- wofern einer sich also einschildig nicht vermag zu qualificiren oder zu legitimiren, wird er für einen tüchtigen Edelmann nicht geachtet, bleibt ohne Nachrede, Tadel und Vorwurff nit, kan in Beschicknis sich nicht brauchen lassen, in der Ritterbanck oder Ehren Tafel nicht sitzen, vor derselben nicht reden, noch jemands zu Ritterrecht einen Schild schwoeren. Er kan sich auch des Ritter-Rechten nicht anmassen, noch etwas dabey zu thun haben, sondern wird gleich, als wann er nicht von Adel reputirt oder gehalten, kan keinen rechten Edelman an Ehren verletzen, oder mit was bezüchtigen oder belegen, daß ihme an Ehren schädlich sey, kan wider keinen tüchtigen Edelmann Zeugniß geben, darff in Thurnier nicht reiten, noch keinen untadelhafftigen vom Adel darzu provociren ꝛc. ꝛc. In deductione Iuris et Facti in causa ecclesiae Wormatiensis contra Hermannum Lotharium ab Auwach §. 5. legitur formula testificandi auitam eiusmodi ab vtraque sexu deductam nobilitatem huius tenoris: *Ego Hermannus Lotharius ab Auwach, clericus Treuirensis dioecesis, iuro co-*

ram Deo &c. quod ex quatuor auis, & auiis, nobilis equestris familiae sim oriundus, scilicet de parente nobili Iohanne Philippo Auwach, de Auo nobili, Gerlaco Auwach, auia nobili Anna a Segger; de matre nobili AEmilia Rosina, de auo in linea materna, Friderico, de Auia materna Elisabeth. etc. quod si unquam aliter repertum fuerit, me non de legitimo matrimonio, vel ex praescriptis auis auiisque non cum sufficienti et requisita nobilitate fuisse oriundum, iuro et appromitto, in tali casu, me post nudam admonitionem a Dominis Decano et Capitulo factam, velle hosce Canonicatum & Praebendam, in vim mei huius et solennis iuramenti sine ulla tergiversatione vel exceptione, libere et voluntarie, et ad manus reverendissimi Capituli, dimittere. *Secundō* vero Sodalitas B. M. V. Brandenburgica admittebat etiam feminas secundum statutorum Articulum X. ubi maritis permittitur uxores suas huius sodalitii facere participes. Haec autem cooptatio feminarum nostrae Sodalitati non prorsus peculiaris fuit. Nam feminae etiam adscriptae leguntur in communionem Ordinis S. Iacobi de Spatha, et de Calatraua in Hispania, Angeli Custodis Mantuae, S. Stephani Florentiae, S. Iohannis Melitensis, B. Mariae de mercede redemtionis captivorum, vid. FR. RADES *in hist. Calatrauensi c. 18.* ANDRADA *in chronico Ord. S. Iacobi de Spatha p. 33.* BONANNI *l. c. n. 122, 125 -- 129.* POSSEVINVS *in hist. B. Montiferratensis f. 437.* Antea dictus Sylvius Nimrod, DVX Würtembergicus Oelsnensis feminas quoque adscripsit dem Orden des todten Kopffs vid. statutor. Art. IV. in Gryphii tr. von Ritterorden p. 361. Fuit etiam aliquando, vt Equestris dignitas maritorum illustraret vxores vsque adeo, vt olim tituli, EQVITISSA et MILITISSA, in vsu fuerint, iisque aliquando in chartis attributi reperiantur, teste CHRISTYNAEO *in iurispr. Heroica T. I. siue in Commentario ad edict. Reg. d. 14. dec. 1616. Art. VIII. §. 33. p. 413.* qui producit ex Archivis familiae Hornanae haec verba contractus alicuius matrimonialis;

monialis: *In approbatione per Ducem Brabantiae conuentionum matrimonialium inter domicellum, Ioannem de Merode et Alcydem Sororem Dni. Henrici de Hoorn — testes nominantur Maria et Isabella, EQVITISSAE, Sorores eiusdem Henrici A. 1451.* Ab eodem ex registris Curiae Mechliniensis de A. 1441. affertur charta, in qua legitur: *Domina Catharina Bauu MILITISSA cum Iohanne von Husse MILITE suo marito, promittens.*

VII.

Sodales B. M. V. idoneos pro lubitu, absque certo numero, nominauit Fridericus Marchio et Elector, vtpote caput et fundator huius sodalitatis. Fecerunt hoc pariter eius successores vsque ad Ioachimum II. Electorem, qui religioni Euangilicae nomen dedit. Produximus in quaternione documentorum *n. II.* formulam, qua collata fuit huius sodalitii dignitas SIXTO OELHAFIO, ex qua apparet Ioachimum I. Electorem, in decernendo hoc honore in consilium etiam abhibuisse fratrem Albertum. Illius vero SIXTI OELHAFII, cui tunc hic honor obtigit, fortunam virtus aequauit, virtutem honor, honorem admiratio. Ipse Fridericus III. Imp. in diplomate dato in portu Noauis d. 9. Iulii A. 1489. eum vocat *Imperialis cancellariae suae Secretarium, Domesticum, et continuum commensalem.* Curauit quoque sacra scrinia Maximiliani I. et Caroli V. Caesarum, rerumque agendarum peritia, prudentiaeque laude insigniter floruit. A Carolo V. demum inter spectabiles consiliarios adscitus animam coelo dignam exhalauit A. 1539. *vid. Codex diplomatum Æn. Syluio Hist. Friderici III. Imp. a Boeclero subi. p. 45.* et Lexici Hist. Fritschiani T. III. p. 624. Vxor eiusdem prima Anna Pfinzingia, quae simul in sodalitatem B. M. V. Brandenburgicam a Ioachimo I. Electore recipiebatur nuptiis solennissimis d. 16. Febr. A. 1501. Norimbergae, praesentibus

tribus electoribus, Moguntino, Coloniensi, Saxone, aliisque Imperii Proceribus, ei fuit collocata, existente etiam Symposiarcha ipso Moguntino Praesule, vid. BIRCKEN im Fuggerischen Ehren-Spiegel des Ertz-Hauses Oesterreich *Lib. VI. §. 4. p. 1123.* et Historische Nachricht von Nürnberg *ad h. a. p. 291.* Quibus ritibus initiati fuerint sodales B. M. V. Brandenburgiacae nullibi legitur. Ex statutorum vero *Articulo III.* patet, sodales non semper ex manu Electoris Brandenburgici symbola sodalitii accepisse, sed haec interdum a commilitone auspiciis et iussu Electoris fuisse quibusdam collata. Hoc prorsus singulare huius sodalitatis axioma fuit, quod illius dignitas, post primi acquirentis mortem, hereditario quasi iure, bona cum conditoris venia, ad filios et proximos agnatos transire posset, redemtione modo, determinata pecuniae summa, torquis facta a Praeposito Praemonstratensis collegii in monte sacro ad vetus Brandenburgum, et agnatione coram eodem rite comprobata, tenore *Articulorum XVII. XVIII. in Statutis.* Dico vero iterumque dico, hanc transmissionem sodalitii B. M. V. ad haeredes prorsus fuisse singulare quid. Alias enim Equestris dignitas haereditaria est plane incognita et non admittitur, et si quae est, vel fuit unquam, ex singulari concessione Principis provenit. Eius rei tamen paucissima exempla occurrunt. Carolus V. Imp. Stephanum Prats, meritis in toga et sago inclyto viro, totique eius posteritati equestris dignitatis ornamentum his verbis contulit: *Te praenominatum Stephanum Prats, Equitem sive Militem armamus, facimus, creamus, ac titulo et dignitate militiae, et equestris ordinis insignimus, et decoramus, volentes, et eadem autoritate decernentes expresse, quod tu et posteritas tua, tam nata, quam nascitura, tuis exigentibus meritis et virtutibus, et nunc in perpetuum Milites sitis, nominemini, et intitulemini, ac ab aliis pro talibus, et ut tales haberi, nominari, reputari, ensemque, calcaria,*

et

et alia ornamenta argentea et aurea ad Equestrem, siue militarem dignitatem spectantia, et pertinentia -- gestare valeatis. vid. CHRISTYNAEVS *l. c. ad Art. I.* §. *60. p. 64. et ad Art. VIII.* §. *31. p. 408.*

VIII.

Sodalibus suis B. M. V. Fridericus II. Elector praescripsit leges quasdam, secundum quas actiones suas, ex data in receptione fide, pro feliciter obtinendo fine sodalitii instituerent. Officia ergo quaedam sodales praestare debebant erga B. Mariam Virginem, erga se ipsos, erga alios. Officia erga B. Mariam Virginem erant, vt 1) sodales peculiari quadam concepta precum formula, vel aliis orationibus B. Mariae Virgini suam suorumque salutem quotidie commendarent. *vid. Art. VI. et Oratio ad B. M. V. in quatern. document. p. 12.* 2) vt sancte celebrarent dies festos B. M. V. aniuersarios tam cultu interno, quam externo, inprimis preuiis ieiuniis. *vid. Art. VII.* Summa officiorum erga se ipsos erat, ne vnquam aliquid admitterent, quod laederet honestatem et bonam existimationem, et illos indignos redderet consortio tam illustri. *vid. Art. VIII.* Tenebantur quoque procurare, vt post obitum eorum in templo B. Mariae Virginis in monte ad vetus Brandenburgicum insignia gentilitia sua suspenderentur, addito anno et die mortis, pro conseruanda sui memoria. In officiis erga alios, quaedam erant obseruanda erga integram sodalitatem, quaedam erga sodales singulos. Officia integrae sodalitati exhibenda postulabant 1) vt singuli in sodalitatem cooptati conferrent XI. aureos Rhenanos ad fiscum sodalitatis. *vid. Art. III.* 2) ut acta in capitulo silentio sanctissimo premerent. *vid. Art. XI.* 3) vt torquis restitutionem, aut redemtionem Praeposito Praemonstratensium in monte sacro ad vetus Brandenburgum post mortem faciendam heredibus iniungerent, *vid. Art. XIV.*

et 5) denique, vt iudicio sententiarum Sodalitatis in controuersiis se submitterent. *vid. Art. XXII.* Erga singulos commilitones statuta B.M.V. Sodalem obligabant 1) ad defensionem illius in laesione bonae famæ *vid. Art. IX.* 2) ad defuncti exequias variis sacris vel publicis vel priuatis peragendas *vid. Art. XV.* Corroborauit Fridericus El. haec statuta *Sigillo suo Majestatis*; ex qua formula SCHILTERVS *in differt, de iure Obsid. C. II. §. 6. n. 20.* & THVLEMARIVS *de octouiratu c. XIX. §. 22.* Electoribus Maiestatis iura asserunt. Verum enim vero censeo potius hic sigillum maiestatis denotare vel maius Sigillum, vel maiestatis vocem improprie accipi pro potestate Principali et territoriali. Praeter enim Marchiones et Electores Brandenburgicos, a quibus haec signandi formula frequentius olim adhibita fuit, in diplomatibus, non raro eodem loquendi modo, in chartis sigillis suis muniendis, olim vsi fuerunt Electores & Duces Saxoniae, Duces Brunsuicenses, aliique, imo MABILLONIVS *lib. II. Rei dipl. c. 7. §. 6.* testatur Hugonem, Campaniae Comitem, Maiestatis sigillo literas publicas consignasse vid. Illustris LVDWIGIVS *in Germaniae Princip. Lib. III. c. 24. n. 23. p. 181. in differentiis iuris Romani & German. ad praem. instit. p. 8. & T. II. ad A.B. p. 387.* GEORGIVS ENGELBRECHT *in diss. de iure diplomatum Cap. IV. §. 4. §. 11. p. 78. & Exc.* GRIBNERVS *in Progr. A. 1718. Disputationibus publ. ad x praemisso, et in Obseruationibus J. P. de Sigillo Maiestatis Saxonico §. 3. sqq.*

IX.

Sodales contra has Leges peccantes vel pecunia multabantur, vel ex consortio excludebantur. Negligentiores in gestanda torque soluebant octo nummulos secundum *Art. V.* Segniores in precibus iniunctis pendebant tales septem secundum *Art. VI.* Non accedentes ad exequias commilitonum

litonum erogabant aedi B. M. V. in monte ad vetus Brandenburgum argenti libram numulariam, *vid. Art. XV.* Maiora delicta erant, quae exauctorationem merebantur, 1) si Sodalis facinore turpi laesisset omnem honestatem ac fidem *vid. Art. VIII.* 2) Si quis recusasset pendere libram argenti numulariam pro absentia in exequiis defunctorum commilitonum, *vid. Art. XV.* 3) Si quis accusatus stare noluisset in iudicio Sodalitatis *vid. Art. XXII.* Grauiori eiusmodi delinquenti interdicebatur vsus torquis et clinodiorum Sodalitatis, et monebatur sponte haec ornamenta deponere. Contumaci vero etiam in hoc a commilitonibus data occasione insignia Sodalitatis auferebantur, et Præposito Praemonstratensium in monte ad vetus Brandenburgum remittebantur, *vid. Art. VIII.* Non insuetae etiam in aliis Ordinibus equestribus sunt exauctorationes. In capitulo ordinis Velleris aurei A. 1481. aliquot equites, qui a Maria Burgundica et archiduce Maximiliano defecerant ad Gallos, ob hanc perduellionem a Capitulo collari ordinis priuati, et illo indigni fuerunt declarati, quorum insignia in choro ecclesiae St. Iohannis deleta, et eorum in loco inscriptio hanc sententiam inter alia continens, adhuc hodie videtur: *At esté et est priué du dit Ordre, et declaire indigne et inhabil à iamais porter le Collier, ou autres enseigne d'iceluy et en outre at esté ordonné, que pour l'enormité, et en detestation des cas, et crimes dessus dits, le tableau des armes du dit Messire Philippe, estant presentement avec ceux des autres Seigneurs Chevaliers, et Confreres du dit Ordre en l'Eglise collegiale de St. Jean l'Evangeliste de cette ville de Bois le Duc, sera depos du lieu, et honneur où il est, et sera mis, porté, et attaché a rebours a l'une des portes d'icel le Eglise, oul il demeurera permanablement a tousjours,* vid. IO. PAPTISTA CHRISTYNÆVS, *Cancellarius Brabantiae, in Jurisprudentiae Heroicae T. II. in comment. ad Edict. 14. Dec. 1616. Art. VIII. §. 37.*

Plura

Plura exempla eiusmodi exauctorationis adducit FAVINIVS *in theatre d' honneur & de Chevalerie lib. X. c. 4. des peines milit. et degradation de la noblesse.*

X.

Praeter eximium honorem consortii tam illustris varia commoda in Sodales B.M.V. redundabant; inter quae praecipua, 1) defensio adversus aliorum obtrectationes et calumnias a Sodalibus sibi inuicem intrepide fideliterque praestanda, *vid. Artic. IX.* 2) Egenis Electores et Marchiones Brandenburgici clementissime prospiciebant de congruis largisque alimentis, *vid. Artic. XII.* In statutis Ordinis Equestris Immaculatae Virginis autore Vladislao IV. Poloniae Rege Art. XXV. ita quoque agitur de egenis: *Si quis Equitum non sua culpa, sed aliquo infortunio ad tantam devenerit paupertatem, quod conuentui erit declarandum, vt sine probro Nobilitatis Equestrisque dignitatis viuere nequeat, huic communi Fratrum ope erit succurrendum, tenebiturque vnusquisque Equitum id praestare indigenti, quod vniuerso conuentui visum fuerit; si vero prodigalitate vel aperta rerum suarum incuria, aut supina ignauia, in eam inciderit inopiam, Princeps ab eo torquem repetet, prouidendum erit, ne et ille opprobrium sit Ordini, et alii praecipue iuniores prauo corripiantur exemplo.* Vtique enim splendor ordinis angustia rei familiaris vilescit, et si non respondeat domestica Fortuna dignitati, autoritate illa prorsus destituitur, et contemtui habetur. Hac de causa merito in Republica Romana certus census constitutus erat, quo Equites et Senatores debebant esse prouisi, antequam in ordinem Equestrem et Senatorium possent cooptari. Bene hanc in rem SENECA *lib. II. de Beneficiis c. 3.* inquit: *Senatorum gradum census ascendere facit, census Romanum Equitem a plebe discernit, census in castris ordinem promouet, census denique in foro Judex legitur.* In Italia non indiligens

ligens obseruator rerum ridet tot Marchiones, quibus nullus est Marchionatus, tot Comites, quibus nullus est Comitatus, tot Equites, quibus nec equus, nec calcaria, nec ocreae sunt; atque cum cordolio vidisse se iocatur in agro Lunensi triginta Marchiones in fico arbore, contra famem ficis depugnantes. vid. LANSIVS *in orat. contra Italiam p. 907.* Neque tamen in Italia solum nobilitatis honorem prostituit inopia; verum notum est Gallorum prouerbium aliis etiam regionibus exsibilans Nobilium suorum splendidam miseriam, quod ita sonat:

Un SENOR en Espagne,
Un MAISTRE en haute Bretagne,
Un MONSIEVR en Franche Gaule,
Un FIDALGO en Portugale,
Un SCHLACHTITZ en Polonie,
Un EVESQUE en Italie,
C'est une pauvre Compagnie.

Conf. CHRISTYNAEVS *l. c. ad Art. VIII. §. 30. p. 407.* 3) Memoriae et gloriae sodalium perpetuandae causa in templo B. M. V. suspendebantur scuta gentilitia defunctorum sodalium, vid. *Art. XIV.* Hac ratione tumuli quasi honorarii et cenotaphia statuebantur sodalibus, quorum tituli nomina eorum etiam posteris nota reddebant. Talis honos ab antiquissimis temporibus est, vt armis eorum affixis sepulchra condecorarentur. VIRGILIVS de sepulchro Miseni *Aeneid. VI, 232.* ita canit:

At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per secula nomen.

et ibidem de cenotaphio Deiphobi *v. 500.*

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem
Constitui, et magna manes ter voce vocaui.
Nomen et arma locum seruant. ---

Vberius idem poeta describit tumuli Mezentii insignia ornamenta, vt esset simul trophaeum, *Aeneid. XI. 5.*

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma
Mezenti Ducis exuuias, tibi magne trophaeum,
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum,
Perfossumque locis: clypeumque ex aere sinistrae
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Secundum nostros etiam mores ad sepulchra et cenotaphia Equitum et Nobilium *Armarium honoris*, Gallis *Cabinet d'armes* dictum, proximo parieti vel columnae appenditur, quod est tabula quadrata marginibus ex fastigio insignis; in cuius medio appensum sagum militare, galea cimmerio et laciniis decora, hinc inde gladius et chirothecae, et in imo aurata calcaria, in angulis scuta gentilitia paterna et materna; quae vt recte atque ordinate affigantur, ad scientiam heraldicam spectat. vid. CHRISTYNAEVS *l. c. ad Art. VIII. §. 41. p. 418.* 4) Sodales ad capitula sacraque sodalitatis commeantes gaudebant speciali conductu et tutela Marchionum et Electorum Brandenburgicorum, contra omnes aggressores in itinere. vid. *Art. XV.* 5) Ad dirimendas controuersias inter sodales ortas constitutum erat peculiare tribunal. vid. *Art. XXII.* 6) Fruebantur non solum communibus sacris quotidie a collegio Praemonstratensium ex praescripto Fundatoris faciendis, vid. *Art. XIII.* verum etiam pro animabus defunctorum, ex consuetudine religionis pontificiae, ordinatae erant vigiliarum et sacrificiorum ceremoniae stricta obseruantia ab omnibus celebrandae. vid. *Art. XV. et XVI.*

XI.

Sedes huius Sodalitatis primaria fuit templum B. M. V. in monte ab eadem denominato ad vetus Brandenburgum, metropolim olim totius Marchiae. Mons iste antea dicebatur der Herlungisberg, ab Harlungis, qui eundem possedebant. Extruxerat in eo magnificum templum ad architecturae Graecae rationes et ornamenta in honorem Deiparae Pribislaus, alio nomine Henricus, potentissimus Rex Obotritorum,

tritorum, F. Godeschalci a Slauis A. 1066. propter fidem Deo et Imperatori exhibitam misere trucidati, qui non solum Brandenburgensem populum sibi rebellem denuo subiecit, teste Helmoldo lib. I. c. 57. ap. Leibnit. T. II. Script. Brunsuic. p 569. verum etiam patris vestigia in proficenda religione christiana laudabiliter pressit, moriensque A. 1142. terrae Brandenburgicae heredem scripsit Albertum Vrsum, Marchionem Soltuedelensem, quod tradit fragmentum vetusti Chronici Brandenburgensis in MADERI *antiquitatibus Brunsuic. p. 274. Huius temporibus fuit in Brandenburg Rex Henricus, qui Slauice dicebatur Pribezlaus: qui Christianus factus, idolum, quod in Brandenburch fuit, cum tribus capitibus, quod Tryglau Slauice dicebatur, et pro Deo colebatur, et alia idola destruxit, idolatriam et ritum gentis suae detestans, cum filium non haberet, Albertum Marchionem, dictum Vrsum, haeredem sui instituit principatus.* Hanc aedem sacram ergo Fridericus II, Marchio et Elector Brandenburgicus, restaurauit, et adiecto nouo collegio Praemonstratensis ordinis splendidiorem fecit, eamque sodalitati B. M. V. a se institutae penitus propriam fecit ac dicauit, vt ibi non solum certa sacra ex praescripto statutorum statis diebus celebrarentur, verum etiam Insignia gentilitia sodalium suspenderentur. vid. *Art. I, XIII, XIV, XVI.* conf. DRESSERVS *P. V. Isagoges historiae de praecipuis Germaniae vrbibus p. 155.* Melchias NEHEL *in exegesi Marchiae p. 332.* MERIAN *in Topographia Marchiae p. 33.* Maximum demum nexum faciebat ex peculiari conuentione contracta inter sodales B. M. V. et collegium Praemonstratense in monte sacro Brandenburgico perpetua plenissimaque confraternitas. vid. *Artic. XX.* Fraternitas vero dicitur stylo monastico de laicis, qui in participationem plenariam omnium bonorum spiritualium in vita pariter et in morte, videlicet missarum, orationum, ieiuniorum, vigiliarum, abstinentiarum, eleemosynarum, disciplinarum, et aliorum exercitiorum spiritualium, seu corpo-

 ralium

ralium quorumcunque, a monachis admittuntur. Formulae admissionis in eiusmodi communionem monachalium operum et beneficiorum ex chartulariis ecclesiarum leguntur in dü FRESNE *T. I. glossarii medii aeui p. 55a* et ANT. MATTHEI *de nobilitate lib. II. c. 36.* Fratrum conscriptorum nomina annotabantur in sacris diptychis, recitabantur in missarum solennibus, ac preces pro viuis mortuisque instituebantur. Tradit hoc vberius HERIMANNVS TORNACENSIS *in d'Achery Spicileg. T. XII. p. 406.* inter alia scribens: *Mos antiquitus institutus tunc temporis seruabatur, in ecclesiis vt nomina fratrum circum adiacentium ecclesiarum, quibus se mutuas orationes debere, vel societatem promisisse noverant, super sanctum altare scripta ponerentur: quatenus sacerdos missam cantantibus nominatim recitaret, cum ad illum locum venisset:* Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. *Tunc enim vnus ministrorum altaris ei propinquans praesentabat recitanda nomina &c.* Crescente postea hac sodalitate B. M. V. secundariam sedem ipsi constituit Albertus I, Marchio et El. Brandenburgicus in sacello S. Georgii ad ecclesiam collegiatam S. Gumperti in ciuitate Onoldina, quod cognoscimus ex D. VITI HOSMANNI breui descriptione istius ecclesiae, ex quo libello non vbiuis obuio sub n. IV. eclogam produximus in quaternione Documentorum subiunctorum. In Elencho sodalium, quem ex vetusto breuiario huius sodalitatis Hosmannus excerpsit, nominatur quidem *p. 19.* Iohannes, Marchio et Elector, verum ex adiecto anno et die mortis eiusdem patet, esse hic mendum, et Iohannis nomen perperam pro Alberto positum. Talia hoc in loco etiam instituebantur sacra, qualia instituta fuisse in templo B. M. V. in monte Brandenburgico dictum fuit. In parietibus eiusdem pariter affixa cernebantur tesserae gentilitiae et monumenta sodalium. Vid. MERIAN in *Topographia Franconiae p. 45.* LAVRITZ *l. c. p. 300.*

XII. So-

XII.

Sodalitatis B.M.V. Brandenburgicae constituti ministri erant quinque, nempe quatuor procuratores, et vnus thesaurarius. Procuratorum et arbitrorum certis prouinciis praefectorum, munus erat cognoscere, iudicare, et lata sententia finire controversias sodalium, et patrocinari collegio Praemonstratensium in monte Brandenburgico. Primi fungebantur hoc officio Albertus Comes Lindauiae, et Matthias de Bredau, Senior, in Marchia noua, Bernhardus de Schulenburg in veteri Marchia, Vicko de Bulau in terra Luneburgica. Thesaurarii munus obibat Praepositus Praemonstratensium in monte Brandenburgico. Administrabat enim non solum fiscum sodalitatis, verum etiam ipsi restituebatur torques sodalium defunctorum, et ab ipso redimebatur a proximis agnatis. Decreta vero inaugurationis equitum curabat scriba Electoris Brandenburgici. vid. *Art. III, XIV, XIX, XXI.*

XII.

Floruit haec sacra et illustris sodalitas auspiciis ductuque Marchionum et Electorum Brandenburgicorum laetis incrementis usque ad tempora reformationis Lutheranae et A. 1554. et numerauit in suis diptychis XXIV. Principes, XI. Comites, VIII. Barones, LXIX. Equites, CCXXIX. nobiles vtriusque sexus. Restauratis vero sacris a religiosissimis Marchionibus, Friderico Onoldino Iuniore, Ioachimo II. Electore, et Georgio Onoldino, cum abrogato cultu B.M.V. cessavit quoque haec sodalitas tam in ditionibus Marchicis, quam Franconicis, eiusque memoria fere intercidit. *Vid. Catalogi Sodalium in document. p. 571.* sequ.

XIV.

Si ergo demum disquiratur an ad equestrem dignitatem haec sodalitas B.M.V. Brandenburgica sit referenda, an non? Censeo vtique eam ad equestres ordines pertinere; quoniam omnia ea habuit, quae ad constitutionem equestris

ordinis requiruntur. Ordinem autem equestrem dicimus autoritate summi Principis institutum consortium nobilium, qui regulis quibusdam ad certa officia obligantur, peculiaribus quibusdam honoribus et beneficiis gaudent, et vulgo equites dicuntur, elogio petito, ex praemiis militaribus in medio aevo. Vulgo faciunt hos equites triplices, et dicunt eos esse vel *Auratos*, vel *Cruciatos*, vel *Torquatos*, vid. MEGISERVS *in tr.* von dreyfachen Ritterstand, *et* BECMANNVS *in notitia dignitat. illustr. diss. XVI.* §. *I.* Accuratius tamen dividitur equestris dignitas in quatuor species, vt prima sit *militaris*, secunda *regularis*, tertia *honoraria*, quarta *Socialis*. *Militaris* est illa, quae confertur ob in bello egregia perpetrata facinora; qualis est ordo St. Ludovici in Gallia &c. *Regularis* vocatur, quae sub regula aliqua inprimis ad peculiaria cultus diuini officia adstringit equites, et quae alio nomine dicitur *Militia religiosa*; quales dantur plures in Italia Hispaniaque. Equestris dignitas *honoraria* est illa, quam Princeps aliis Principibus summisque viris communicat honoris et amicitiae causa, qualis est ordo aurei velleris, periscelidis &c. *Socialis* denique ista dicitur, quae vel inter aequales principes in mutuae amicitiae tesseram instituitur, qualis fuit der Orden der guten Freundschafft oder vom guldenen Brasselet, quem Ioh. Georg. IV. Dux et Elector Saxoniae, et Fridericus III. Marchio Brandenburgicus A. 1692. Torgauiae erexerunt, vid. GRYPHIVS *l. c.* §. *63. p. 379.* vel quae solum inter decora quarundam aularum refertur, quales sunt *Ordo Danebrogicus*, *Generositatis.* &c. vid. CHRISTYNÆVS *l. c. p. II. in auctario ad Art. VIII p. 143.* Equites in omnibus istis ordinibus sunt vel *Aurati*, vel *Torquati*, vel *Cruciati*. *Aurati* dicuntur, quibus solis ius est deaurata habere calcaria, et quorum dorsa in solennibus inaugurationis stricto ense percutiuntur. *Torquati* sunt, qui torquem et ex eo suspensa clinodia gestant; *Cruciati* appellantur a crucis insigni, quod ipsis pro tessera. Refero ergo Sodales B. M. V. Brandenburgicae ad equites regulares sociales torquatos.

QVATERNIO DOCVMENTORVM
AD
HISTORIAM SACRAE ET ILLVSTRIS SODALITATIS
BEATAE MARIAE VIRGINIS IN MONTE AD VETVS BRANDENBVRGVM.

SVMMARIA.

I. Præloquium. 1) *Causæ impulsivæ* ad sodatatem B. Mariæ Virginis instituendam. 2) *Descriptio & explicatio collaris & clenodii horum sodalium.* 3) *Invocatio B. Mariæ Virg.* II. *Statuta sodalitatis* 1) *De sede ejusdem in æde collegii Præmonstratensis in monte ad vetus Brandenburgum oppidum.* 2) *De nobilitate sodalium.* 3) *De Symbolis in accessu a sodalibus dandis & eorum obligatione.* 4) *De pondere & forma collaris.* 5) *De gestatione monilis & clinodii.* 6) *De precibus sodalium.* 7) *De celebratione festorum dierum B. M. V.* 8) *De officiis, delictis & pœnis sodalium.* 9) *De mutua defensione sodalium.* 10) *De cooptatione uxorum in hanc sodalitatem.* 11) *De Capitulo sodalium.* 12) *De alimentis egenis sodalibus a statore hujus sodalitatis præstandis.* 13) *De divinis officiis in æde dicti collegii pro salute sodalium quotidie peragendis.* 14) *De præstationibus pro defunctis sodalibus.* 15) *De exequiis eorum.* 16) *De quotidianis de praecationibus pro iisdem.* 17) *De hæreditaria acquisitione sodalitatis a filiis & agnatis.* 18) *De probatione juris hereditarii.* 19) *De fisco sodalitatis.* 20) *De fraternitate cum Præmonstratensibus in dicto loco, & communione omnium piorum operum eorundem.* 21) *De dispensatoribus & arbitris.* 22) *De judicio sodalitatis.* 23) *Clausula.* 24) *Oratio sodalium ad B. M. V.* 25) *Syllabus sodalium A. 1443.*

I. Constitutio Friderici II. Electoris & Marchionis Brandenburgici de Sodalitate sacra & illustri B. Mariæ Virginis a se incœpta ex libello in membrana scripto foliorum XXI. in 4to.

Hie hebt sich an die furrede In vnser lieben frawen Bruderschafft.

Wir Friederich vonn gots gnaden Marggraue zu Brandemburg Des heiligen Romischen reichs Ertzkamerer vnd Churfurst Burggraue zu Nurmberg bekennen zu ewiger gedechtnis vnd thun kunt allen die diesen brief sehen adder horen lesen Ab wir von furstliches states wegen

gen mancherlei gescheffte und sachen vorhanden habenn dadurch wir unser land undersässen in eynung und fridlichen stand bringenn und bestetigen mochten und dar In unsern fleiß thun nach allem unserm vermugen So bedencken wir doch und betrachten darbei nicht ahn bekummernis unsers gemuts wie gar schrecklich ir'thum swere leufte und verderbliche zweitracht in der heiligē christenheit und in dem heiligen Romischen reich und deützschen landen sich erhebt und gemacht haben. und von tagen zu tagen noch furder und mehr erheben unnd machen Dauon der heiligen Christenheit dem heiligen romischen reich und allenn deutzschen landen groß unrat und schaden gescheen und gantz besorglich ist das gröser verderb und unmacht (wie anders das got von gnaden nicht abwendt) da vonn entstehen mugenn.

1. Bewegniß der geselschafft.

Und wan nu wol kunt ist das solche ir'thum und zwytracht ehr' gescheen von got, umb der mentzscheit manchfeltigen sunde und boßheit, damit sie got gereitzt verhangen und zugestatet sein Als besorgen wir uns, das nu auch in unsern zeiten, als die welt allenthalben leider vol sund und boßheit ist Diese leuffte unnd sachen deßhalben In unsern zeiten zukummen, und von got durch sein heimlich rechtfertig gerichte verhangen werden. Und als wir nu auch In alten v'gangen exempeln und bei zeichen gehort haben und gelert sein So erfinden wir das in solchenn plagen und betrubnissen wenne und wie offt die geschcen sein kein besser radt adder trost sei dann mit besserung des lebens, zuflucht zu gotte, und auserwelten heiligen die bey got also geeret und gemechtiget sein das sie durch yr gebet solche plagen abkeren und der Christenheit hulff und gnad wol erwerben mugen besundern uber ynen allen zumeist und forderst die liebe Junckfraw Maria die unsern seligmacher zu dieser welt getragen und uns die gnad, die unser ersten eltern verloren hetten widder gefunden und gebracht hat Darum auch durch die hochwirdige botschafft des ertzengels Gabriels von got yr verkundiget wart das sie vol gnad were und die gnad bei dem herren gefunden hette von deswegen alle patriarchen unnd propheten yre zukunfft verkundiget swerlich geharret und darnach die apostel und alle heiligen gantz frolich und lieblich entpfangn haben. Und als denn yr' gnad so groß und uberflussig ist das dardurch die gemeyne heilige cristenheit und viel namkundiger sundere getröstet sein. Und sie auch so mild der gnaden ist das

sie

sie alle die der bedurffen zu sich ladt vnd spricht kummet zu mir alle die meiner begeren Ir solt erfult werden Also bedencken wir das In diesen sweren leufften vnd bekummernissen gots hulff vnd gnad die grosten trost vnd hulff, vnd die zu erwerben keyn besser und bequemer sunerin sei, wann die Jungfraw maria, der got nichts v'sagenn mag, vnd wann wir nu von all vnsern hertzen frid vnd einikeit in der heiligen Cristenheit gern seghen vnd darumb groß arbeit, mühe, cost vnd zoerung getan vnd gelidden, vnd noch na n vnserm v'mugen vnuerdrossen darzu helffen vnd rathen wolten. Das wir das bey vnsern Tagen sehē vnd leben mochten. So erkennen wir doch wol das wir des von vnsers verdienstes wegē nicht gehaben mugen, vnd darumb haben wir mit gantzer innikeit vnd grosser Zuversicht, alle vnsre synn vnd gedancken darzu gesatzt. Das wir die obgnanten Junckfrawn Marien, so wir furderst mugen geeret, gewirdiget gebeten vnd angeruffen habenn eren, wirdigen bitten und anruffen, das sie yre gewonlich mildigkeit der heiligen gemeynen Christenheit erscheynen lasse vnd yre barmhertzigen augen zu vns wende, v'füge vnd schicke Das solcher Irthum vnd Zwietracht damit wir geplagt werden gnädiglich hyngelegt vnd die gemeyne Christenheit in fryden vnd eintracht kumen bleiben vnd darinn vnserm hern ihesu xpo dienen. Lob vnd auch erwirdigkeit dester fridlicher vnnd fleissiger verkundigen mugen.

2. Auslegung vnd bedeutung der gesellschafft.

Vnd uff das daran vnser andacht vnd meynung auch zu guter ahnweisung andern leuten dester kuntlicher werd. So haben wir in dieser vorgeschriebner andacht und meinung ein cleinat lassen machen vnd angenambt zu tragen In nachgeschriebener weiß, Das wir nennen die geselschafft vnser lieben frawen. Daran vnser lieben Frawen Bild vor der Brust in eynem mahn vnd sinnen scheyne henget mit dem gruß gegrüßt seistu der werlde frawe In einem Zeichen Das wir der Gnad die wir durch sie empfangen in vnserm hertzen gedencken vnd nymer vergessen sollen, Vnd ab wol die hymelkunigin vber alle heiligen erhohet ist vnd schöner wen der mond vnd mehr' erweelt wen die sunn Doch ist sie auch dieser welte furstinne darIn sie geboren vnd vns vonn vnsern ersten eltern angesibt Des wir sie mit grosser innikeit vnd gantzer wirdikeit ermahnen das sie der welte furstinne heist vnd ist vnd dauon vns dester barmhertziger beschirme In der geselschafft sein auch premtzen die vmb den hals gehangen, dar Inn hertzen gepeiniget werden In meinung das wir vnsern frechen mut, eigen-

willen vnd wollust zwingen, vnder der mechtigen hand gots diemütigen vnd vnser hertzenn mit premtzen wahrer vnd rechtfertiger rawe, beicht vnd buß also festigen sollen Das wir gleich als ein weißse vmbefleckte quelen die vmb vnsere frawen bilde gewunden ist mit vbung der zehen gebot vnsers hern, welches die frantzen an der quelen bedeuten In eren vnd woltaet reyne und lauter zu yrem dienst vnd lobe vns schickn̄ vnd so gefunden werden Nachdem dann die mentzscheit von iugend zu sunden geneigt, vnd darzu offt mancherley bekörung den mentzschen anfallen vnd zu kummen da durch er in sunden kumpt, vnd uff erden dakegen nicht ist, das den mentzschn̄ zu seligem end also reitzet als betrachtung des schweren tods den got vmb vnsern willen gelidden hat, vnd auch gedechtniß des bittrn̄ tods den wir auch alle leiden mussen Darum haben wir des in figuren den schwann̄ vnder dem bild vnser lieben frawen hengn̄ lassen, wenn als der Schwan seinen tod zuuor weis vnd beclagt, also wyste vnd sagte vnser her' seinen Tod zuvor vns zur ahnweisung, ab wir wol die stund vnsers tods nicht wissen, vnd darumb dester sorgseltiger sein, So ist doch ahn zweiuel das wir alle sterblich, vnd von disser weldt scheiden mussen, alsdann̄ zu allen zeiten vns beicht, rew vnd buß mit recht'r vnschuld hülff vnd trost der Junckfrawen Marien gantz not ist. Darumb wir sie billichen grussen vnd anruffen, Gegrüsset seistu der weldte frawe.

3. Besliessung der vorred.

Hierumb nicht alleyne der weldte frawe Sundern auch hymelische kunnigin syh an diese vnser geselschafft die wir in deinem lob angefangen haben vnd tragen guter meinung Gib fride der gemeynen Christenheit, vns allen bekäntnis vnd besserung vnsers lebens mit wahrer rew beicht vnd buß vnd mit einem seligen end, die ewigen freud da durmit deinem sun vnserm herrn ihesu Christo dich frewest ahn ende Amen.

1. Von der stät der geselschafft.

Vnd wiewol die Junckfrow Maria in allen steten yr gnad vnd wunderwerg an manch em mentzschen beweiset hat und vns teglichs noch beweiset, yedoch so hat sie in vnser herschaft (als wir hoffenn) besundern die lobwirdige Kirche vff dem berge vor vnser alten statt Brandenburg erwelt. die der hochgebornn fürst he'r Pribislaus zeliger gedechtnis etwan der wende kunig vnser vorfarn In und zu yrem lob gebuwet da die

die hymelkunigin, furder dann anders wo yr Gnad mit vil wunderzeichen von langen iaren scheinbar vnd kuntlich gemacht hat vnd als die selbige kirche adder berg ym vrsprung vnsers fürstenthumbs, douon wir ein Marggraue zu Brandemburg vnd des heiligen Romischen reichs ertzkamerer sein vnd heissen, gelegen ist, vnd nu bei unsers hern vaters und unsern gezeitenn mit seiner vnd vnser hulff Die wirdigen vnd andechtigen vnsere lieben getrewen Er Peter Thumprobst Prior und Capittel der kirchen zu Brandenburg, die obgnte vnser lieben frawen kirche, kurtzlich zu eynem newen stiffte gemacht und dar Inn Einem probst prior und Capittel des ordẽs premonstratẽn gesatzt und bestetiget haben darumb wir die billich furder auch eren vnd also dieselben vor allen andern kirchen die in unser herschafft gelegen sein zu unser gesellschafft erwelt, und besundren außerkoren So wolten wir auch gerne souiel vns muglich das Eere lob und wirdigkeit vnser lieben frawen gemeret vnd gebreitet wurde, auch bestentlich bleibe Darum haben wir, Fürsten, Herren, Rittrñ und knechten die geselschafft mit geteilt, der von gotsgnaden ein michel teil ist, vnd vf das die bestentlich bleibe vnd von vns vnnd vnsern mitgesellen dester redlichr gehaltñ werd Derhalben haben wir nach Rate vnd ahnweisung viel frummer geistlicher und wertlicher leute die stuck und artikele begreiffen, vnd hiemit einschreiben lassen Darinn ein iglicher vnsere gute andacht erkennen, und zuuor die in der geselschafft sein adder kummen mugen, als in eyner regeln die darzu gehort sich schicken vnd die auch halten sollen vnuorbrochen ahn alle generde.

2. Wie ehr sal geborenn sein der in die geselschafft kumpt 2c.

Zum ersten mal haben wir geordnet das ein iglicher der die geselschafft entpfangñ und tragn wirt, sal eelich geboren sein von alle seynen vier anhen zu schild vnnd helm, vnd ab das landkundig nicht were So sal er dauon, vor vns adder vnser erbñ gnughafftige kuntschafft vnd beweisung bringen, ehr er die geselschafft entpfangñ und tragen mag.

3. Wieuiel ein iglicher der gesellen zu der geselschafft geben sal:

Furder mehr haben wir geordnet das ein ieglicher der in die geselschafft kumpt von stund wenn er die geselschafft entpfäht sal geben eilff reinische

nische gulden und die dem probste uff dem berge zu Brandemburg schicken adder selbst antworten vnuerzogen. Vnd sal auch geloben unser lieben Frawen in des hende, der ym die geselschafft einhenget, das er alle Stucke vnd Artickel die zu der geselschafft gehoren getreulich wil halten. Solch gelt als davon kumpt, sal der probst uff dem berge zusamen legen und wol bewahren, sich damit nach rate der die aus der geselschafft darzu geschickt sein adder werden, zu halten, als hyrnach in eynem artickel beruert wirt.

4. Wie vil die geselschafft an Gewicht haben sal:

Furbas mehr haben wir gesatzt das die geselschafft die wir vnd unser mitgesellen tragen, sal am geringsten haben und wegen eine feine marg silbers, und die sal auch bleiben, an der weiß und form, als wir die von anbegynn ausgelegt und gemacht haben, Also das niemant die In anderer gestalt weiß adder form adder mit besunder beyzeichen machen laß adder trage.

5. Wenn vnd wo die gesellen die geselschafft tragen sollen.

Furder sal ein iglicher der in der geselschafft ist, wenn vnd wie offt er In vnsern hoff adder anderßwo zu herren tägen, frölicheiten vnd in gemeyne Capitulen die in der geselschafft gehalten werden kumpt, auch alle unser liebn frawn tag vnd alle sampstag die geselschafft offinbar vnd vnverdeckt tragen, Wer es das yemands vseumte vnd nichte thete, wie offt das er das verbricht, vnd des von seynenn mitgesellen beredt und leßig gefunden wirt, so offt sal er seynen mitgesellen die yne darum angeredt, ahne widdersprach acht pfennige geben, der selb dann der die acht pfennige entpfangen sal die furder armen leuten geben.

6. Was gebets ein iglicher in der geselschaft thun sal.

Wir haben furder geordnet das ein ieglicher in der geselschafft, sal alle tag zu eren und wirdigkeit der Junckfrawenn marien, sprechen vnd beten das newe gebeth das zu der geselschafft gemacht ist, das anhebt, Mutter aller seligkeit 2c. Adder aber das nicht kond, So sal er betenn Sieben pater noster vnd sieben Ave maria Mochte er adder kunde

kunde diesse gebeth nicht gethun so sal er welchs tages er der gebet nicht entete, geben armen leuten siebenn pfenning vnd welcherley er eins thut vnd wie offt So verdient er vierzig taghe ablaßs die der erwirdig In got vater Er Stephan Bischoff zu Brandenburg darzu gegeben vnd bestetigt hat.

7. Welcherley weyß er vnser liebñ frauñ tag feyern vnd vasten sal.

Furbas mehr sal ein iglichr mitgesel alle fest vnser lieben frawen wo vnd weñ die in dem iare kumen mit gantzer Innigkeit vnd wirdigkeit eren vnd feyrn vnnd alle werglichen that, vermeiden. Vnd sall denn zu den ampten die in der kirchenn gescheen fleissig kummen, vnd darInn sich als ein getrewer diener vnser liebenn frauenn mit Innigkeit vnd andacht beweisen, Er sal auch alle der feste abende eerlich vasten vnd der In keyn weiß vbrechn.

8. Wie sich ein iglicher In der gesellschaft halten sal, vnd aber das nicht tete wie er darumb gestrafft werd 2c.

Wir haben furder gestifftet, das ein iglicher in der geselschafft sich sal nach seynem state eerlich vnd fuglich halten und sich vor offinbaver, schämlicher und schäntlicher missetat vnfug vnd vneere trewlich bewaren Er sal auch pflichtig sein aber vm sachen die sein ere anruren von yemands beredet adder vor der geselschafft verschuldñ adder beclagt wurde Das er vor der geselschafft, adder vor den, die von der geselschafft darzu geschickt, seyne Eere zuuerantwurtñ Gescheges aber des got nichten welle, Das yemands in der geselschafft widder ere thete vnd des vor der gesellschafft adder Inn ander gerichten vberwunnen wurde Adder geschegs das er von yemands zu den eren vor der geselschafft geschulden, geheißen adder beclagt wurde, vnd zu den Eeren nach der weisze als hye nach geschrieben ist antwurds adder außrichtung wegerte adder geschege das, das die sachen damit er widder ere thete, also landkundig vnd offinbar weren das er der mit nichte versachen adder die rechtfertigen möchte der sal der geselschafft verfallen, und gentzlich In seynem lebend vnd tode daraus gesundert furder die geselschafft die er getragen, ablegen und sie furder zutragen unwirdig sein Ab er aber das, aus vber-

 mut

mut nicht thete So sollen die mitgesellen ym die abnehmen, vnd dem probste vff dem berge zu Brandenburg senden die der probst zu sich nehmen vnd dar mit thun sall als hirnach geschrieben wirt.

9. Wie ein gesell den andern verantwurten sal.

Wir setzen auch, Als geschege das yemands von der geselschafft hörte das sein mitgeselle zu den eren geschulden wurd, so sal er yme zum besten verantwurten byß an yn, vnd von stund demselben mitgesellen der zu den eren geschulten wirt, wißlich thun, wenn und worum er zu den eren geschulden wirt, so sal sich denn der beschuldigte selbst zu den eren verantworten vnd rechtfertigen das solche schult vff ym nicht verbleibe.

10. Von den frawen in der geselschafft.

Wir erleuben auch vnd zustaten das ein iglich furst, her Ritter vnd knecht der in der geselschafft ist adder kummen wirt seyne eeliche haußfrauen in geselschafft mitte entpfangen vnd nehmen mag, vnd die sollen auch die geselschaft tragen, gebeth adder almusen darzu thun, wie vor geschrieben ist Es were dann das etliche frawen von altersswegen adder ander redlicher sachenn halben der nicht tragen und doch das Gebeth sprechen adder almusen geben wolten, des sollen sie macht haben, Vnd die frawē die mit yrem herren In die gesellschaft kummen sollen zum ersten eynen Reinischen gulden dem probste vff dem berge geben vnnd bey yrem lebende nicht mehr, sie wellen denn das von gutem willen thun, Welcher edlen frawen wir aber die geselschafft geben werden die mit mit yrem herren darInn nicht gekummen die sal so viel geben als der andrn gesellen eyner gegeben hat.

11. Von den Capiteln die In der geselschafft gehalten werdē.

Wann vnd zu welcher zeit wir mit vnsern mitgesellen furbas gemeyn Capittel adder sust besunder sprach adder handlunge haben adder halten, so sal ein iglicher was also gehandelt wirt bei sich behalten vnd bleiben lassen heimlich vnd das frembden leuten die in der geselschafft nicht sein keynerley weiß offinbaren adder melden, Es wurd ym dann besundern von der geselschafft beuolen adder erlaubt.

12. Wes

12. Wes die herrschafft schuldig ist den mitgesellen zu thun.

Wir haben auch vor vns vnd vnser erben gelobt vnd geredt geloben vnd reden In krafft dieses brieves ob es geschege dar got vor sei das yemands von denen die in der gesellschafft seyn adder kumen werden zu solcher not adder armut keme das er sich von seynen renten zinsen und gütern nicht enthalten, adder redliche leidsnahrung gehaben möchte, So willen vnd sollen wir vnd vnser erben dem der also benotigt wurd, Ist er ein ritter selb dritte Ist er ein knecht selbander, In vnserm houe adder vnser Schlosser eynem halten vnd dieweil er lebt redliche zimliche notturfft gebñ.

13. Von gotsdienst der teglich geschiet von der gesellschafft wegen.

Furder haben wir zu lob vnd zu wirdigkeit vnser lieben frawen vnd furbaß vnsern eltern, vns vnd vnsern mitgesellen zu troste vnd selikeit gestifftet gemacht vnd geordnet das der propbst Prior vnd Capittel vff dem gnanten berge schicken vnd bestellen sollen das alle tag in vnser lieben frawen cappellen Metten prime Tertzie sexte none Vesper Complete vnd dar zu alle morgen vnser lieben frawen messe vnd alle abend nach der Complete vnser lieben frawen lob gesungen werd In der der messen sal der priester der die singet, mit gantzen fleiß vnd trewñ bitten, vor eintracht der heiligen cristenheit vor vns, vnser herrschafft, vnd furbas vor alle die in unser gesellschafft noch ym leben, vnd auch die darInn verstorben sein Auch dar zu bitten, vor vnser vnd all vnser mitgesellen eltern vff das die mutter der barmhertzigkeit derster gnedichlicher hir Im leben vnd auch ym Todt sich an vns erzeige.

14. Von den die in der gesellschafft versterbñ.

So wir dann alle sterblich sein vnd von dieser welte scheiden müssen, So haben wir weiter gesatzt geordnet vnd gemacht wann vnd welche zeit ymands der gesellen vonn dieser gesellschafft, er sei In vnsern adder ander hern land besessen, verstirbt der sal mit synen frunden bestellen, das, so baldt als er verscheiden ist, die gesellschafft die er getraget hat, adder ab einiche frawe der bei yrem leben nicht getragen hette

darfür

darfür eine feyne marg silbers adder souiel gelds, als die wirdig ist dem probste vff dem berge zu Brandemburg geantwordt vnd dar bei wißlich getan werd an welchem tag er adder sie vstorbñ sein Er sal auch mit seynen frunden verschaffen das seyne wapen vnd dar bei die geselschafft, so schier das gescheen mag gemahlt vnd darzu Jar vnd tag wann er verscheiden ist daran geschrieben werd vnd das sollen seyne frund dem probste schicken der das furder zu seyner gedächtniß In die kirchen zu vnser lieben frawñ cappellen sal lassen hengen.

15. Wie vnd wenn man den vstorben gesellen begeen sal.

Item wenn dem probste vff dem berge des verstorben gesellen vorscheidens verkündigt vnd die geselschafft geantwordt ist, vnd ist er In vnserm land, adder in den landern, Braunswig, Luneburg, Magdeburg, Meckelnburg, anhald, adder lausitz besessen, So sal er ahn verzug schreiben allen fürstenn hern Rittern vnd knechten die In den vorgeschrieben landen die geselschafft haben vnd yne verkündigen wenn vnd welche zeit yr mitgeselle verstorben ist, vnd sal yne darzu bescheiden redliche zeit vnd eynen gewissen tag wann er mit seynen mitthern den verstorbnen gesellen mit vigilien vnd selmessen begeen will zu solchem begengniß sal ein iglicher, der in der gesellschafft ist personlich kummen, adder ab das von erhafftiger not wegen nicht gesein kond, denen erbarn fur sich mit seynem briue darInn er seyne not do yne verhindert benne vnd anzeige schickñ Vnd Inn vnd zu der begengniß seyn opfer thun vnd fleissig vor den verstorbnen seynen mittegesellen bitten.

Were aber das eyniger der gesellen In francken, beyern, swaben, österreich, meissen, adder duringen, adder einiche frau in der geselschafft besessen were, todshalben abgieng, So schier dem probste die geselschafft die er adder sie getragñ hetten, geantwurdt wurd, So sollen denn probst Prior vnd Capitel, den adder die, mit vigilien vnd selmessen begehñ so sie wirdigst kunnen vnd mugen Doch so schier darnach die mitgesellen in andern verschriebnen gedechtnissen zum ersten zusamen kumen So sal man den addr die mitbegehñ, gleich dem darumb die mitgesellen gesamelt sein.

Gescheges aber das wir adder yemands vnser mitgesellen zu solchenn vorgeschriebenen begengnissen adder zu andern gemeynen Capiteln

teln vor botschafft wurden und fürsetzlich nichten keme Adder aber nicht kommen kunde einen erbaren mit seynem briue nicht schickte, der sal so offt als daran seumig wirt dem gotshauß vff unser lieben frawen berge zu Brandemburg eyne feyne margk silbers vfallen sein, gebñ vnd bezalen, Vnd wegerte er sich des zu thune vnd wurd des vor der geselschafft beredt vnd vberwunnen so sal er der geselschafft vfallen vnd beraubt sein.

Alle die gesellen adder die yren die also zu der begengniß adder andern gemeynen Capitteln kummen adder geschickt werden, sollen auch unserm vnd alle vnser mitgesellen sicherem veiligem geleite sein von yrem hauß biß widder darInn, vnd were das yemands wer der were, einigen vnser mitgesellen bynnen der zeit adder vff dem wege da er zu der geselschafft fure beschedigen greiffen adder vahen wurd Dem wellen wir vnd all vnser mitgesellen beistẽn vnd keinerley weiß verlassen so lang das er widder loß vnd ym sein schad den er dauon hat verbüsset werde.

16. Wenn und wie man alle verstorben gesellen begehen sal.

Es sollen auch der probst Prior vnd Capittel vff vnser lieben frawen berge alle tag wenn sie selmeß singn eyne besundre Collecten vor die gesellen die aus der geselschaft verscheiden sein in der messen lesen vnd darzu alle Jar zu vier gezeiten Nemlich alle mitwochen In den quatemrn mit vigilien und des dornstages mit selmessen vnd Commendatien andechtiglich vnd so sie wirdig ist kunnen vnnd mugen begehen alle, die in der geselschaft verstorben sein vnd yrer eltern vnd sollen yre nahmen stat, vnd wird offinbar dem volke verkundigen und yne gnad kegen got bitten als weiß vnd gewonheit ist In der heiligenn cristenheit.

17. Vff wene des verstorben geselschafft erbē sal.

Wann auch des verstorbnen geselschafft dem probste vff dem berge geantwurt vnd seyne begengniß gescheen ist, hat denn der vstorbne geselle Süne Brudere adder vettern nach sich gelassñ So mag der elteste Sun ab er wil adder zu der geselschafft zimlich ist die geselschafft die sein vater getragen hat widder losen von dem probste vor eyne feyne mrg silbers, vnd sal darzu gebē eynen gulden vnd nicht mehr, Er wold denn mit guten willen mehr gebenn Wolte auch der eltest Sun die geselschafft nicht haben adder loßen, adder were er darzu nicht bequem So mag

der ander bruder der nechst ym vnd darzu zymlich ist In vorgeschriebner weiß losen haben vnd tragen Ab aber der verstorben geselle keyne Sune liesse, adder sie die geselschafft nicht haben wolten add' darzu nicht zymlich weren So mag sein nechster vetter der darzu tüchtig ist die In vorgeschriebner weiß wol lösen haben vnd tragen.

18. Von beweisung der erbgeschicht in d' geselschafft.

Und das furdet zwischen brudern vnd andern frmden, vnd zwischen yne vnd dem probste vff dem berge kein vnwille adder zwytracht von der vstorbē geselschafft sich erheb adder bleib So haben wir geordnet vnd gemacht das der, dem die geselschafft nach vorgeschriebner maß geburt Ist er in vnser land geborn addr' besessen, sal er von vns adder vnsen erben Ist er auch In eins andern fursten land besessen, von seynem erbherren Inn dreyen mānten nach tode des vstorben gesellen dem probste vff dem berge briefliche beweisung bringen das er zu der geselschaft der nechste vnd auch zimlich vnd von dem hern zugelassē sei So sal ym der probst die geselschafft zu losende thun als vorgeschriebē ist Wer aber solche beweisung in Zeit und maß wie oberurt nicht brechte, dem sal der probst die geselschafft nicht folgen lassen.

19. Von dem geld das zu der geselschafft gegeben wird.

Wie viel der geselschafftē, adder darvor gelds dem probste geantwurt worden, die, adder das sal er zusammen legen vnd treulich wol bewahrenn vnd sal das nach rath der die von der geselschafft darzu geschickt sein addr werden an Jerliche rente addr zinse legen vnd darmit gots vnd der Junckfrawē Marien seyner mutter dienst vnd lob bessern vnd stercke.

20. Von der Bruderschafft mit dem Closter vff dem berg zu Brandenburg.

Uns vnd alle vnsern mitgesellen haben auch die gnanten probst prior vnd Capitel vor sich vnd alle yre nachkumen geredt gelobt vnd verbriefft das sie alle vorgeschrieben stuck punct vnd artikel wie die yne In diesem briue geschrieben sein, stett, vest vnd vnverbrochen halten sollen

vnd

vnd wellen Sie haben auch vns vnd alle vnser mitgesellen In yre besundre bruderschafft genumen vnd entpfangñ Also das wir Jm leben vnd im tode theilhafftig sein vnd werden sollen aller guten werck die sie thun, an beten vasten vnd casteien darumb wir vnd all vnser mitgesellen yne widderumb geredt vnd gelobt habn reden vnd geloben Jn diessem brive das wir sollen vnd wellen, sämptlich vnnd besundern ein jeglicher nach seiner mugliKeit das vorbestimbte gotshaus vnser lieben frawen probst prior vnd Capittel, yre diener vndersassen Rente zinße guter Eere, freiheit gerechtikeit vnd alle zu behorung treulich vertedingen beschutzen vnd beschirmen ahne arg vnd geuerd.

21. Von den schäffern vnd scheideß leutñ.

Das nun alle vorgeschrieben stuck punct und artikel stete veste vnd vnuerbrochen, auch ab wes verbrochenn gestrafft vnd gerechtfertigt wurd So hat die gemeyne geselschafft vns vnd vnser erben zu einem obmann, vnd zu schaffern vnd scheideßleuten, Die wolgebornn gestrengen vnd tuchtigenn Albrechten Grauen zu Lyndaw vnd möckern vnd herrn zu Ruppyn, hrn Mathias von Bredaw den eltern, In der newn marck Bernd von der schulemburg In der alten marck, vnd vicken von bulaw Im land zu luneburg Rittere, gekorn vnd gesucht Nach deren Rate vnd wissenschafft der probst vff dem berge solch geld als ym von der geselschafft wirt anlegen, Auch ab yn vnd sein Capittel ymands vergeweldigen addr verunrechten wurd hulffe vnd Rat bey yme zu suchen, Vnd auch ab ymands einichen mitgesellen zu den eren beclagen wold, sal das von yne fordern.

22. Von dem gericht in der geselschafft.

Begeb sich das yemands, vnser mitgesellen vor vnser geselschafft zu den eren beclagen adder ansprächen wold der sal das bringen vnd fordern an den scheideßleuten, die aus der geselschafft darzu geschickt sein, die sollen dem beclagten redliche zeit vnd stete nach gelegenheit der personen vnd sachen mit aufrichtigem zimlichem gewontlichm̃ geleite, vor sich bescheiden vnd darzu wißlich thun, von wem vnd worumb her beclagt wirt, So sal der beclagte vorkumen vnd sein ere ab er mag vnd kan verantwurten. Kem er zu dem ersten tag nicht, so sollen sie yne bescheiden zu dem andern tag, vnd ab er denn auch nicht keme zu dem dritten, vnd

ab er denn nicht furken, so sollen sie ym die gesellschafft verteylen, Er hette dann redlich vnd muglich helffered die er In vier wochen nach dem dritten tag negigst folgende furbringen vnd beweisen vnd furder sein ere verantwurten sal Tete er des nicht so sollen die scheidesleute yne gentzlichen von der gesellschafft vertreiben Mochten aber sie sich In der entscheidung nicht vertragen, so sollen sie die sachen an vns adder vnser erbenn bringen, wes wir denn adder vnser erbn darInn erkennen dar sal das bei bleibn, Der cleger sal auch den die von der gesellschafft darzu geschickt sein vnd wann sie von der sachen wegen züsamen kumen redliche ausrichtung thun vnd bestellen an futer vnd kost So offt des von noten ist zu welcher zeit auch der schaffer vnd scheideßleut eyner von tods wegen abgeht da got lang vor sei So sollen wir vnd vnser erben mit räte vnd wissen der anderen schaffer vnd scheideßleute, zu seyner begengniß eynen aus gesellschafft widder kiesen vnd setzen.

23. Besliesung der obgeschrieben gesetz.

Alle diese vorgeschrieben stucke puncte vnd artickel haben wir ob guter Fridrich Marggraue zu Brandenburg vnd burggrave zu Nurmberg, deßgleichen auch diese nachgeschriebene fursten hern Grauen Ritter knechte Furstinne vnd frawen die mit vns gesellschafft haben die hirnach ein iglicher nach seynem stat vnd wirden auch In welchem land er besessen ist namkundig geschriebn staen, vnser lieben frawn geredt vnd gelobt. Gereden vnd globen In krafft dieses brieues stete vest vnd vnuerbrochen zu halten Geschehen Gegebn vnd mit vnserm Majesteten Ingesigil vsigilt Nach Christi geburt Tausend vierhundert dar nach ym drei und uierzigsten Jar an vnser lieben frawen tag Assumptionis.

Hirnach folgt das new gebeth das zu der gesellschafft gemacht ist.

Mutter aller selikeit
dich lobt die christenheit
Bey pflicht zu allen stundñ
doch zü furder Innigkeit
zu deines lobes wirdigkeit
hab ich mich verbundñ.

Ahne sorg ich nicht en bin
das hertze mut vnd synn
gar Cleyne Es Bedencken
Wo wenn vnd zu welcher stund
Gedancken wercke vnd mund
Mich an deynem lobe krencken.

Reyne

Reyne Junckfraw so ist not
das dein vbrig gut berot
auch mir solche gnad gebe
das mit rewe beicht vnd buß
Meins selbst wut ich prewtzen muß
Vnd so In Hulden lebe.

Insonderheit bitt ich von dir
Welst solche gnade geben mir
das ich In meynen Jaren
In rechtem eddelinstat
Ahne schand vnd missetat
Mit eren muge fahren.

An der letzten stunde mein
Wann ich leid schmertz vnde pein
vnd von hynnen verscheide
Thu mir dann maria trost
das ich selig gantz erlost
Farh hin In deim geleyde. Amen.

Nahmen vnd wirdikeit der gesellen die Nun dar Inn sein In der alten vnd newen marck zu Brandemburg.

Friedrich, Albrecht, Friedrich } Marggrauf zu Brandemburg, Burggfen zu Nurmbrg.
Albrecht Graff zu lindow Hr. zu Ruppin.
Busso gans Hr zu putlist
Hans von waldaw.
Bernd Werner, vnd Busso von der schulenburg
Mattis von Jagow.
Achim kerkew
Rudolff schenck
Gunter von Bertenßleue
Mattis von Bredow der alt
Hans vnd Hasso von Bredow
Ludloff vnd Busse von aluensleue
Mattis Bernd vnd Werner von der schulemburg
Werner schenck
Werner von aluensleue
Offe vnd Otte von slieben
Arnd Crummensehe
Ebel von arnym
Gabel von burgstorff
Heinrich von slaberndorff
Claws spar
Hr Eckart krummenteich
Hennig quast Fridich von hoym
Veid von schonemborne
Gebhart von bodenteich
Baltzar von Vchtenhagen
Diedrich von Bochow
Mang Marschalck des heiligen Romischen Reichs Ritter von Hochenreichen
Er Jorg von pappenheim Erbmarschalk des R. R.
Jorg von sliwen.

Im Land zu Braunschweig Luneburg, Magdeburg, Anhalt vnnd Lausitz.

Otto Wilhelm der ald, Wilhelm der Jung und Friderich, Herzogn zu Brunswig vnd Luneburg rc.
Heinrich Hertzog zu meckelnburg
Adolff Albrecht vnd Jorg fürstn zu anhalt
Bernd Graue zu regenstein
Gunter Graue zu mülingn hr zu Baarby
Fridrich vnd wentzlaw von byberstein Freyherrn rc.

Han Her von Torgaw
Reinhart hr zu kotbuß
Vicke von bulow
Johann Viereck
Heinrich Knutt
Ludolff von veltem
Gerhart von Wustraw
Alverich von Bodenteich

In Osterreich Beyern francken Schabñ duringen und meyssen.

Ludwig Graf zu Castel
Cunrat Her zu Weinsprg
Fridrich Hrrtzog zu sachssen rc.
Johan Her zu heideck

Rittere:
Conrat Marschalk von pappenheim
Wilhelm vnd Olrich von Rechperg
Fridrich von gruben
Wygoleyß gradner
Hans von parsperg
Sigmund von Lentersheim
Eberhart von rorensteet
Jorg von ehenhaim
Hans Drugses von stetten

Heinrich vnd Curd Marschalk von pappenheim
Hans aberdar von seckendorff
Hans von absberg Wilhelm furs

Jorg Mertin vnd Wilhelm von wallenfels
Carl von tungen
Hans von rotenhain
Hans von Wallenrod
Hans vnd Sigmund von sensen
Albrecht von Gych Mertin furtsch
Heintz von auffseß
Wilhelm schenck von geyer
Hans von seckendorff zu kratendorff
Christoff Dornheymer
Heintz von Egloffstein
Bruno edler Her zu quernfurd
Heinrich von bunaw
Dierich von miltitz Otto spiegel
Heintze vnd Nickel pflug
Jorg von bambrg Heinrich spiegel
Luthart Hr zu kotbuß Cune barsste
Lutz v. Rotenhein Egbrecht v. moren
Heintz

Heintz von kynſperg
Joachim von greiſſemberg
Weichart von Bredaw, cum vxore
Mattys von Bredaw der Jungr
Baltzar von ſliuen
Graff Gunter von Mansfeld
Graf Gunter von beichlingen

Die Fürſtin vnd frawñ die in der geſelſchafft ſein.

Katerina marggrafin zu Brandemburg
Margareta hertzogin zu beyern
Hedwig fürſtin zu anhalt
Margareta Grafin zu Ruppin
Margareta Burggfin zu Nürmbrg geborn von Badaw
Margareta Grafin zu Manſſelt
Metz fraw von byberſtein
Ilſe vnd kuncke von der ſchulemburg
Sophia von Bredaw
Elß vnd anna von aluensleue
Sibilla von Wallenrod
Elß von Wallenſe's
Sophia vnd Ermgart von dr ſchulemburg
Margareta von Pochaw
Sophia von Bardensleue
Chriſtina von Jagow
Sophia von Burſtorff
Anna von Torgaw
Sophia Hennig quaſts vxores
Chriſtina Hr vicken von buſow

Dis alles iſt bey Margraue Fridrichs des Eltern und Churfürſten ꝛc. zeyten geſchehñ.

p: 1443:

II. Decretum Joachimi I. Electoris & Marchionis Brandenburgici & Alberti fratris pro receptione Sixti Oelhafii, & Annæ Pfintzingiæ in dictam Sodalitatem d. d. Coloniæ ad Spreham die Martini A. 1505.

Von Gotts wir Joachim des heiligen Römiſ. Reichs Ertz-Camerer Churfürſt und Albrecht gebrüder Marggrauen zu Brandenburg zu Stettin Pomern der Caſſuben und Wenden Hertzogen Burggrauen in Nürnberg vnd Fürſten zu Rügen bekennen und thun kunt offentlich mit dieſem brive vor uns unſer erbenn vnd Nachkomen vnd ſunſt vor allermenigelich die in ſehen hörn oder leſen das wir auff fleiſſig vnd betlich erſuchen Unſers lieben beſundern Sixten Oelhaſen Römiſcher Königlicher Majeſtät Secretarien auch ſonderlich inn anſehung der manigfeltigen trewen vnd ſcheinbaren dienſt, die er vnd vnſer herſchafft offtmals bey derſelbtigen Konigelichen Maieſtet am Hofe getan hat vnd förder
woll

woll thun kan und mag Im vnd seiner Ehlichen haussfrawen die baide Elich vnd recht von allen Iren vier Anen/ zu Schild vnnd Helm geborn, auch vor vnns eins Erbarn Weesens vnnd Herkommens zu sein berumbt worden, wissentlich vnnd gegenwirttigilich vergunt vnd erlaubt haben das sy die gesellschafft so etwan durch vnsern vorfarn vnnd vettern Marggrauen Friderichen den Eltern Churfürsten ꝛc. seliger gedechtniß zu Lob vnd eren der Himmelkonigin vnnd Junckfrawen Marien auch derhalben ein löbliche stifftung auff dem Berg vor vnnser alten Stat Branndenburg ausgesatzt vnnd verordennt ist anzunemen vnnd zu tragen vergunen vnd erlauben Inen auch die dermaßen zu tragen vnnd es damit zu halten vnnd zu geparen zu dem dienst Gotts Marie seiner gebererin vnnd sunst zu vnnd sunst zu vnnd bey allen anndern erlichen sachen vnd frewden wie dann die auffsatzung vnd ordenung gedachter gesellschafft soliches olerlich begreift vnnd innheldet Inn vnnd mit Crafft diz briues geurkunt mit vnserm Marggrauen Joachims Kurfürstlichem anhangenden Inngesigl versigelt und geben zu Coln an der Sprew am tag Martini nach Christi geburt im funffzehenhunderten vnd funfften Jar.

Ex Commissione Domini Joachimi Principis Electoris
Johann Schrager Secretarius ßzt.

III. Apocha Præpositi & Capituli Præmonstratensis in Monte sacro ad vetus Brandenburgum, quo testantur sibi ex legibus Sodalitatis satisfactum esse a Sixto Oelhafenio post obitum conjugis suæ prioris Annæ Pfinzingiæ d. d. die post Judica A. 1507.

Wy Valentinus Schuler Prawest Andreas Morinck Prior vnd gantze Capitel, up vnser lyven frawen Bergh vor Brandenborgh. Bekenen openbar vor vnns vnd vnse Nhakamen vnd dhan kunth allsweme mit dissen brive, die ihn sihen adder horen leesen, dat vnns up hutiden dato durch vnsers Gnedigsten vnd Gnedigen herrn Secretarien vnd Camer Schriuer den Ernbarn vnd vesten Johann Schragen von wegen vnd an stadt des Eddelen vnd hochgeachten, Herrn Sixten Oelhafens Romischer Koniglicher Maiestett Secretarien vnd syner erligen husfrawen seligen whiw in Godt verstorven elf gulden Rinsch, gütlichen vnd

vnd to dancke vehgerichtet sindt, der geselschap haluen, dar mede gedachte vnse gnedigste vnd Gudige Herrn, genannden Herrn Sixten vnd syne vorstoruen Fraw hirvor, uth gnedigen gemuth vnd willen begauet haben, welker geselschap, nha afganck Her Sixten Frawen, in vnse gadenschuß vnd Bruderschap nha Lude der uthsettnige gefallen gewest, vnd doch wedderumb von Her Sixten up der Herrschafft vorgunst vnd begnadinge to dragende angenhamen, also dat wy bestympte Sumen Elffen Gulden, vor alle vnsers Closters gerechticheit Inlevkunge orher beyder nhamen vor ledigungk der geselschap, vnd ewygen gedechtniß tor gnüge angenhamen hebben. Seggen hierup denselbigen Herrn Sixten Oelhafen vnd syne eruen desses bauen berürden gantz vnd gar quidt, leddich vnd loß, in Crafft desses briues, doch schellidt nach Her Sixten vorsteruen, mit derselbigen geselschap geholden werden, nha bestedigunk der uthsettinge vnd ordnungck wo bauensteytt. To orkundt hebben wy vnser praweßtien Ingesegell, des wyrns hivaln so svanpt gedrucken vnder up dessen vnsern apenbrieff laten drucken, nha Christi gebordt veffteinhundert im Souenden Jare diesen dages nha Judica.

IV. Ecloga ex D. Viti Hosmanni brevi descriptione ecclesiæ collegiatæ St. Gumperti in civitate Onoldinà edita ibidem A. 1612. in 4to.

Von der Ritter Brüderschafft der Jungfrawen Marien, zum Schwanen, in S. Georgen Capellen bey dem Stifft alhier.

Diese stattliche Stifftung, dergleichen balden keine zu finden, daß so viel Fürsten, Grafen, Herrn, Ritter und Edel, Manns- und Weibs-Personen, über 300. darzu gestifftet, hat ihren Anfang genommen, unter Herrn Marggraf Fridrichen von Brandenbürg, Churfürsten, den man sonsten Marchionem ferreis dentibus genannt, so A. 1471. am Tag S. Scholasticæ 10. Februarii verstorben. Den Altar in solcher Capellen, so noch vorhanden, hat Marggraf Albrecht Churfürst, sonsten Achilles Germanicus genannt, des vorigen Bruder machen lassen, an welchem Ihr Churfürstliche Gnaden samt andern Gemahlin, der Hertzogin von Sachsen, zu befinden.

Das insigne solcher Gesellschafft, wie noch allenthalben im Stifft zu sehen, ist gewest ein gülden Halsband, unten an statt des

Kleinods der Jungfrawen Mariq Brustbild mit dem Kind, uf einen halben Mond, und darunter der Schwan, in einem runden weissen Bausch, solcher Mitstiffter Schild sind meistentheils A. 1610. noch vorhanden gewest, biß uf Ihr F. G. Befehl die Kirch renovirt worden, da dann derselben viel altershalben Schaden genommen, was aber in der Ritter-Capellen vorhanden, ist derselben noch eine ziemliche Anzahl, neben viel Rittern die in den Wänden erhebte schöne Stein haben, unversehrt zu befinden.

Mit solcher Stifftung ist es also hergangen, daß ein ewig Licht in solcher Capellen gewest, darinn alle Tag auf S. Georgen-Altar ein Meß gelesen worden, dazu der Dechant und das Capittel vier Priester jährlichen an S. Walburgen Tag verordnet, auf S. Georgen, der drey Frauen, als præsentationis, conceptionis, & septem gaudiorum, des Altars und der Capellen Weihung-Tagen, hat man ein Meß in mensuris, wie man es damal genannt, gesungen, oder sonsten löblich verrichtet, wofern uf andern Altaren kein Patron oder Kirchwey zu celebriren gewest.

Zu den vier Quatembern, da man zu vorn der Ritterbrüderschafft-Begängniß von der Cantzel sowol im Stifft als der Pfarr-Kirchen verkündiget, ist den Abend davor der Lebendigen und Todten Begängniß von der Priesterschafft des Stiffts, und dem Stadtpfarrer mit einer Vigili cum novem lectionibus & placebo, des folgenden Tags unter der andern Frühmeß mit einer Seelmeß gehalten worden, dazu man ministriret und geopffert, auch dem Vicarier dieser Capellen, wegen der Verkündigung, das halbe Opffer, zu gewarten gehabt, nach laut eines Briefs den Ludwig von Eyb zu Eyburg, Ritter und Land-Richter, dann Georg von Zedwitz, Ritter Marschalck und Amptman zu Windspach, als dieser Gesellschafft Vorweiser darüber, mit Confirmation Herrn Marggraf Friedrichs und Einwilligung des Capittels de anno 1498. Mittwoch nach Mariæ Liechtmeß ufgericht. Damit aber der Christliche Leser spüren mög, wie diese Stifftung Fürsten, Grafen, Herrn, Ritter und vom Adel, Manns- und Weibs-Personen vor Jahren ein sonder Eifer gewest, als hab ich solche Verzeichniß der Personen, wie sie mir zum Theil originaliter, vollkömmlich aber von einem guten Freund, communicirt, und alle Quatember vor der Meß offentlich von der Cantzel verlesen worden, hiebey setzen wollen, daraus man finden wird, daß 11. Fürsten, 10. Grafen, 4. Herrn, 69. Ritter,

114. von Adel, 1. Priester, 13. Fürstin, 1. Gräfin, 4. Freyen, 105. Adeliche Weibs-Personen, in allen 334. Personen von Anno 1472. biß 1554, ungefehr da bald hernach die Reformation vorgangen, dazu gestifftet, dergleichen Fundationes, so viel vornehmer Leut, man kaum in so kurtzer Zeit an andern Orten finden wird, die Verlesung ist also hergangen, erstlich:

Vermahnung an das Volck:

Als ihr nun versammlet seyd in dem Dienst GOttes, so laßt uns bitten für die Lebendigen und für die Todten, die meinem Würdigen Herrn Dechant und andern meinen Herren befohlen seyn, in unser Gebeth, daß denen Lebendigen der allmächtig GOtt woll verleyhen ihre Seelen Seeligkeit, denen Verstorbenen aber die ewige Freud und Seeligkeit, und insonderheit verkünd ich euch, daß man nächten mit gesungener Vigili, und heut mit den H. Ampten der Seelmessen gesungen und gelesen begehet, die Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürsten und Fürstin, auch die Grafen, Herrn, Ritter, Edelknechte, Mann und Frauen, die verstorben sind aus der löblichen Gesellschafft der Hochgebärerin Unsers HErrn JEsu Christi, und Jungfraw Maria, wie hernach folget.

Im ersten gedenckt des Durchleuchtigen, Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Friederichen von GOttes Gnaden, Marggrafen zu Brandenburg, Churfürsten, welcher Anno 1471. an S. Scholasticæ Tag verstorben, und diese unser lieben Frauen Gesellschafft aufgesetzt, und darzu ein Stifft uf unser lieben Frauen zu Brandenburg gestifft hat, daselbst thut man die Brüderschafft derselben Gesellschafft begehen.

Gedencket auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Friederichen des Jüngern, und Herrn Johausen, geborner Marggrafen zu Brandenburg, 2c. Churfürsten seeliger Gedächtniß, der diese Stifftung mit sammt der Ritterlichen Gesellschafft zu Mehrung Göttliches Dienstes, auch zu Trost und Hülff der lieben Seelen, aus der gedachten Gesellschafft hie im Stifft S. Gumprechts vorgenommen und gestifftet hat, ein einige Meß in der Ritter-Capellen, die in der Ehre der Jungfrau Maria, und S. Georgen des H. Martyrers geweyhet ist, darinn dann jetzt und alle Quatember hinfüro zu ewigen Zeiten das heilig würdig Ampt, der Seelmessen gehalten wird und gehalten soll

werden uff Mitwochs zu Nachts mit gesungenen Vigilien, und darnach uff den Domerstag zu der andern Frühmeß, mit dem H. Ampt der Seelmeß gesungen und gelesen, zu Hülff und Trost allen den Seelen, die aus der gedachten Rittergesellschafft verschieden seyn, der Gedächtniß dann heut und jetzund geschicht, begangen und gehalten wird. Er ist gestorben zu Franckfort am Mayn, am Samstag vor dem Sonntag Judica in der Fasten, den 11. Martii A. 1486. als man Kayser Maximilianum hochlöblicher Gedächtniß erwehlet.

Gedencket auch des hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Sigmunden, Marggrafen zu Brandenburg, 2c. so A. 1495. Donnerstag nach Matthias Tag des heiligen 12. Botten allhier zu Onoltzbach verschieden.

Gedencket auch des Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Johansen, Marggrafen zu Brandenburg, 2c. Churfürsten, so im 1499. Jahr zu Arnberg in der Marck verschieden.

Gedencket auch des Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Sigismunden, Hertzogen in Obern- und Nieder-Bayern, Pfaltzgrafen bey Rhein, so im 1501. Jahr ist gestorben.

Gedencket auch um GOttes willen, des Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Casimir, Marggrafen zu Brandenburg 2c. welcher Anno Christi 1527. als er in einer Kriegs-Rüstung wider unsers Christlichen Glaubens Erb-Feind dem Türcken ist gezogen, in Ofen zu Ungarn an S. Matthias-Tag des H. zwölff Botten und Evangelisten ist verschieden.

Gedencket auch des Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Friedrichen, Marggrafen zu Brandenburg, 2c. so im 1536. Jahr Mittwochs nach dem Sonntag Judica den 4. Aprilis, zu Onoltzbach verschieden.

Gedencket auch des Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Joachim, Marggrafen und Churfürsten zu Brandenburg, welcher Anno Domini 1535. den 11. Julii zu Berlin gestorben.

Gedencket auch des Hochwürdigsten, Durchleuchtigsten, Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Albrechten, Hochmeistern in Preussen, und Marggrafen zu Brandenburg, 2c.

Auch des Wohlgebohrnen Herrn, Herrn Wilhelms, Deutsch-Ordens, Obersten Marschalcken, Grafen von Eysenburg, Herr zu Gransen.

Auch des Wohlgebohrnen Herrn Johansen Grafen zu Oettingen.

Gedencket auch um GOttes willen, des Wohlgebohrnen Herrn, Herrn Ludwigen, Grafen von Oetingen.

Des Wohlgebornen Herrn Albrechts Grafen zu Hohenloh.

Des Wolgebornen Herrn Ludwigs Grafen zu Helffenstein.

Des Wohlgebornen Herrn Johansen, Grafen zu Zollern.

Des Wohlgebornen Herrn Friederichen, Grafen und Herrn zu Castell.

Des Wohlgebornen Herrn Gottfrieden, Grafen zu Hohenloh, so Anno 1494. Mitwochs nach Michaelis verschieden.

Des Edlen und Wolgebornen Herrn Albrechts Schencken zu Limburg.

Des Wohlgebornen Herrn Grafen Philips von Kirchberg.

Des Wohlgebornen Herrn Joachim, Grafen zu Oetingen, so A. 1520. bey Thonawerth von Hans Thoma von Absperg erstochen.

Herrn Wilhelm Marschalck zu Pappenheim.

Gedencket auch um GOttes willen Herrn Michaelis von Schwarzenberg.

Auch Herrn Conrad Langen, der ein Priester und Vicarier dieses Stiffts und auch ein Mitstiffter der ewigen Meß in der Ritter-Capellen gewest ist.

Herrn Georg von Ehenheim Ritter, der zu der gedachten löblichen Gesellschafft armen Leuten ein Spend für seinen Jahrs-Tag gestifftet hat.

Auch Lorentzen von Eberstein, der auch seinen Jahrs-Tag zu der Gesellschafft gestifftet.

Herrn Heinrich von Lüchaw Ritter, der auch sein Jahrs Tag gestifftet hat.

Herr Sigmund von Lentersheim, Ritter.
Herr Sigmund von Wollmershausen, R.
Herr Sigmund von Stetten, Ritter.
H Sigmund von Freyberg, Ritter.
H. Conrad von Eyb, R.
H. Jacob Bocks, Ritter.
H. Anßhelm von Eyb Doctor und Ritter.
H. Herman von Stetten zu Kochenstetten, Ritter.

H. Eberhard von Auerbach, Ritter, so im 1482. Jahr gestorben, an S. Stephans deß Babsts Tag.

Herr Hansen von Redwitz, Ritter.
Herr Hansen von Freyberg, Ritter, so auf dem Meer im 1483 Jahr verschieden.
H. Dieterich von Hopffart Ritter, so im 1484. Jahr, Donnerstag nach Catharine verschieden.
H. Sigmund Schenckens zu Schenckenstein, Ritter, so im 1483 Jahr mit Todt abgangen, Mittwochs nach S. Galli.
H. Bernhard Nothafft, Ritter.
H. Hansen von Egloffstein. Ritter.
H. Georgen von Absperg, Ritter und Land Hoffmeisters.
H. Liebman von Meußbach, R.
H. Georgen von Gundelfingen, R.
H. Erckingers von Reichenberg, Ritter, so Anno 1492. verschieden.
H. Wilhelm Adelman, Ritter.
H. Reinwarts von Wellwart, R.
H. Wilhelm Bocks, R.
H. Conrad Schencken, zu Winterstetten, R.
H. Sigmund Marschalcken, R.
H. Conrad von Berlaching, R.
H. Hilpolt von Hausen, R.
H. Conrad von Hürnheim, Ritter zum guten Stein.
H. Friedrich von Seinßheim, R.
H. Sebastian von Wallenroth, R.
H. Ludwig von Eyb R. des Eltern.
H. Ehrwalts von Liechtenstein, R.
H. Sittich von Zettwitz, R.
H. Nicolaus von Schirding, R.
H. Six von Ehenheim, R.
H. Wolffgang von Stoltzenroth, R.
H. Wilhelm von Rechberg zum obern Rechberg.
H. Hansen von Eyb Hofmeisters Ritter.
H. Conrad von Eyb, R.
H. Rabin von Gundelsheim, R.
H. Michael von Seinßheim, R.
H. Conrad von Würtzburg, R.
H. Georg von Sewoltzdorff, R.
H. Erckingers von Seinsheim, R.
H. Philippsen von Wollmershausen, R.
H. Herman von Sachsenheim, R.
H. Sigmund Mörsbecken, R.
H. Jobsten von Lüchaw, R.
H Reinwart von Wallwart, R.
H. Wilhelm von Aurbach, welcher im 1483 Jahr verschieden, R.
H. Wilhelm von Bernaw, R.
H. Friedrich Brauner, R.
H. Georg von Zetwitz, Ritter, so im 1505. Jahr mit tod abgangen.
H. Ludwig von Habsperg, R.
H. Hansen Drucksaß v. Wetzhausen, R.
H. Hacksen von Seckendorff R. zur Newstadt, ein Mitstiffter deß gesungenen Ambts in der Ritter-Capellen.
H. Philip von Seckendorff zu obern Zenn, R.

H. Wil-

H. Wilhelm von Rechberg, R.
H. Hansen von Gemmingen, R.
H. Conrad von Achelfingen, R.
H. Hansen Druckfassen, Amptmann zu Dachsbach.
H. Sebastian von Luchaw R. so A. 1503 am Palm Tag gestorben.
H. Lutz von Eyb, R.
H. Sebastian von Eyb.
H. Ernst von Rechenberg, Amptman zu Guntzenhausen, so im 1523 Jahr verschieden.
H. Heinrich von Mildiz, Obester Compan Deutschordens.
H. Hartung Marschalck, R.

Nun folgen die löbliche Brüderschafft deren von Adel.

Hans von Lidwach zu Düttingen.
Anßhelm von Seckendorff.
Burckhard von Wollmershausen,
Heinrich von Otting.
Sixt Güssen.
Hansen Rheinfelders.
Caspar von Freyberg.
Jacob Bock.
Andreas von Seckendorff.
Hans von Wolffsberg.
Hans von Stain.
Andreas Seerreuter, so Anno 1481 Dienstag vor Johannis ante portam gestorben.
Neidenweinß von Heßberg, so im 1482 Jahr mit tod abgangen.
Hans von Kindsberg, der Eltere.
Eberhard von Hürnheim.
Hans von Nenningen, so im 1483 Jahr am S. Thomas tag gestorben.
Hans von Auffsaß.
Conrad von Schwartzenberg.
Crafften von Vestenberg, so im 1484 Jahr zu dem Rosenberg gestorben.
Ulrich Burggrafen, so im 1484 Jahr mit todt bbgangen.
Wilhelm von Cronheim, so Anno 1485 am Sonntag Lætare verschisden.
Georg von Rhordorff.
Friedrich von Waldenburg.
Conrad Herters von Gertingen.
Eberhard Druchsäß zu Dachsbach.
Georg von Schaumberg, Vitzthum in Kerndten.
Hans Marschalck zu Ray.
Oswald von Than zu Than der 1457. gestorben.
Heinrich von Bach.
Georg Erlbecke.
Wolff von Hopffing.
Wilhelm von Völberg.
Eberhard von Wistelbach, so im 1481 Jahr an S. Stephans Tag verstorben.
Albrecht Stiebers.
Hans von Sparneck deß eltern.
Wilhelm von Haussen.
Ulrich von Absperg.
Friederich von Seckendorff.

Andreas

Andreas von Seckendorff.
Paulus von Seckendorff.
Martin von Eyb.
Georg von Schaumberg der Elter.
Lutz von Rotenhan, welcher 1493 am Donnerstag nach invocavit verschieden.
Stephan Schenck von Uttenhofen.
Caspar von Gnotstadt zu Untenhausen.
Cuntz Zöllner von Hallberg.
Sebastian Seereuther.
Wilhelm Schenck zu Geyern der Lang genannt.
Peter Kilian der Gesellschafft Diener.
Christoph von Wolffstein.
Hans von Seckendorff zu Bürckenfeltz.
Fritz Stör von Störenstein.
Ulrich Mörßbeck zu Buch.
Johann Herr zu Gunritz.
Wilhelm von Hemberg.
Sebastian von Seckendorff zu Dettelsaw.
Carl von Eberstein.
Wolff Dackenheusser der Elter.
Hans von Hoppingen zu Underbißing.
Alexius von Redwitz zum Trisenroth.
Hertnit von Stein.
Hans von Feilitsch zu Feilitsch.
Conrad von Luchaw, alter Hausvogt, Mitstiffter des ewigen Lichts in der Ritter Capellen.
Hans Stettner.

Conrad von Hutten.
Georg von Wölberg.
Hans von Seckendorff zu Unterzenn.
Hans von Schrotzberg zu Feuchtwang.
Götz von Blassenberg.
Claus zum Stein zum Diemstein.
Thomas von Reitzenstein zu Selb.
Lutz von Redwitz.
Sebastian von Auffsaß.
Georg von Bemberg.
Hans von Bibra, Amptmann zu Cregling.
Sebald von Redwitz.
Claus von Redwitz.
Rudolff von Westerstätten.
Hans von Eib zu Sommersdorff.
Götz von Stetten.
Georg von Sachsenheim.
Herold von Rein.
Hans von Wittstadt.
Hans von Preusing.
Hauch von Rechberg.
Ludwig von Wernaw.
Heinrich von Wernaw.
Nicol. von Hirßberg zu Hohenfels.
Wilhelm von Leonrod der Elter.
Sigmund von Stetten.
Heinrich von Haubitz.
Heinrich von Halbersmanssteten Stettner genant, zu Wiesenbruck.
Hans von Schaumberg zu Lichberg.
Hans von Seckendorff.

Eucharius

Eucharius von Heßberg zu Eishausen.
Hans von Reitzenstein.
Hans Geyer zu Goldbach.
Conrad Voß zu Flachslanden, Hauptman uffm Gebürg.
Oßwaldt Schilcks zu Bleinfeldt.
Dieterich von Westerstetten zu Drackenstein.
Linhard Danner, so im Anno 1523 Freytags nach Vincula Petri verschieden.
Heinrich von Rotenstein.
Wolffgang Zannrud.
Ulrich von Flenigen.
Gabriel von Redwitz zu Kupffitz.
Arnold von Blanckenberg zu Horra.
Christoff von Hausen zu Bergen so im 1523 Jahr verschieden.
Christoff von Seckendorff, der Nold genant.
Moritz von Seckendorff genant zu Unternzenn.
Melchior von Seckendorff zu Drautskirchen.
Carl von Heßberg, Aptman zu Colmberg.
Ernst von Wolmershausen, Amptman zu Hoheneck.
Sigmund von Lendersheim, Amptman zu Wassertrüdingen, so im 1518. verschieden.
Pangratz Schenck von Aurbach Haus-Vogt.

Gedenckt auch umb Gottes willen, der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen,

die aus der gedachten Ritterlichen Brüderschafft verschieden und gestorben sind.

Zum ersten: Gedencket der Durchlauchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Margarethen, geborne Marggräfin von Baden, und auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Annä, geborne Hertzogin von Sachsen, beede unsers gnädigsten Herrn Marggrafen Albrechts gewesen, unter welchen Frau Margaretha in den 1457 Jahr an Montag S. Columbani, und Frau Anna 1512 den letzten Octobris verschieden.

Auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Elisabeth, eine geborne Marggräfin zu Brandenburg rc. die deß Hochgebornen Fürsten und Herrn, Hermans Grafen zu Henneberg Gemahlin gewest.

Auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Sybilla Marggräfin zu Brandenburg rc. ein Gemahlin Hertzog Wilhelms zu Gülich und Bergen, und Anna von Quarden irer Höff Jungfrauen.

Auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Ursula, geborne Marggräfin von Brandenburg 2c. eine Gemahl Hertzog Heinrichs zu Glatz.

Gedencket auch durch Gottes willen, der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Sophia, eine geborne Königin von Polen, die unsers gnädigen Herrn, Herrn Marggrafen Friedrichs Gemahlin gewesen ist.

Gedencket auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Barbara, geborne Marggräfin zu Brandenburg 2c. ein Gemahl Hertzog Heinrichs zu Crossen.

Deß Wolgebornen Fräuleins Margaretha von Wildenfelß.

Gedencket auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Elisabeth, eine geborne Marggräfin von Brandenburg 2c. ein Gemahl Hertzog Eberhards zu Würtenberg, Teck, Grafen zu Mümpelgard.

Auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Ursula, eine geborne Marggräfin von Brandenburg und Hertzogin zu Münsterberg.

Auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Susanna, geborne Pfaltz-Gräfin bey Rhein, in Ober- und Nieder-Bayern Hertzogin, erstlich ein Gemahl unsers gnädigen Herrn Hochlöblicher Gedächtniß, Marggrafen Casimirs zu Brandenburg, nachmahls Hertzog Otten Heinrichs Pfaltz-Grafen bey Rhein, welche im Jahr 1543. an S. Georgen Tag zu Neuburg uf der Thonaw verschieden, und zu München bey unsern Frauen begraben liegt.

Auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Margaretha, geborne Marggräfin zu Brandenburg.

Gedencket auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Anna, geborne Marggräfin zu Brandenburg 2c. eine Gemahl Hertzog Casimir von Teschen.

Auch der Durchleuchtigen Hochgebornen Fürstin und Frauen, Frauen Barbara, geborne Marggräfin zu Brandenburg, eine Gemahl Landgrafen Georgen von Leuchtenberg, so im 1552. Jahr im Wildbad verschieden.

Gedenckt auch

Margaretha Adelmännin, Herrn Ludwigs von Eyb Hausfrau.
Herrn Heinrichs von Luchaw Hausfrau.

Anna

Anna von Gemmingen, Gabriel von Redwitz Haußfrau.
Anna von Lichtenstein, und Anna von Knöringen, beede Herrn Hansen von Eyb Hausfrauen.
Lorentz Erlachers Hausfrauen.
Caspar von Crailsheim Hausfrauen.
Margaretha Eberhard Drucksäß Hausfrauen.
Apolonia von Luchaw, geborne von Egloffstein.
Barbara Ludwigs von Ehenheim Hausfrau.
Barbara von Absperg, Ulrichs von Absperg Hausfrauen.
Graf Philipsen Mutter von Kirchberg.
Dorothea Mistelbächin, geborne von Wilhelmsdorff.
Margaretha von Eib, Georgen von Schaumbergs Hausfrau.
Elisabeth von Wernaw.
Ursula von Brückenfels, geborne Crailsheimerin.
Dorothea Georg von Freybergs Hausfrau.
Catharina von Rotenhan, geborne Zöllnerin.
Hansen von Barsbergs Hausfrauen.
Anna Hansen von Stain Hausfrau.
H. Sigmund Wolckensteiners Hausfrau.
H. Hansen von Graben Hausfrau.
Margaretha von Wallenfelß, nnd Anna von Stadian, beede Hansen Stettners Hausfrauen.
Anna von Hopffingen.
Margaretha von Aletzheim, Herrn Friedrichs von Wolmershausen Hausfrau.
Elisabet, Herrn Georgen von Zetwitz Hausfrauen.
Anna von Zügenreuth geborne von Morstein.
Margaretha von Sternfels, Daniel Röders Hausfrau.
Anna von Hürnheim, geborne von Ahelfing.
Margaretha von Westerstetten, Düttingers Hausfrau.
Hansen Birckenfelßers Hausfrau, geborne von Seckendorff.
Elisabeth Förtschin, geborne von Schaumberg.
Dorothea geborne Förtschin, Martin von Redwitz Hausfrau.
Margaretha von Düngen.
Margaretha von Mistelbach.
Catharina geborne Förtschin, Conrad von Würtzburg Hausfrau.
Magdalena von Lentersheim, Veit von Vestenberg R. Hausfrau.

Margaretha Ebersteinerin.
Margaretha von Wemding, Eberhard von Mistelbach Hausfrau.
Afra von Knöring, geborne Stadian.
Ursula von Rosenberg, geborne Marschalckin von Pappenheim.
Margaretha von Stain, geborne von Hutten.
Gedencket auch der Edlen Frauen Eva zu Schwartzenberg ein Schenckin zu Erbach, Herrn Sigmunds von Schwartzenberg seeligen Hausfrauen.
Amalia Nothhafftin, Georgen Hohenreimers Hausfrauen.
Afra Herrn Conrads von Knöring Hausfrau.
Margaretha von Buschelt.
Anastasia von Altmanshofen, geborne von Willenfelß.
Gertraud von Absperg, H. Veit von Lentersheim Hausfrauen.
Otilia von Vòlberg, Walther Zobels Hausfrau.
Margaretha von Ehenheim, geborne Druckfäßin.
Ursula von Rosenberg, geborne von Aletzheim.
Veronica Reinin, Hansen von Leonrot Hausfrau.
Anna von Ehenheim, Herrn Sixten Hausfrau.
Elisabeth Ehingerin, Leopold von Kunßeck Hausfrau.
Cordula geborne Schenckin von Schenckenstein.
Herrn Hansen von Seckendorff Ritters Hausfrau.
Margaretha Seckendorfferin, Herrn Sebastian von Eib Hausfrau.
Elisabeth von Helmstätt, Herrn Conrads von Eib Hausfrau.
Praxedis von Wolffstein, geborne von Burckenfels.
Agnes von Andorff zu Cöln.
Jungfrau Elisabeth, geborne von Stegensützka, die unser gnädigsten Frauen Dienerin geweßt.
Ursula von Seinßheim, geborne von Gundelsheim.
Anna geborne von Wangenheim, H. Christoff Schencken von Geyern Hausfrau.
Dorothea Freybergerin, geborne Thummin von Neuenberg.
Catharina Marschalckin geborne von Seckendorff.
Ursula von Seckendorff, geborne Schenckin von Schenckenstein.
Ursula von Liechtenstein, Herrn Ebolds von Lichtenstein R. Hausfrau.
Ursula von Leonrot, Ebold von Stain Hausfraw.
Scholastica Bembergerin geborne von Widtstatt.
Elisabeth, H. Hansen von Seckendorff seelige Mutter, geborne von Witmersdorff.

Elisa-

Elisabeth, Herrn Conrad von Kündsperg R. seeligen Hausfrau, geborne von Eberstein.

Margaretha Herrn Georgen von Völberg R. seeligen Hausfrau geborne von Eberstein.

Margaretha Herrn Georgen von Völlberg R. seeligen Hausfrau geborne von Nippenburg.

Sybilla von Seckendorff, Sigmunds von Heßperg, Ritters Hausfrau.

Margaretha, Conrad Bossen, Hauptmanns uffm Gebirg Hausfrau, Geborne von Widtstadt.

Fœminea Zöblin, geborne Geilingin.

Dorothea, Herr Philip von Wolmershausen Hausfrau, geborne von Gich.

Regina, Albrecht von Hoimshofen Hausfrau geborne Zöllnerin.
Elisabeth Zöllnerin, geborne von Ahelfingen.
Anna von Bibra geborne von Seckendorff.
Walburg von Heßberg zu Eißhausen.
Ein Berlin geborner Rimbach.
Anna Zöllnerin von Heldritt.
Authorita Potzsingerin, geborne von Kostigall.
Margaretha Truppacherin, geborne von Auffatz.
Felix von Rotenhahn, gebohrne von Seckendorff.
Ursula von Wallenfelß, geborne von Zettwitz.
Catharina geborne von Hetzfeldt.
Fœlicitas geborne Nothhafftin von Wernberg.
Anna, Herrn Friederichen von Schwartzenburg, Hausfrau geborne von Eberbach.

Ursula, Herr Hansen von Pintzenhausen Hausfrau.
Margaretha der Ebersteinerin Tochter.
Susanna Georgen von Rosenbergs Hausfrau.
Anna, Hansen von Stain Hausfrau, Wittib.
Anna von Ahelfing, Casparn von Renningen Hausfrau.
Veronica Räbin, Magdalena und Elisabeth ihre Tochter von Blanckenberg.
Elisabeth, H. Georgen von Absperg Hausfrau, geborne von Seckendorff.

Margaretha von Seinßheim, Carl Durchsäß den man nennet Grünen Haußfrau.
Margaretha von Ehenheim, geborne von Rosenberg.
Anna von Wenckheim geborne von Rosenberg.
Anna von Ahelfing, Wilhelm von Volbergs Wittib.
Anna von Wolmershausen, Herrn Ulrichs von Zetwitz, Ritter, Hausfrau.
Anna Pangratz Schencken zu Aurberg Hausfrau, geborne von Iberg.

)o(

Beschluß.


Ob nun sach were, daß dieser einer oder mehr, so verkündiget, hie verwickt hetten, darum sie noch wären in der Pein oder Straff GOttes, so wolle GOtt der Allmächtig sie entledigen, und setzen in die Schaar der Auserwehlten, der ewigen Seeligkeit.

Solches zu erlangen, sprecht ein andächtiges Vatter Unser, und Ave Maria.

Auch gedenck ein jegliches Mensch hiemit seines lieben Vatters und Mutter, aller seiner Vorfahren, und aller deren, von denen ihme Gutes widerfahren ist, mit allen Glaubigen, sprecht ihnen zu Hülff und Trost ein Vatter Unser, und Ave Maria.

Ende dieser Ritter-Brüderschafft.





XV.

Disputationem Historicam, quæ denuo jam prodit, de SERBIS *Venedorum Natione vulgo dictis* die Wenden, M. GEORGIUS KRÜGER *Liberosensis Lusatus*, Respondentē LAURENTIO IETZE, *Rezens. Neo-March.* Wittebergæ MDCLXXV. publico examini submisit, eamque Consulibus atque Senatorii Ordinis Assessoribus Reipublicæ COTBUSIENSIS verbis, quæ sequuntur, dicavit Præses.

Vobis,

Vobis, non speciminis ostendendi, nec molestiæ ferendæ causa; Sed testandæ pietatis, ac commendandi mei studio, istud, quod debuit esse, disputatiunculæ inscribo, atque qua possum devotione offero. Vt igitur conatum meum magna Benevolentia Vestra suscipiatis, meisque Studiis faveatis, est, quod maximopere rogo. Deum autem veneror, Vos ut patriæ Reique publicæ, in pace atque sanitate multos annos florere jubeat.



XV.

XV.

M. GEORGIUS KRUGER DE SERBIS, VENEDORUM NATIONE VULGO DICTIS die Wenden.

SUMMARIA.

Praefatio. I. De Serborum Descriptione. II. De origine Serborum. III. De Lingua. IV. Moribus, et V. De Religione Serborum, nec non VI. De Republica illorum.

PRAEFATIO.

Ut jucundum & fructuosum veterum historias repetere & contemplari: sic arduum & periculosum. Nam (ut recte innuit STRABO) *non solum propter mutationes res ipsae incertae sunt; sed etiam propter dissidentes Scriptorum opiniones, qui iisdem de rebus non eadem tradiderunt. Quapropter non demonstrationes; sed ut plurimum conjecturas de natione Venedorum, Serbis, rudi quod ajunt, Minerva, quae ab historiographis digne annotata, hic sumus repetituri. Quod DEUS bene vertat!*

I.

DE SERBORVM DESCRIPTIONE.

§. I.

SERBI (*a*) ſunt populi Venedici, qui in Miſnia (*b*) olim inter Albim atque Salam (*c*) fluvios, imo & in ipſa Bohemia (*d*): hodie vero ſuperſtites in Luſatia (vulgo die Wenden dicti) conſident.

(*a*) Dicuntur etiam Syrbi, Sorabi & Sorabes paſſim apud hiſtoricos. (*b*) AVENT. l. 4. *Boj. annal.* p. m. 191. *Interea Venedorum gens Sorabes dicti, qui inter Albim & Salam conſidebant, ubi nunc Moeſi nominantur, in fines Saxonum & Turingorum invadunt.* Idem ib. *Deinde aliæ Venedorum nationes ferociſſimæ (Capita enumeraſſe ſufficiat) Sorabes, Boëmi, Abroditæ fœderatis &c.* Miſnia inde Sirbia dicta, ut & Sorabia. vid. M. REIN. REINEC. *Steinh. de Miſn. orig.* p. 88. dicens: Es hindert gar nicht, daß Dithmarus Biſchoff zu Merſeburg, welcher unter Kayſer Henrico II. gelebet, anzeiget, daß Meiſſen von den Sclaven oder Wenden Lummacia, von den Böhmen Syrbia ſey genennet worden. Ubi pergit idem autor p. 96. & 97. dictans: In dem vergleichen ſich die Scribenten, daß dieſe Wenden in Meiſſen den beſondern Nahmen gehabt, daß ſie Sorabi genennet worden &c. Waß ſonſten dieſes Volcks für eine Gewalt müſſe geweſen ſeyn, weiſet das genugſam, daß ſie neben Meiſſen die Ober Lauſitz, und ferner den gantzen Strich biß an die Elbe und Saal ein bekommen. HELM. CHRON. SLAV. l. I. c. 2. *Albia in occaſum ruens primo impetu Boëmos alluit cum Sorabis.* (*c*) MICRÆL. *in Pomer.* l. 2. n. 18. Endlich ward die Thür dadurch (ſc. Vandalorum emigrationibus, Attilæ ſævitia, & Germanorum diſſenſionibus) gar weit den Sclaven und Wenden oder der Sarmatiſchen Nation auffgethan, und auß denſelben ſetzten ſich die Wiltzer und Lutitier, oder Löitzer in Pommern und Marck: Die Soraber oder Sirſen in Meiſſen und Böhmen, die Obotriter in Mechelenburg: TRITH. ABB. SPAN-

HEIM

HEIM. ap. GOLDAST. l.2. c.2. *Slavos Sorabos, qui nunc dicuntur Boëmi, Rex Dagobertus bello aggressus vicit, superavit & Francis subjectos tributarios fecit an. 640.* (d) DVBRAV. *hist. Bohem.* l. I. *Syrbi Sclavorum populi Lusatia inferiori & superiori occupata Lusatos se nunc appellant.* D. CHYTR. *Chron Saxon.* l. I. de Vandalia dicens infert: *In hodiernum usque diem passim ad ripam Albis miseræ gentis Henetæ s. Slavicæ reliquiæ in Lusatia & alibi hærent.* Ubi incolæ se SERBOS lingvamque suam Serbßka reez appellant.

II.

Quapropter Serbi nec sunt, nec recte dicuntur Vandali, ut multi, quorum error detectus & castigatus, (e) sunt persvasi, tum cognatione vocabulorum, (f) tum successione Venedorum in sedes Vandalorum (g), tum magnorum autoritate virorum. Unde tam multi errores & historiarum confusiones (h) nati, Vandali enim populi Germani tum origine, tum sermone, (i) perhibentur.

(e) Vid. M. HENR. BANGERT. *in not. ad Helmold. chron. Slav.* c.2. MELCH. GOLDAST. *Heimensfel. comment. de reb. Bohem.* RHENAN. l. 2. *rerum Germ.* c. I. MÜNST. *Cosmograph.* c. 4. FRANCISCVS IRENIVS l. I. *exeges. German.* 33. FLAV. BLONDELL. *l.* I. *decad.* I. GROPPIVS BECAN. l. 5. Spangenb. *in chron. Saxon.* c. 14. & im Adels Spiegel p. I. l. 10. a. 5. verb. Wandeler & und Wenden. MART. CROM. l. I. *rerum Polon.* MICH. BEVT. *in comment. in Tacit. Germ.* p. I. c. II. *(f)* ut CHYTRÆVS ipse fatetur in *Vandalia chron. Saxon.* dicens: *Vicina sunt nomina inter se Venedi & Vandali.* (g) idem ib. CHYTR. fatetur *Vandali*, dicens, *dicuntur, quia post migrationem Vandalorum in Gallias, Hispanias, & Africam Venedi eorum terram occuparunt, sicut post migrationem Bojorum ex Bohemia in Bavariam nihilo minus novi incolæ Czechi Slavi veterum incolarum, nomen retinent.* Ita HELMOLD. *Chron. Slav.* l. I. c. 2. *ubi ergo*, dicit *Polonia finem facit, pervenitur ad amplissimam Sclavorum provinciam eorum,*

qui antiqvitus Vandali, nunc Winthi f. Vindili appellantur. Et certo respectu qvidem magis excusandos, qvam accusandos viros hosce alias scriptores historiarum satis accuratos esse, putamus. Sed secus illi, qvi mentem eorum non assecuti multa de Vandalis primis incolis intelligenda, ad Vandalos secundos f. Venedos accommodare volunt. *(h)* Sic gravissimè hallucinatus est GEORGIVS NICOLAI *in Sylloge histor.* (quæ cum præfat. IOH. DRESSERI Lipsiæ edita,) dicens: Umb diese Zeit 245. soll der Wenden (Wandaler debebat dicere) König Gotharus in Pommern regieret haben. Wie Panthal. meldet, item anno 161. post Ch. nat: die Wenden nehmen Merseburg der Römer Vestung ein: qvod an de Venedis intelligi qveat, judicent alii: nos valde dubitamus. *(i)* PLIN. l. 4. c. 14. *Genera Germanorum V. Vindelici (Vandali) qvorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Gottones: Ingævones &c. Istævones &c. Hermiones & Pancini. Ut Plinio æqualis* (teste & citante BANGERT. *in Helmold. not.* c. 2.) *sic eidem in hoc argumento ὁμόψηφος* TACITVS *scriptor verus & acutus Marsos, Gambrivios & Suevos, ita & Vandalos antiqvissimos Germaniæ populos facit. Lingva etiam eadem cum cæteris Germanis usos esse diserte testatur* PROCOP. l. 1.

§. III.

Nec Serbi (*vulgo Wendi dicti*) confundendi sunt cum Wendis specialissime & κατ᾽ ἐξοχὴν appellatis *(k)* qui inter Danos & Megapolitanos ad Mare Balthicum sedes suas habuere. Hinc Principes Mechelburgici κατ᾽ ἐξοχὴν olim die Herrn der Wenden (*qui tamen Sorabum nunqvam fuerunt*) sunt appellati: quo titulo hodienum Rex Daniæ Invictissimus, & Serenissimus Elector Brandenburgicus coronantur.

(k) Multas Venedorum species recenset HELMOLD. l. 1. c. 2. *Chron. Slav. Pomeranos, Wilzos*, f. Wilsos, die Wiltzen-Wenden, *Lutitios, Circipanos, Kissinos, Redarios* die Reder Wenden, *Obotritos, Rugos, Sorabos,* die Zorber-Wenden &c. BANGERT. ubi in not. annotavit eleganter hunc in modum differens:

differens: *Quanquam enim omnes illæ nationes origine Venedicæ essent, quæ in terras Vandalorum successissent: tamen sub sequentibus seculis obtinuit usus, ut soli Obotritorum & Wagriorum reguli, aut principes κατ' ἐξοχὴν Wendi*, die Herren der Wenden *dicerentur*.

§. IV.

Non autem asserimus nos, omnes in universum, qui Lusati & Serbi dicuntur, etiam origine, aut natione esse Sorabos aut Venedos. Siquidem Germanos veteres incolas (*qui ad similitudinem Vandalorum in Pomerania* (*l*) *& Bojorum in Bojemia linguam suam non penitus dedidicere, sed faventibus seculis denuo eam magis excoluere*) ut & Lusikos (*m*) aliosque, quos omnes præcise ab invicem distinguere hodie nec necessarium, nec possibile, (*omnes enim Lusati natione Germani*), iisdem admixtos nulli dubitamus.

(*l*) Legatur hac de materia MICRÆL. *in Pom.* l. 2. inter alia discurrens: So ist die Wendische Sprache hier ins Land kommen, daß die Deutsche niemals drauß gehoben ist. Ja ich kan nirgends finden, daß die Vandalische Städte an der See jemals gantz Slavonisch oder Wendisch gewesen wären, und den Gebrauch der deutschen Sprache nicht beybehalten hätten. (*m*.) Lusikorum meminit WITTIK. *scriptor. Saxon.* qvi temporibus Ottonis floruit. l. 2. *annal. Saxon.* dicens: *Eo quoque tempore* (Ottonis scil.) *Gero præses Slavos, qvi dicuntur Lusiki, potentissime vicit.* MELCH. GOLDAST. *Heimensfeld. de reb. Behem.* l. 1. c. 8 *Idem casus, qui Marcomannos & Quados, etiam Semnones* (qvi ut ex Vet. Geograph. CLVV. l. 3. *introd. in Geograph.* ad ripam Oderæ in Marchia & in Lusatia sedes habuere.) *excepit. Nam Sorabi & Lusiki* (qvi & Lutici, Luticii, Lucici), *gentes Sarmaticæ sive pulsis, sive quod vero similius, subactis Semnonibus, eam regionem occuparunt.* DUBRAVIUS *vocat Syrbos. Micræl.* l. 2. n. 39. Mießka ein König der Luzikauker, welche weiter im Lande wohneten, etwa da nun die Laußnizer noch von den alten Loizern übrig.

II.

DE ORIGINE SERBORUM.

§. I.

Explicata jam populi Lusatici descriptione, sequitur, ut quædam etiam de Origine ejusdem dicamus. Sicuti autem perdifficile & fere impossibile est, (n) primam eamque distinctam populorum originem revocare, nisi fabulas atque res incertas enumerare velis; quales DUBRAVIUS, atque ÆNEAS SYLVIUS *de Boëmis*, productas (o) refutarunt: ita de natione Sorabica, quantum e fide dignis historiis colligere possumus, hic tantum breviter sumus repetituri.

(n) ÆN. SYLV. *de Bohem.* c. 2. *Nondum ego quempiam legi autorem, cui fides habenda sit, qui tam alte gentis initium dederit, Ebræos exceptos omnium mortalium primos.* (o) Idem ÆNEAS pergit ib. dicens: *Multi e Germanis satis se nobiles arbitrantur ex Romanis ortos, Romani e Teucris ducere originem gloriosissime putant. Franci, qui & Germani, Trojanum se sanguinem esse dixerunt. Eadem Britannis gloria est, qui Brutum quendam exilio profectum generi suo principium dedisse affirmant.* At *Boëmi longe altius orti ab ipsa confusionis turre se missos esse jactitant, nudos in cessisse &c. glandibus vixisse &c.* c. 2. 3. & 4. Cui adstipulatur DUBRAV. *histor. Bohem.* l. 1. dicens: *Quid fabulosius, quam originem velle referre ad divisionem, confusionemque lingvarum, quæ tunc facta fuisse dicitur, cum in solo Babilonico turris ædificaretur. Nam si vetus origo placuit, utique turri illa vetustior Adamus omnium gentium communis parens erit.*

§. II.

Est autem extra omnem controversiæ aleam positum, Serbos non esse nationem novam, sed cum aliis Venedicis sive

ſive Slavicis populis a veteribus Sarmatis (*p*) ortam; id quod eorum lingua & mores ſatis docent. Unde & PLINIVS Geographorum antiquiſſimus SERBORVM quorundam mentionem (*q*) facit, eisdemque ad paludem Mæotin, ubi & ipſe PTOLOMAEVS (*r*) Sarmatis, ſedes antiquas aſſignat. Inde Sorabos noſtros cum conterraneis tanquam e communi patria veniſſe, certum eſt.

(*p*) Vid. HELMOLD. ſupra cit. *Sclav. chron.* l. I. c. 2. MICRÆL. in *Pomer.* CROM. *de reb. Polon.* l. I. MATTH. A MICHAV *de Sarmat. deſcript.* ALEXANDER. GANGV. *in Sauromat.* &c. (*q*) PLINIVS qvi ſeculo I. poſt natum Chriſtum floruit l. 6. c. 7. infert: *Inde Mœotis lacus in Europa dictus. A Cimerio accolunt Mœotici, Serbi, Vali, Arechi, Zingi. Deinde Tanaim amnem gemino ore influentem incolunt Sarmatæ, Medorum, ut ferunt ſoboles, & ipſi in multa genera diviſi* conf. l. 4. c. 13. (*r*) PTOLOMÆVS Plinio antiquior citat. ADVBR. l. I. *hiſtor. Bohem.* ita: *Sarmatia, quam Ptolomæus ab ortu lacu Mœotide & Tanai, ab occaſu Iſtula, a ſeptentrione oceano Sarmatico, a meridie Carpathiis montibus terminat, omnium gentium, quos nunc Slavinos vocant, quondam communis patria fuit.*

§. III.

Quando vero præciſe, & quomodo adventus eorum in Germaniam ſit factus, id ob varietatem autorum (*s*) determinari non poteſt, nec opus eſt. Omnium tamen optima & probabiliſſima ſententia videtur eorum, qui putant, eos circa tempora Attilæ (*t*) Vandalia a ſuis incolis deſerta, Germania per Hunnos vaſtata, & reliquis inter ſe diſſidentibus, non quidem ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive (*u*) in Germaniam immigraſſe.

(*s*) Alii enim hoc, alii aliud tempus adventus illorum ponunt. FLAV. BLONDEL. refert ad annum 600. l. I. de molin. Imper. Rom. d. 8. HAGE. *Chron. Bohem.* l. I. fol. I. BARTHOLD.

BARTHOLD. PONTAN. A BRAITENBERG. *in Boh. pia* ad ann. 644. SETH. CALV. *Chron.* ad ann. 645. IOHANNES *in Chron.* l. 3. ad ann. 450. SPANGENB. *in Chron. Saxon.* c. 50. ad 451. alii aliter. *(i)* Optimis quibusque probalis hæc est sententia GOLDAST. l. 1. c. 9. MART. CROM. *rerum Polon.* l. 1. *cap. ult.* SPANGENB. *in chron. Saxon.* c. 50. 51. IACOB. AVGVST. THVAN. *hist. suorum temp.* l. 56. NEVGEB. l. 1. *hist. Polon.* f. 9. IOACH. CVR. annal. Sil. HENR. BANGERT. *in not. ad Helmold. chron. Slav.* l. 1. c. 2. *(u)* MICRÆL. l. 2. Pommerland c. 12. & 37. Wenn man aber fraget, zu welcher Zeit doch eigentlich die Wenden in das Land kommen, so antworte ich, daß keine gewisse Zeit, darin solches geschehen, könne gegeben werden: weil die Wenden nicht eben mit Gewalt herein brachen; sondern allgemach sich mit den Pommern vermischeten, eben wie sie mit den Preussen gethan haben: und insonderheit, da diese Länder von Einwohnern leer waren, haben sie gut machen gehabt, und ist eine Slavonische, und Wendische Familie nach der andern herein gegangen.

§. IV.

Cæterum quod videntur *(x)* quibusdam Serbi nostri e Serbia Bosnensi descendisse, indeque nomen suum derivasse, nobis lusus vocabulorum videtur *(y)*. Multo minus credimus, Sorabos omnes *(z)* esse colonos per Czeehum ducem Bohemiæ in hasce terras *(a)* introductos.

(x) DAVID CHYTR. *Chron. Saxon. in Vandalia.* HEINR. GOLDAST. *Heiminsf.* l. 1. c. 8. M. REIN. REINECC. *Steinh.* von Meißner Herkommen p. 97. Loqvimur autem de Serbis Bosnensibus, qvorum mentionem facit CHYTR. l. c. p. 32. CLVV. *in Geograph.* l. 4. p. 418. qvi cum nostris Serbis nec sunt, nec fuerunt iidem. *(y)* Nam SERVI nomen suum a Servis Sarmatarum indomitis atqve rebellantibus accepisse leguntur; de qvibus totam historiam enarrat AVENT. l. 2. *annal. Bojor.* qvos Imperator in Slavonia domuerit, atqve in Pannoniam transtulerit ulteriorem. At vero SERBOS nostros

nostros nomen suum ex ipsa Sarmatia (qvod nobis DAVID CHYTR. l.c. & IOH. CVRÆVS *in annal. Siles.* suppeditant) accepisse hactenus non dubitamus: Minus obstante, etsi PAVL LANGIVS *in Chron. Citiz.* vocem Soraborum ex Roswito denominatione Germanicam faciat. Nam illud non probavit, nec satis certus *(se ipso fatente)* annotavit. Nec multum de etymologia vocis sumus solliciti; *(z)* concedimus *(si historia de Czecho certa)* de Boëmis: ponimus de Transalbinis & Lusatis superioribus, qvia lingvas Croaticam & Lusaticam fere convenire sumus persvasi: negamus de Lusatis inferioribus, argumento a linguæ (*de qua mox*) & morum diversitate sumto. *(a)* IOACH. CVRÆVS *in annal. Siles.* „dicit: *Czechus immisit & similiter novos colonos in illum tra-„ctum, qvi est inter albim atqve salam, qvi dicti sunt Sorabi, „qvod ipsum nomen est a Sarmatis: alios quoque misit ad mare Balthicum Windos dictos &c.*

III.
DE LINGVA SERBORVM.
§. I.

Obiter etiam de Sermone hujus nationis, non quidem quoad ætatem primam, sed nostram, quædam subjicere placet. Non autem est lingua nova, (*b*) aut vulgo, ut existimatur, ex variis linguis mixta. Mixtus quidem populus Lusatiæ, uti Boemiæ & Bavariæ (*c*); sed linguæ non sunt mixtæ (*d*).

(b) Qvales Anglica atqve Gallica habentur ex diversis populis diversæ lingvæ mixtæ. *(c)* ÆN. SYLV. *in Germ.* c. 47. *Et pauci sunt inter Boëmos, saltem nobiles, qvi non utramque noverint lingvam: & undique cincta est terra Teutonicis plebibus.* AVENT. *annal. Boj.* l. 3. *Ad Dravi Savique fontes adhuc lingua Veneda est in usu: sermo Bojus in urbibus & castellis invaluit.* *(d)* Nec obstat nobis unum atqve alterum exemplum

hominis vitiose loquentis, nec unum atqve alterum vocabulum immixtum: hæc enim omnia ad novam aliquam linguam mixtam sufficere, nemo nobis facile concedet.

§. II.

Habet etiam lingua Sorbica magnam cum Polonica atque Bohemica aliisque linguis convenientiam (e); ideoque in communi patria linguæ Sarmaticæ dialectum fuisse non negamus; sed hodie respectu Polonicæ atque Bohemicæ diversa lingua dici meretur. Siquidem non modo quoad materiam sed etiam quoad formam preprimis (f) ab illis recedit.

(e) Ut lingvæ orientales Ebræa, Chaldæa, Arabica &c. aut Septentrionales Germanica, Svecica, Anglica: aut occidentales, Hispanica, Italica, Gallica &c. magnam qvidem svavemqve harmoniam inter sese habere dicuntur; propterea tamen non dialecti, (si accurate loqvi velimus) sed lingvæ diversæ potius dicuntur: sic qvoqve de lingvis Sarmaticis, Moscovitica, Polonica, Slavonica, Bohemica atque Vandalica aut (si placet) Sorabica judicandum esse, putamus.
(f) Caret lingva Lusatorum peregrinis ineffabili multorum consonantium concursu, hinc eam omnium Slavicarum lingvarum facillimam judicamus. Cui accedit analogia Grammatica, qvæ ratione constructionum, in verbis temporum atque modorum formatione, quam proxime ad Germanismum accedit.

§. III.

Præterea ipsa Lusatorum lingua suis (g) propriis dialectis gaudet: Atque Lusatiæ quidem superioris Idiotismus propius accedit ad Slavonismum; inferioris vero ad Windismum, tanto discrepantes, ut incolæ vix se invicem intelligere queant non attendentes.

(g) Alia enim dialectus (ut superiores mittam) Lubenensis, alia Gubenensis, alia Cotbusiensis, alia alius diœcefeos, quarum tamen omnium Cotbusiensem (in Lusatia inferiori) dialectum

lectum in sacris peragendis usitatam plerunqve, experientia docet.

IV.

Cæterum hodie & nominis & linguæ usus apud Misnenses ut & Metropolitanos Lusatiæ evanuit; sed olim magna (non in omnibus præcise Serbicæ, sed) Sarmaticæ sive Slavicæ (*h*) amplitudo. Hodie nescio qua (præfice Serbica lingua) quasi ἀντιπαθεία multis invisa. Sed olim tanta ejus & dignitas & necessitas, ut & Imperator ipse Otto M. eidem studuerit, (*i*) & Leges Imperatoriæ (aureæ bullæ) ejus notitiam SS. Imperii Romani Archiprincipibus necessariam tradiderint (*k*), ut taceam ejus quasi sororis usum in sacris administrandis (*l*) contra morem a Pontefice Romano concessum fuisse. Hinc versio Scripturæ S. (*m*) Slavica nata.

(*h*) MICRÆL. *in Pom.* l. 2. c. 4. Wir wissen, daß die Sarmatische Nation allgemehlig so mächtig worden, daß sie nicht allein das grosse und kleine Reussen, sondern auch das gantze Burgunder-Land, da itzunder die Polen wohnen, und ferner die Walachey, Bulgarey, Servey, Podollien, Littauen, Croatiam, Dalmatiam, Mähren, Böhmen, Schlesien, und die gantze Windische Marck Illyricum mit ihrer Sprache erfüllet. Und man kan auch nicht leugnen, daß sie auch in Griechen-Land überhand genommen, und allda mächtig worden seyn. Wie denn noch heutiges Tages die Wendische Sprache allda allenthalben, und insonderheit an der Ottomannischen Porte im Gebrauch seyn solle. (*i*) WITTIK. *annal. Saxon.* l. 2. *Præterea* (præter alias scientias) *Romana lingua Slavonicaque loqui sciebat* (Otto Magnus). (*k*) Vid. GOLDAST. *in Comment. de regn. Bohem.* l. 4. c. 16. ubi & alii autores citantur. (*l*) ÆNEAS SYLV. *hist. Bohem.* c. 13. historiam narrat. Conf. DAVID. CHYTR. *Chron. Saxon. in Vandal.* p. 37. & GOLDAST. l. c. l. 5. c. 2. ubi alicujus notatu digna Bernhardi scriptoris verba citantur seqventia: *Quidam Sclavus ab Istriæ & Dalmatiæ partibus nomine Methodius venit, qui adinvenit Slavinas literas & Sclavice celebravit Divinum officium, & vilescere fecit Latinum.* (*m*)

Qvæ adſcribitur Hieronymo, rectius Methodio, aut Cyrillo Moraviæ Epiſcopis (ſit penes hiſtoricos fides). Vid. GOLDAST. ſæpe laudatus l. c.

IV.

DE MORIBVS SERBORVM.

§. I.

Mores Sorabici populi primi nobis ſunt incogniti. Media vero ætas, quæ eosdem vidit, magis generaliter, quam ſpecialiter mores eorum depinxit, ut migrationibus (*n*) ſtudioſos, miſeriæ & multi laboris (*o*) patientes, libertatis patriæ tenaces, erga hoſtes ſuos ſævientes; ſed in domeſticos fideles, modeſtos (*p*) & conſcientioſos.

(*n*) DVBRAV. *hiſtor. Bohem.* l. I. *Vetus mos erat omnium Sarmatarum Pomponia Mela autore non ſtatis perpetuisque uti ſedibus, ſed ut invitaverε pabula, vel ut cedens & ſequens hoſtis exigebat: ita res opesque ſecum trahere ſolebant, caſtra ſemper habitantes, bellatores liberi.* (*o*) WITTIK. l. 2. *annal. Saxon. Sæpius exercitus eos læſit in multis afflixit, & in ſummam calamitatem perduxit. Illi vero nihilo minus bellum elegerunt, omnem miſeriam caræ libertati poſtponentes: Eſt namque hujusmodi genus durum & laboris patiens victui leviſſimo aſſuetum, & quæ noſtris gravi oneri eſſe ſolent, Slavi pro quadam voluptate ducunt. Tranſeant ſane dies plurimi his pro gloria, magno latoque imperio: illis pro libertate ac ultima ſervitute varie certantibus.* (*p*) De ſævitia eorum nemo dubitabit. Sed pro domeſticis moribus ſufficiat nobis unicus MICRÆLIVS, qvi in *Pomeran.* l. 2. ita diſcurrit. Vnd weil die Wenden deſſen Lob haben, daß ſie Sittſame und Gewiſſenhaffte Leute ſind, wie die Heneter alſo Philippus Melanchton beſchreibet, ſo hat ſich ihr Wandel ſelbſt andern Völckern angenehm gemacht, und iſt ihre Sprache bald weit außgekommen.

§. II. Ho-

§. II.

Hodiernos vero mores, cum notiſſimi, non opus eſt multis recenſere. Neminem latebit, qui Luſatiam luſtravit, civitates ut plurimum civilibus, iisque Germanicis: ruſticos autem ruſticis partim Germanicis (*q*) partim propriis ſuis, (*r*) iisque immutabilibus moribus gaudere. Atque ut multa paucis dicamus: Eſt natio hilaris, affectu vehementiori prædita; erga hoſtem quidem immiſericordiam; erga amicum v. (*s*) plusquam fidelem amicitiam exercens, laborioſa, ſimplex (*t*) religioſa (*u*).

(*q*) Simplici victu & amictu ſunt contenti, ideoque hominem inſolitis veſtibus (allmode) ingredientem mirantur, & ut ſuperbum averſantur. (*r*) Conſtat, eos Germani, qui lingvam Slavõnicam (*libenter enim loqvuntur*) neſcierit, converſationem non curare, putantes ſe negligi ab eo: contra crebrioribus inter ſe conventiculis ſtudere, Xenodochia præcipue diebus feſtis freqventare, ibidemque poculo hilaritatis exhauſto devote (prout externus habitus prodit) pro ratione temporis hymnos ſacros, ex iisque Symbolum Apoſtolicum & Gloria illud Angelorum cantando exercere: poſt (juniores) jubilando, ovando, vociferando, choreisqve ducendis ad ſatietatem usqve totam fere noctem conſumere: (*s*) hoſpitem ſi qvem lingvæ ſuæ gnarum, & loqvacem acceperint, hoſpitalitate plusqvam fideli ſuſcipere, qvaſi manibus portaturos: interea laboris & miſeriæ eſſe patientes, ut & nocte parum qvieſcant. (*t*) Simplicitatem antiquam ſuam produnt, dum cultum literarum parum curant (qvod vitium, in ſummo tamen gradu, tradit de antiqvis conterraneis eorum Moſchis CLVV. *in Geogr.* c. 26. dicens: *In ſcholis legere duntaxat & ſcribere docentur pueri, nec Academiæ, aut collegia in univerſo extant Imperio Moſcovitico*) appellantes eum ſatis doctum, qvi legere & ſcribere ſciverit; qvi vero lingva vernacula bene concionatus ſit, doctiſſimum. Cætera mirantur, aut pro ſuperfluo habentes, aut male interpretantes. (*u*) Theologos ſive concionatores maximi

pendent suos, & omnia eorum dicta (ut par est) pro verbo DEI suscipiunt, freqventaturi templum elegantibus phrasibus (freqventare domum DEI, aut ad verbum, DEI &c.) utuntur. Cæterum omnes libros expressos pro verbo DEI habent, qvasi nullum aliud studium, nisi qvo ad salutem promovemur, esset, putantes. Hinc qvandocunqve aliqvem legentem, aut scribentem viderint, eum concionem meditari existimant.

V.

DE RELIGIONE SERBORVM.

§. I.

Religionem paucis attendentes distinguimus inter Sorabos Paganos Syncretistas sive Christianos primos & Evangelicos seu Christianos secundos. Ethnici πολυθεοτητος illius Græcanicæ quidem participes non sunt facti; interim tamen ut reliqui pagani præter Deum verum (*x*) dæmonem, nymphas, Sylvasque (*y*) teste DVBRAVIO, coluisse, iisque sacrificasse leguntur.

(*x*) Deum verum sua lingva, Beli bogh, h. e. album Deum: dæmonem Zarni bogh, h. e. nigrum Deum (ut MICRÆL. annotavit *in Pom.* l. 2. c. 76.) appellarunt. (*y*) DVBRAV. *hist. Bohem.* l. 1. ex Procop. hist. Gotica: *Habent præterea Slavini lege cautum a majoribusque traditum, ut inter numerum deorum deum unum illum, qvi sit fulminis fabricator, dominum omnium rerum, ac solum Deum esse credant, illique bestias ac ejus generis alia mactent &c. hinc pro incolumitate sacrificant, habentque persvasum, per sacrificia salutem sibi redemtum iri.*

§. II.

Saxonibus autem Christianis, hi quoque seculo nono post N. C. ad Christianismum pervenere. Sed quia iisdem

S. Viti

S. Viti legenda prædicaretur ad superstitionem relabascentes memoriam S. Viti primo in idolo, ut deum; deinde, pro vitio seculi, destructo idolo, ut patronum, semper sancte (z) coluere.

(z) Hinc putat DVBRAVIVS, *natam esse formulam Slavonicam*, VITEI, VITEI *qua excipere solent, hospitem aut amicum Slavi, quasi nomine S. Viti eidem gratulantes. hist. Boh.* l. 1. p. 7. Cæterum de Viti idololatria & superstitione, ut & aliis idolis Slavicis plura differit HELMOLD. *Chron. Slav.* c. 52. 53. inter alia dicens: *Inter multiformia Slavorum numina præpollet Zvvante Wit deus terræ Rugianorum, utpote efficacior in responsis, cujus respectu cæteros semi deos æstimabant.*

§. III.

Sed denique vero hæc natio inter alias fere prima fuit, quæ e tenebris Papatus Cymmeriis lucem Evangelii conspexit (a): atque hodie non nisi purum Evangelium Augustana Confessione omnibus sordibus papisticis liberatum audit: quod Deus conservet!

(a) Intendimus ad tempora Hussitarum & Dn. Lutheri, ad seculum 16. & 17.

VI.

DE REPVBLICA.

§. I.

Vt Sorabes omnis miseriæ atque laboris patientes: sic cujuscunque servitutis (b) impatientes cum omnibus Slavinis populis. Inde semper omnibus modis eolaborarunt a prima ætate, ut Monarchiam aliorumque dominatum in se fugerent: contra vero in (c) Democratia sive Aristocratia viverent.

(b) Contra

(*b*) Contra naturam qvasi iis erat, utpote sangvine libero natis, libereque educatis servire, aliusque imperio subditos esse. Quæ etiam maxima causa fuit, ob qvam tam sæpe fidem Deo atqve Imperatoribus datam resciderunt, sibique & suis posteris fatum in felix procrearunt. Vid. MICRÆL. *in Pom.* l. 2. n. 5. & 11. &c. BANGERT. *ap. Helmold.* l. 1. c. 11. *Erant Wagrii vetustæ superstitionis & avitæ libertatis tenacissimi, nec ullam occasionem, qva excuterent jugum Romanorum, negligebant.* (*c*) DUBRAV. *hist. Boh.* l. 1. ex Procopio dicit: *Slavinorum nationes non ab uno aliqvo homine regi; sed jam inde ab antiquo plebeia communique libertate vivere, & de rebus omnibus, quæ cogitatu, factuve graviores occurrunt, communiter deliberare.* vid. MICRÆL. l. c. l. 2. c. 31.

§. II.

Denique S. Romano Imperio ad Saxones translato ab Imperatoribus Henrico Aucupe & Ottone M. funditus depressi Imperioque Romano incorporati (*d*) fuerunt. Ubi Gero primus Marchiæ Lusaticæ Administrator prædicatur (*e*).

(*d*) AVENT. l. 4. HELM. *Chron. Slav.* c. 8. n. 4. GOLDAST. l. 2. c. 3. dicit: *Circumferuntur versus antiqvi ab incerto quodam Germano Poëta imagini Henrici hujus subscripti, in qveis sub regis persona legitur.*


Wend, Dän, Sorb, Böhmen, Marcomann,
Delmantz, macht ich mir unterthan.

(*e*) Vid. WITTIK. supra cit. l. 2. Ubi MEIBOM. annotavit dicens: *Circumferuntur Rythmi, qvi idem de Gerone testantur:*

Zu Laußnitz erster Fürst waß ich
Dreissig Wendische Herren tödtet ich.

§. III.

Quod vero Magistratum SS. Romani imperii subordinatum Lusatiæ attinet, ejus toties mutatio facta, ut hic vix recenseri queat: modo enim reges Bohemorum, modo Marchiones Misnenses, modo Brandenburgenses eam obtinuerunt.



XVI.



JUSTI CHRISTOPHORI DITHMARI, Viri Celeber. & Auctoris Exercitationis, quae iterato prodit, de *Pseudo-Marchione Brandenburgensi*, *Waldemaro*, mentionem jam fecimus supra Part. II.

Num. VI. pag. 215. Scriptum hoc, quod in *Exercitat. Francofurt. Tom. III. Sect. II. Num.* 7. A. MDCCXXII. fuit publicatum, denuo prelum ſubiit A. MDCCXXXVII. in Auctoris Celeber. Sylloge Diſſertationum Academicarum, & illud Part. II. Num. IV. pag. 424. ibidem legere licet.



XVI.

XVI.

IVSTVS CHRISTOPHORVS DITHMAR

DE

PSEVDO - MARCHIONE BRANDENDENBRGENSI, WALDEMARO.

SVMMARIA.

§. I. Impostores, qui Persarum Regnum, Macedoniam, Portugalliam, Hispaniam, Angliam et Russiam turbarunt, recensentur. §. II. De ejusmodi Turbatoribus in Germania. §. III. et IV. De Pseudo-Waldemaro in Marchia Brandenburgensi, et hujus Status post Waldemari illustris obitum admodum turbati caussis, ex translatione ejus Marchiæ in familiam Bavaricam invitis nonnullis Principibus, ipsoque Pontifice R. Johanne XXII, qui Fulmen Papale in Marchionem civesque ipsi fidos vibravit. §. V. Novæ turbæ per Pseudo Waldemarum excitatæ. §. VI. Qui hominem istum verum Waldemarum fuisse existiment, et quibus rationibus. §. VII. Fuisse autem Impostorem probatur PRIMO, quia Waldemarus illustris anno MCCCXIX. obierat, quod ostenditur e literis investiturarum. §. VIII. Testimoniis Scriptorum fidedignorum. §. IX. E Privilegiis ab Agnete Vidua Waldemari Ratenaviæ confirmatis. §. X. Consensu Principum, qui de obitu Waldemari certi, Marchiam invaserunt. §. XI. SECVNDO, quod probati Scriptores Pseudo-Waldemarum IMPOSTOREM appellent. §. XII. Objectionibus respondetur desumtis ab Auctoritate Archiepiscopi Magdeburgensis. §. XIII. E Literis Electorum ad Pontificem Romanum Anno MCCCXXXVIII. scriptis. §. XIV. A numero Principum, qui Pseudo Waldemaro adhæserunt, sed ipsi ejus fabulæ Au-

læ Autores fuerunt. §. *XV. Quod de Carolo IV. Imperatore inspecie probatur.* §. *XVI. Quibus singuli privatis rationibus et commodis ducti fuerint.* §. *XVII. In specie Carolus IV.* §. *XVIII. Quo modo Albertus Dux Megapolitanus partes Pseudo-Waldemari primus deseruit.* §. *XIX. Ipse quoque Carolus imperator fraudem publice agnoveris in conventu Principum.* §. *XX-XXI. Literis ad cives Marchicos, quæ recensentur.* §. *XXII. Investitura Ludovici Romani de Marchia Brandenburgensi.* §. *XXIII. Quis fuerit Pseudo Waldemarus, et quo pervenerit* §. *XXIV. Quomodo Ludovicus Marchio tum erga fideles, tum rebelles cives se gesserit.*

§. I.

Haud defuerunt Impostores, qui legitimorum Principum personas mentiti Res publicas vehementer nonnunquam turbarunt, atque gravissimis implicuerunt bellis. PERSARVM Regnum *Pseudo-Smerdes;* (*a*) MACEDONIAM *Pseudo-Philippus*, atque *Pseudo-Perses;* (*b*) PORTVGALLIAM *Pseudo-Sebastiani;* (*c*) HISPANIAM suppositia Henrici IV. Regis Castiliæ filia, *Johanna* (*d*); ANGLIAM tempore Henrici VII. *Pseudo-Eduardi* (*e*); RVSSIAM *Pseudo-Demetrii* (*f*); aliosque populos alii ejusmodi conficti Principes haud parum afflixerunt, quorum longam seriem I. B. de *Rocoles* recenset libro *Les Imposteurs Insignes*, multis tamen erroribus referto.

§. II.

Nec Germani ab ejusmodi turbis immunes fuerunt, quippe quos *Pseudo-Friderici* aliique supposititii Principes multum atque diu olim vexarunt. Cum enim vulgo sic dicti

(a) VAL. MAXIM. lib. III. c. 2. IVSTIN. lib. I.
(b) CIC. Agrar. II. c. 2. LIV. lib. 53. EVTROP. IV. 7.
(c) CHIFLET. in *Tenneur. Expens.* cap. 7. et 8.
(d) MARIANA lib. 23. c. 4. BAPT. FVLGOS. lib. 9. c. 3.
(e) BACO VERVLAM. in *Hist. Henric.* VII. VERGIL. lib. 26.
(f) PETREIVS *in Chron. Mosc.* GOTTL. SAM. Treuers Einleitung in die Moscowitische Historie.

cti interregni tempore rumor esset sparsus, Imperatorem Fridericum II. non obiisse, sed in Palæstina latitantem mox rediturum, fuit, qui in Saxonia primum ejus personam assumsit, eoque clam e medio sublato (g), alius *Holstucb* vel *Tilocolup* nomine pro eodem Imperatore, cui facie similis fuit, se gessit, atque Rudolpho Imperatori multum negotii facessit. Nussiæ enim impostor ille receptus, tantum hominum numerum in partes suas pertraxit, ut Rudolphus Colmaria, quam obsidebat, relicta, versus Germaniam superiorem cum sua colluvie tendenti obviam ire coactus fuerit, impostore hoc tandem capto atque Wezlariæ combusto. (*h*) Neque mihi a vero alienum videtur, hunc impostorem cum sua colluvie hominum fabulæ de *Exitu liberorum Hamelensium*, qui eodem tempore accidisse dicitur occasionem dedisse, satis ceteroquin a MARTINO SCHOOKIO in *disquisit.* de *Fabula Hamelensi*, aliisque jam refutatæ. Post duos dein alios ejusmodi Seductores, quorum alter Lubecæ Friderici personam mentitus fuit, sed fraude detecta clam se inde subduxit, (*i*) alter vero Eslingæ Adolfi Imperatoris jussu fuit combustus; (*k*) quintus ejusmodi impostor post trecentos fere annos spargere haud erubuit Fridericum Imperatorem in arce Comitatus Schwartzburgici hactenus latuisse, atque cum pro illo sese gereret, a Comite Schwartzburgico tandem captus atque e medio fuit sublatus. (*l*)

(g) POMAR. in Chron. Sax. ad a. 1262.

(h) SIFFRID. PRESB. ad a. 1284. HIST. AVSTR. ad eundem annum. IOH. BEKA de *Episcop. Ultraj.* p. 94. ibique BVCHEL. in Notis.

(i) CRANTZ. in *Vandal.* lib. VII. c. 39.

(k) ANNAL. COLMAR. ad a. 1295.

(l) SPANGENB. Adel-Spiegel p. 1. lib. IX. cap. 2.

§. III.

Missis aliis, PSEUDO-WALDEMARUS, de quo nunc disserere constituimus, mangna Principum factione sibi comparata ingentes in Marchia Brandenburgensi totoque imperio motus excitavit, atque Ludovicum Electorem Brandenburgensem ad incitas ferme redegit. Waldemaro nempe ultimo (*m*) Stirpis Ascaniæ Marchione Brandenburgensi in apparatu belli contra Regem Daniæ Beerwaldæ in Nova Marchia anno MCCCXIX. die VII. Septembris defuncto atque in monasterio Chorinensi sepulto, Ludovicus Bavarus Imperator Marchiam Brandenburgensem, utpote feudum imperio apertum filio suo natu maximo insequenti statim anno (*n*) contulit, non sine magno Principum, vicinorum præsertim, invidia, qua factum, ut novus hic Elector Marchiam Brandenburgensem haud tranquille possederit, atque, ut illa tandem se abdicaret, commotus fuerit.

§. IV.

(m) Falsum enim esse, quod post illum Waldemarum adhuc duo alii Marchiones Waldemarus II. et Johannes IV. Marchiæ ad annum usque MCCCXXIV. præfuerint, ut vulgaris est opinio, alibi ostendemus.

(n) Ut liquet ex P. R. IOHANNIS XXII. anno MCCCXXI. scripta Bulla, qua Ludovicum Bavarum inter alia, quod *Brandenburgensem Principatum contra Leges atque intercessionem filio suo tradiderit*, Avenionem ad causam dicendam vocat. Vide ejus Bullæ fragmentum apud AVENT. *Annal. Bojor.* lib. VII. c. 16. Integram vero in CHRON. *Aulæ Regiæ* apud FREHER. *Script. Rer. Bohem.* p. 42. Annis autem MCCCXXIV. atque MCCCXXVIII. literas feudales atque Investituræ filio suo concessit Imperator, quas vide apud illustr. PET. A LUDWIG T. II. *Reliquiarum Diplomat.* p. 270. 274 277.

§. IV.

Marchiam enim Brandenburgensem vario prætextu statim invaserunt vicini Principes Duces Saxoniæ, Mecklcburgenses, Pomeraniæ, Brunswicenses, Principes item Anhaltini, Archiepiscopus Magdeburgensis ut & Reges Poloniæ & Bohemiæ, (*o*) quibus ejiciendis diu, multumque laboravit Ludovicus Marchio. Molestias vero illas auxeruut P.R. Johannes XXII. &, qui ejus consilia fovebat, Episcopus Lebusiensis Stephanus II. de Petzko dictus. Etenim Pontifex ille, obscuro (*p*) alias loco natus summum in rebus secularibus pariter ac Ecclesiasticis per totum Christianum orbem imperium affectabat, atque vicariatum nonsolum imperii sibi competere, sed & absque suo consensu imperatorem non constitui posse inter alia pessima dogmata (*q*) contendebat; eamque ob causam Ludovicum Bavarum, quod absque suo præscitu & consensu imperator esset electus, & filio suo Marchiam Brandenburgensem contulisset, insuperque Matthæum Galeatium Vice-Comitem Mediolanensem, hæreticum (dogmata enim & consilia P.R. non approbabat) defendisset, Avenionem ad causam dicendam (*r*) vocaverat, non vero comparentem una cum illis, qui ei adhærebant anno

(o) CHRON. *Aulæ Regiæ* apud FREH. *Script. Rer. Bohemic.* p. 32.

(p) Patre Sutore Veteramentario vel misero Cerdone natus. SPANH. *Hist. Christianæ* p. 1742. oper. Geogr. et Hist.

(q) De quibus vide BVLÆVM in Notis ad *Vitas Pap: Avenion:* p. 689. et seqq. ut et Decretum comitiorum Reginoburgense adversus Johannem XXII. apud AVENT. *Annal. Boj.* lib. VII. 16. atque Ludovici Bavari Literas ad OTTONEM *Ducem Brunsw.* LEIBNITZ. *Cod. Dipl.* P. 2. p. 149.

(r) Bullas Papales vide apud AVENT. l. c. et in CHRON. *Aulæ Reg.* ad a. 1324.

anno MCCCXXIV. excommunicaverat. Quod Pontificis Fulmen etsi multi quoque Episcopi non approbarent, memoratus tamen Lebusiensis Episcopus Ludovicum Marchionem, ac cives Francofurtanos, qui cum paucis aliis huic nihilominus fidi (s) manebant, omni modo vexare studebat, atque negatarum sibi ab his decimarum prætextu arma arripuit, Lithuanis in auxilium arcessitis, a quibus Marchia Brandenburgensis miserrime tum fuit devastata; (t) Post quorum immanium hostium vel latronum potius discessum, cum a civibus Francofurtanis, templo Goricii Cathedrali, aliisque ædificiis Ecclesiasticis dirutis, Episcopus captus, sed certis conditionibus post annuam custodiam iterum dimissus esset, facile is a Pontifice obtinuit, ut Cives Francofurtani ad solvenda undecim & sexcenta quadraginta marcarum millia condemnati, iis vero non solutis anno MCCCXXXVIII. una cum Ludovico Marchione, & qui illi adhærebant, fuerint (u) excommunicati.

§. V.

Dum adversis his rebus affligeretur Lubovicus Marchio, anno MCCCXLVII. quo Pater ejus Imperator non absque suspicione accepti veneni obiit, novas in Marchia Brandenburgensi turbas excitavit homo, qui Waldemari illustris

(s) Multis beneficiis propterea tum ab Imperatore Ludovico Bavaro, tum Marchione Brandenburgensi Ludovico Seniore ornati. Vide WOLFG. IOBST in descript. Civit. Francof. cum BECMANNI *Access.* cap. X.

(t) Qua de re CHRON. *Aulæ Reg.* p. 52.

(u) Bullam excommunicationis, cujus tabulæ in Archivo Civit. Francof. adhuc asservantur, recensent BRUNNEMANNUS in *Addit.* ad *jus Ecclesiast.* lib. II. c. 19. §. 12. atque BECMANNUS d. l. c. 13.

lustris personam mentitus (*x*) spargebat, Waldemarum non obiisse, sed loco ejus alium fuisse sepultum, se vero, utpote verum Waldemarum pœnitentia matrimonii cum conjuge sanguine nimis sibi propinqua ductum clam in peregrinas oras abiisse, atque nunc reversum fuisse, ut ditiones suas ab injusto possessore legitimis heredibus vindicaret, quibus ut fidem faceret, ad Magdeburgensem primum Archiepiscopum, Ottonem, se contulit, atque annulo Waldemari signatorio ostenso, aliisque indiciis huic non solum, sed & Duci Saxoniæ pariter ac Anhaltinis, Meckleburgicis aliisque principibus, ipsique Carolo IV. Imperatori persuasisse dicitur, ut verum Waldemarum esse rati, in recuperanda Marchia Brandenburgensi, de qua Imperator quoque eum (*y*) investivit, auxilium ei præstiterint.

§. VI.

An ergo iste homo, qui Waldemari personam præ se ferebat, verus fuerit Waldemarus, an vero Impostor? est, de quo disceptari solet, atque prius præter alios J. B. ROCOLES *cit. lib.* & Cl. BECMANNUS in *Chron. Anhalt.* P.V. p. 33. contendunt, commoti primum testimoniis scriptorum Anhaltinorum, ac præcipue auctoritate Archiepiscopi Magdeburgensis, de quo CHRON. MAGDEB. *cit. loc. Hunc*, refert, *Virum iste Dominus Otto Archiepiscopus tenuit pro vero Marchione, asserens in fide me audiente, quod ipse esset ille idem verus Marchio Waldemarus, qui putabatur esse sepultus.* Deinde quod in literis

(x) Vide, qui pluribus hæc referunt, ALB. ARGENT. p. 146. H. REBDORFF. ad a. 1348. CRANTZ. lib. 8. *Vand.* DUBRAV. lib. 22. CHRON. MAGDEB. apud *Meib.* T. II. p. 342.

(y) Literas investituræ, in castris juxta pagum Hunersdorff datas vide apud Cl. BECMANNUM in descript. Civit. Francof. p. 105.

ris, quas Electores anno 1338. ad Pontificem Romanum scripserunt, Waldemari mentio fiat. Ita enim hæ literæ apud LEIBNIZIVM *Cod. Dipl.* p. 149. inscribuntur: *Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Domino Benedicto Papæ: Vestri devoti filii,* HENRICVS *Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Moguntinus, Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam Sacri Imperii Archi-Cancellarius:* BALDVINVS, Archiepiscopus Trevirensis Cancellarius Galliæ. WALRAMVS *Archiepiscopus Coloniensis, Cancellarius Italiæ:* WALDEMARVS *Marchio Brandenburgensis, Camerarius:* RVDOLPHVS *Palatinus, Dapifer:* RVDOLPHVS *Dux Saxoniæ portitor ensis, Romanorum Regis & coronandi Imperatoris legitimi Electores.* Quod præterea homo iste a multis Imperii Principibus ipsoque Imperatore Carolo IV. pro vero Waldemaro habitus, atque in recuperanda Marchia Brandenburgensi, adjutus fuerit, maximaque insuper Civium Marchicorum pars ut legitimum Dominum suum agnoverit.

§. VII.

His tamen rationibus non obstantibus impetrare a nobis non possumus, ut Virorum illorum sententiæ subscribamus, e contrario autem hominem istum veri Waldemari personam mentitum, & impostorem fuisse, censemus, quod primum Waldemarus, Marchio Brandenburgensis illustris appellatus, anno MCCCXIX. revera obierit, atque Ludovicus Imperator filium suum Ludovicum Seniorem, de Marchia Brandenburgensi, utpote feudo Imperio per mortem Waldemari aperto investiverit, ut ex literis investituræ liquido apparet. Verba illarum Literarum de anno MCCCXXIV. apud ill. PET. à LVDWIG T. II. *Reliquiarum Diplomat. & Monument.* pag. 270. ita sese habent: *Quapropter ne Principatus ac Marchia Brandenburgensis ac nobilis Archicameratus Imperii ibidem*

cum

cum Ducatibus Stetinensi & Deminensi terra Stargarensi, comitatu Wernigerode & omnibus aliis terris, comitibus & dominiis, que MORTE CLARE MEMORIE QVONDAM WALDEMARI *Marchionis Brandenburgensis, Principis nostri Karissimi, qui absque heredibus masculis & premissorum pheodorum Capacibus* DE MEDIO EST SVBLATVS, *sicut ipsa in pheodum a Sacro tenuit imperio, ad nos fuerunt & Imperium jure pheodi devoluta, viduitatis commoda diutius deplorarent, predictum Principatum ac Marchiam Brandenburgensem, cum Archicameratu, Ducatibus & dominiis predictis, nec non cum omnibus aliis, que occasione predictorum predictus* QVONDAM *Marchio* WALDEMARVS *tenuit ac possedit omni modo & forma, quibus dejure & consvetudine hec fieri debuerunt, illustri Ludovico filio nostro primogenito ac heredibus suis contulimus & conferimus per presentes .... sicut dominus* INCLITE MEMORIE QVONDAM WALDEMARVS *Marchio eadem etiam* IN VITA SVA *tenuit ac possedit.* In diplomate, quo superiores literæ anno MCCCXXIIX. confirmatæ leguntur in *cit. libro* p. 274. *Sane,* inquit idem Imperator, *vacante imperio principatu Marchie Brandenburgensis per* OBITVM *Waldemari, olim Marchionis Brandenburgensis de cujus femore vel domo nullus descendit vel superstes fuit heres sexus, ut oportuit, masculini* &c. Huic diplomati testes subscripsere Rudolfus Dux Saxoniæ, Henricus Dux Brunsvicensis, Ludovicus Dux de Teceke, Ulricus Landgravius Alsatiæ, aliique plures imperii proceres, quos simulato quodam Waldemari obitu deceptos fuisse ad unum omnes, quis crederet?

§. VIII.

Accedit, quod Scriptores fide digni Waldemarum anno MCCCXIX. obiisse, unanimi testentur consensu. ALBERTVS ARGENT *pag. 121 Eisdem,* scribit, *temporibus anno* MCCCXIX. *Mense julio* (rectius *Septembri*) OBIIT *Waldemarus*

Marchio Brandenburgensis absque liberis, Marchionatus dispositione ad imperium devoluta. CHRONICON AVLAE REGIAE apud FREH. *Script. Rer. Bob.* p. 32. *Anno* refert, MCCCXIX. *& mense* (Septembri) *prædicto, pius & pacificus Waldemarus, Marchio Brandenburgensis, qui potentia & divitiis super omnes suos antecessores Marchiones excreverat, sine heredibus & liberis* EST DEFVNCTVS. POST HVIVS OBITVM *tota luget Saxonia.* CRANTZIVS *Hist. Dan.* lib. VII. cap. 27. *Quum ita*, scribit, *maximi utrinque.* (Ericum nempe Regem Daniæ & Waldemarum Marchionem Brandenburgensem) *bellorum fierent apparatus*, MORS *Marchionis rem omnem diremit.* Idem Scriptor in *Saxonia* lib. IX. c. 34. *compertum*, ait, *tenemus* MORTE WALDEMARI *Marchionis, qui legitimum sui corporis, &, quod est mirabilius, sui sanguinis heredem non haberet, cum tamen ante paucos annos novem supra decem numerarentur Marchiones hujus tituli de Brandenburgo.* CHRONICON. EPISC. VERD. T. II. *Script. Rer. Brunsv.* p. 219. *Bona, quæ Dominus Waldemarus, Marchio Brandenburgensis ab Ecclesia in pheodo tenuit*, per MORTEM *ejus vacantia, contulit Ottoni de Lunenborch.*

§. IX.

Missis aliorum Scriptorum, qui Waldemarum anno MCCCXIX. defunctum fuisse referunt, testimoniis, idem luculenter quoque confirmant Literæ, quibus Agnes Waldemari Vidua paucis post mariti sui obitum hebdomadibus Civibus Ratenaviensibus privilegia hunc in modum confirmat. *Nos Agnes D. G. de Brandenborg Marchionissa recognoscimus publicis his literis, quod nostros fideles Cives, Civitatis Rathenaw universos & singulos in omnibus juribus, quibus hactenus usi sunt, ex nunc confovere volumus & favorabiliter conservare, faventes eisdem civibus favore benigno, ut post nostræ Vitæ exitum Principi & Domino commaneant & adhæreant, sui cives Civitatis Brandenburg &*

& Nauen tunc temporis adhærebunt, in quorum omnium evidentiam pleniorem præsentes literas nostro Sigillo dedimus sigillatas, adhibitis testibus Conrado de Ostenburg &c. *Actum & datum in prædicta Civitate Rathenaw anno domini* MCCCXIX. *feria ante Matthæi Evangel.* Vivo certe marito, nec opus fuisset privilegia Ratenaviensibus confirmare, nec facere quoque id potuisset Agnes, quæ his literis Waldemarum obiisse eo insuper ipso, quod anceps hæreat, quem Marchia dominum sit habitura, diserte satis innuit.

§. X.

Eodem præterea anno MCCCXIX, quo commemorati Scriptores Waldemarum obiisse referunt, Principes vicini Marchiam Brandenburgensem vario juris prætextu invaserunt, partesque ejus in suam quisque redegerunt potestatem, ut CHRONICON AVLAE REGIAE loco supra citato his porro verbis testatur: *Igitur circumsedentes Principes tanti principis liberis orbati obitum audientes mox inceperunt viciniores sibi occupare civitates. Henricus Dux Silesiæ, Bolconis Ducis filius Görlitz obtinuit, & Lubanum, licet antiquis temporibus ad Regnum spectaverint Bœmorum. Johanni vero Regi Bohemiæ Barones & cives de districtu Budissinensi homagium præstitere. Porro Johannes Rex Bœmiæ cupiens plura de illis, quæ præfatus Marchio possederat, obtinere, cum trecentis galeatis hominibus incepit mense Septembri partes Lusatiæ,* & *fines Saxoniæ visitare. Oppidum, quod Sumerfeld dicitur, tunc obtinuit. Sed infra duos menses id ipsum, quod acquisiverat, cum damno amisit. Gubin Civitatem Rex fortiter oppugnavit, sed abinde modicum utilitatis aut commodi reportavit.* In veterem præterea Marchiam Archiepiscopus Magdeburgensis, atque Otto Dux Brunsvicensis, Uckeram vero Dux Pomeraniæ atque Mecklenburgensis irruperunt, certo videlicet documento, quod de obitu Waldemari persuasi fuerint omnes.

§. XI.

Uti vero ex his, quæ hactenus disseruimus, satis, opinor, Waldemarum Anno MCCCXIX. obiisse constat, ita hominem illum, qui postea ejus personam sumsit, pro impostore habent veteres pariter ac recentiores fide digni scriptores ad unum omnes. HENRICUS REBDORFFIUS de illo homine ad annum 1348. *Hic*, scribit, *post sex annos ad molendinum suum revertitur, quod prius erat molitor & deceptor.* ALB. ARGENT. p. 146. *Rudolphus autem Dux Saxoniæ quendam in terra sua, similem quondam Waldemaro Marchoni in Brandenburg inveniens, eum Marchionem fingens esse (pretensis multis figmentis, qualiter olim Marchio se fingens mortuum a terra clam recesserit ex causa pœnitentiæ, alio nomine ipsius defuncti) multas civitates Marchiæ ad recipiendum eum induxit.* ENGELHUSIUS in *Chron.* ad a. 1343. *Marchio Brandenburgensis Woldemar, qui mirabilem & sumtuosissimam curiam in Rostock celebravit,* FINGITUR *rediisse, quodam Molendinario ei facietenus simili, per quosdam principipes pro eo introducto, ut terram obtinerent, versus.*

Millenis trecentenis & bis tria senis
Ex Marchia verum pellens PHANTASTICUS *herum,*
Marchio narratur fore, sed si sit dubitatur.

BOTHO *in Chronic. Brunsvicensi pict.* apud illustr. LEIBNIZIUM S. R. B. T. II. pag. 379. *In dussem sulven jare verhoff sien ein molre, unde de heyt Meineke Molre, mit hulpe unde rade itliker Forsten, unde he sprack he were nicht gestorven. Hyt kam to manig Here unde Forste to voren Hertoghe Roleff to Sassen, de des Marggraven Woldemars dackte. Unde Hertoghe Henrick to Brunswick, ein Heer to Embecke de Syn dochter gehat hadde. Dusse molre de sede öne so vele, dat itlicke Forsten det loveden, wol dat dusse twe vorbenœmde Forsten darby gestan hadden, dat me Marggreven*

Woldemar

Woldemar begraven badde to Korvey in dem Closter, des was kegen unde twentich jar, dar sede dusse molre upp he were envveg gegan bemelsken, unde einen toden man in syn bedde gelacht unde de vvere vor öme begravven. Hyr van so vvare ein by sprocke mangk dem Volcke, me sande Olde Lude to öm, de in des Marggreven Woldemars hovegevvesen badden, den eyns sede he so vele vvartekens dat des dat Volck lovede, eyns deyls lude seden he vvere bedefart gegan, eyns deyls Lude seden he vvere umme den vvillen ghan, dat öme syn gudemans vvolden vorgeven. De lude de gingen öm entiegen mit crütze unde fanen. Weder dussen upstandem Woldemar satten sich Marggreve Ludevvich, Kaysser Ludevvickes sone den syn Vader de Marck beleck, do Woldemar starff. Hyr van se vvart ein svvar Krich, dat de Marcke an borge, an stede, unde an törppen schentelicken vvorden vordarfft, dat stod negen jar, do kam dat ut, dat de Marggreve beyt Meincke Morle. AVENTINUS *Annal. Bojar.* lib. VII. cap. 20. p. 756. *In Brandenburgensi regno pistor quidam se Waldemarum Ludovici decessorem, cui quam simillimus erat, simulat ope & armis Caroli adjutus quasdam Urbes capit. Eo Ludovicus, filius Augusti cum Ruperto praefecto pretorio Rheni patruele suo infesto exercitu contendit adversus* PSEUDO-WOLDEMARUM *pugnat.* Eandem fraudem agnoscunt, ejusque simul originem referunt DUBRAVIUS, AUTOR *Hist. Alberti II. Episc. Halberstad.* apud Leibnizium T. II. aliique Scriptores plures, quorum verba infra suo loco adducemus, Garzaei, Haffritii, Leuthingeri, Angeli aliorumque Scriptorum Marchicorum testimoniis nunc missis.

§. XII.

Etsi igitur ex argumentis adductis fraus atque impostura *Pseudo-Waldemari* satis luculenter appareat, quae tamen in contrarium afferuntur rationes, ut, cui innitantur fundamento intelligatur, paulo quoque penitius examinabimus.

Quod

Quod vero primum ad Scriptores Anhaltinos attinet, qui a laudatis Viris pro confirmanda sententia sua adducti sunt, tantum illis in hac causa non existimamus tribuendum, ut ipsorum autoritate sit standum atque acquiescendum. Præterquam enim quod videntur partibus studuisse Principum suorum, qui impostorem illum instar veri habuerunt Waldemari, auxilioque adjuverunt, recentioris quoque temporis illi sunt, quibus proinde veterum scriptorum, quos supra commemoravimus, testimonia multum præferri debent. Neque Autoritas Archiepiscopi Magdeburgensis, qui impostorem eundem verum Waldemarum credidisse refertur in *Chronico Magdeburgensi* apud *Meibomium* cit. loc. magis nos commovet, quippe cum Archiepiscopus ille, ut infra probabitur, inter autores fuerit ejus fabulæ, atque memorati chronici Autor, etsi Archiepiscopum verba supra recensita de Pseudo Waldemaro proferentem ipse audiverit, hominem tamen illum impostorem fuisse censuerit, ita enim is *ibid.* p. 343. sex. lib. *His temporibus surrexit quidam Vir opinione quorundam rusticus, vel ut dicebatur molendinarius, qui dixit se esse Waldemarum Brandeburg. Cum tamen verus Marchio Waldemarus ante XXIX. annos fuerit mortuus, atque in Coryn, Claustro Ordinis Cisterciensis præsentibus pluribus nobilibus utriusque sexus fuerit sepultus.*

XIII.

Quod deinde ad Electorum attinet literas, quas ad Benedictum XII. P. R. anno 1338. scripserunt, aperto errore WALDEMARI Marchionis Brandenburgensis in illis fit mentio, quippe cum nullus tum Marchio Brandenburgensis Waldemari nomine fuerit cognitus. Verum enim Waldemarum jam diu ante obiisse illo tempore crediderunt omnes, fabula autem de Waldemaro redivivo anno demum 1348.

ludi

ludi cœpit, atque Ludovicus Senior, Ludovici Imperatoris filius natu maximus Marchiam Brandenburgensem tum possedit. Circa nomen quidem Electoris Palatini quoque in illis literis erratum fuisse atque Rudolphum Palatinum Dapiferum anno 1327. jam obiisse, censent ADLZREITERVS *Annal. Boj.* p. II. lib. III. p. 57. atque Cl. GVNDLINGIVS in *Differt.* de *causa & origine Unionis seu Fœderis Electoralis* pag. 57, 58. sed vereor, ne cum Rudolfo ejus frater confundatur natu major Adolfus, qui comitatu Palatino ob debilitatem animi se abdicaverat, atque anno 1327. decesserat. Rudolphum enim, qui illi successit anno 1349. adhuc vixisse atque cum aliis Electoribus Comitem Swartzburgicum, Güntherum elegisse, testis est H. REBDORFFIVS, qui ad illum annum, *anno, scribit, tertio regni Caroli mense Februarii, Güntherus comes de Swartzburg in Thuringia in odium Caroli per aliquos Electores regni, videlicet Henricum depositum Archiepiscopum Moguntinum, Ludwicum Marchionem Brandenburgensem,* RVDOLPHVM *& Rupertum fratres duces Bavariæ, & Comites Palatinos Rheni, nec non quendam ducem Saxoniæ, patruelem Rudolphi prænominati ducis Saxoniæ in Regem Romanorum in Francfort eligitur.* Imo anno demum 1353. hunc Rudolphum obiisse consentiunt Annales. Propter errorem tamen circa nomen Marchionis Brandenburgensis integram illam epistolam, quam *Albertus* quoque *Rosate* se legisse testatur, cum Adlzreitero suspectam habere nollem, sed Electorum nomina literis tantum initialibus expressa fuisse, atque L. in W. mutato, ab ignaris amanuensibus *Ludovici* loco, *Waldemari* nomen scriptum fuisse, cum laudato C. Viro *Gundlingio* l. c. conjicio. In *Unione* enim *Electorali*, quæ eodem tempore inita fuit, Ludovicus Marchio Brandenburgensis commemoratur apud LVNIGIVM Reichs-Archiv *Parte Spec.* p. 218. Vide quoque Cl. GVNDLINGIVM *Cit. diss.* p. 55.

§. XIV.

Neque præterea magnus vel Principum, qui Pseudo-Waldemaro adhæserunt, vel Civium Marchicorum, qui legitimo Domino suo deserto ad eundum defecerunt, facit numerus, ut supra laudatorum Virorum sententiæ subscribam, quippe cum præcipui illorum Principum ipsi ejus imposturæ autores, reliqui vero privatis singuli rationibus atque commodis acti fuerint, cives autem Marchicos facile in suas partes pertraxerint. Certe Ottonem Archiepiscopum Magdeburgensem, Rudolphum Saxoniæ Ducem, Principesque Anhaltinos, ut & Carolum IV. Imperatorem ejus fraudis Autores extitisse scriptores fide digni diserte referunt. H. REBDORFFIVS ad a. 1348. *eodem*, memorat, *anno in Marchia Brandenburgensi surgit quidam, qui se asserit Marchionem Waldemarum, qui (ut supra) Ludovvicum elegit in Regem, dicens se fuisse in pœnitentia* XXVIII. *annis ex revelatione divina, & abeuntem a terra, & non mortuum: Licet homines illius terræ priorem Waldemarum ante annos præscriptos fuisse naturali morte defunctum asserant: Et quia similis in facie & in moribus Waldemaro erat, & multa intersigna de actibus Waldemari hominibus ad memoriam revocavit, Rudolphus Dux Saxoniæ & Archiepiscopus Magdeburgensis istum novum Waldemarum in odium Ludvici Marchionis, filii Ludvici (qui terram non tractaverat gratiose) pro Marchione suscipiunt, & maxima pars eidem, ut Marchioni obedit. Propter quod Ludvicus prædictus ad Marchionatum redit cum debili potentia armatorum. Et Rex cum novo Waldemaro, Duce Saxoniæ & Archiepiscopo prædictis cum magna potentia terram ingreditur, ac incendiis & prædis undique molestant, ac ipsum Ludvicum obsident in Franckenfurt spectantem ad Marchionatum.* ALB. ARGENT. p. 146. *Rudolphus*, scribit, *Dux Saxoniæ quendam in terra sua similem quondam Waldemaro Marchioni in Brandenburg inveniens eumque Marchionem fingens esse, (prætensis multis figmentis, qualiter olim Marchio*

se

se fingens mortuum a terra clam recesserit, ex causa pœnitentiæ alio nomine ipsius defuncto) multas civitates Marchiæ ad recipiendum eundem induxit. Et veniens Rex repente cum magno exercitu Bohemorum quasi totam Marchiam a Ludovici Marchionis ditione retraxit.

Qui insuper eodem tempore vixit, AUTOR HISTORIAE ALBERTI II. *Episc. Halberstad apud* LEIBNIZIUM T. II. S. R. B. p. 152. *Dominus*, refert, *Woldemarus quondam Marchio Brandenburgensis in communi opinione hominum, imo secundum rei veritatem mortuus & sepultus, ejus etiam uxore legitima post tempus luctus congrue expectante, & ad vota secunda transeunte in anno 29. post ejusdem Marchionis obitum propter quasdam discordias inter Dominum Ludovicum Marchionem Brandenburgensem ex una, & Dominum Ottonem de Hassia, Magdeburgensem Archiepiscopum, Rudolphum Ducem Saxoniæ, Albertum & Woldemarum fratres de Anhalt parte altera exortas: Idem Archiepiscopus & Dux & Comites astute procedentes ipsius Ludovici Marchionis potentiam merito formidantes, nec cum humiliare vel sibi adæquare ipsum Marchionem quoque non potuissent, apud se non recte cogitantes quod veritate non poterant, saltem cum ficta malitia præsumebant.* FINXERUNT *enim Dominum Woldemarum quondam Marchionem Brandenburgensem, cujus Successor erat Marchio Ludovicus, dicentes, ipsum Woldemarum vere non fuisse mortuum, sed simulate, & tempore suæ simulatæ mortis amore Dei in longinquum propinquasse, & alium suo nomine traditum solenniter Ecclesiastica sepultura, & peracta poenitentia 29. annis ad propria rediisse, Principatum Marchiæ ceteraque bona ob justam putæ peregrinationis ad tempus relicta posse recuperare & repetere, occupare & invasorem quemlibet violentum & detentorem illicitum amovere. Quærebant enim hominem aliquam similitudinem Woldemari Marchionis habentem, actus & facta terræ per se scientem, vel ab aliis informatum & apud ipsos aliquo tempore innutritum, qui se diceret Marchionem Woldemarum Brandenburgicum. nec aliquando mortuum se fuisse, nisi a tempore solo prout monachus mortuus fingitur*

tur juris fictione. Et sic Civitates, castra, milites, famulos & incolas Marchiæ nunc persuasionibus, nunc minis, nunc terroribus, nunc oppressionibus variis callide seduxerunt, & inducentes mentes simplicium ad consentiendum simulationi, & acceptatum simulatum & falsum Marchionem, qui nimium creduli tanquam bos ad victimam ducti consenserunt, paucis tamen duntaxat exceptis, qui usi saniore consilio, credere noluerunt. Cæteri vero prædictum, simulatum & falsum, alio nomine dictum Mehlsack *in magno honore, pompa & æstimatione tanquam verum Marchionem receperunt, munitiones, civitates, & castra eidem præsentantes, homagia fidelitatis juramenta, non obstantibus prioribus præstitis Domino Ludovico Marchioni Brandenburgensi. Sed sibi in sua propria salutis dispendium faciebant, advocatis etiam & officiatis Ludovici Marchionis nimium crudeliter ejectis penitus & amotis. Ex quibus omnibus bella gravia, strages hominum, infinitaque rerum & corporum sunt pericula consecuta. Dic ergo modo, quis audivit tot & talia per solennes Principes fere facta?*

§. XV.

De Carolo IV. Imperatore DUBRAVIUS *Hist. Boh.* lib. 22. ingenue ita scribit: *Cæterum adversus ipsum Marchionem, qui rebellis esse Germaniamque turbare contra Carolum non cessabat, alia ratio est inita. Nec enim jam dignum illum esse Carolus judicavit, cum quo ipse contenderet, sed æmulum illi excitavit, qui se Waldemarum Marchionem, cujus nomen apud Brandenburgenses valde gratiosum erat, diceret, rumoremque de morte sua sparsum, nonsolum peregrinatione sua longinqua, sed ætate, formaque & statura insuper refelleret. Nam iis omnibus haud dissimilis in Waldemarum fuit.* Et paulo post: *Id vero Ludovico gravissimum ad tolerandum erat, quod ipsorum etiam Principum ille* (ut ipse dicebat) *nebulo mentes, oculosque adeo hebetaret, ut nec judicium nec veritas apud eos valeret. Cujus igitur discrimini se offerre, quam tale ludibrium*

brium diutius ferre destinavit, atque omnes copias, quas ex Bavaria, Carinthia, Styria & aliis mediterraneis locis, tum etiam ex maritimis civitatibus cogere potuit, ad oppidum Francofurtum contraxit. Quibus ne Waldemarus succumberet, aperte tandem Carolus, nihil sibi ad celeritatem opis ferendæ reliquum fecit. Habuitque in castris suis Archiepiscopum Magdeburgensem, Rudolphum Saxoniæ, & Albertum Megapolensem Principes, & Comitem Anholtum. Castra utraque uno minus miliari à se distabant, prompto ad congrediendum Ludovico, si Duces militiæ ejus ad dissuadendam pugnam obviam non processissent, quasi miseratione permoti futuræ tot utrinque cædis nobilium ob unius LATRUNCULI *impudentem audaciam subeundæ, quem alia paulo post ventura pœna illo digna maneret. Sed hæc Duces Carolo gratificantes à quo erant corrupti, dicebant, qui jure suæ ipsius conscientiæ metuebat, ne ipse reus apud Deum ejus sanguinis efficeretur, quicunque in prælio, si ad manus ventum esset, funderetur.*

§. XVI.

Singuli vero hi Principes suas ejus imposturæ rationes habebant peculiares, privatisque in subornatione hujus Pseudo-Waldemari ducebantur commodis. Rudolphus enim Dux Saxoniæ atque Principes Anhaltini proximi erant defuncti Waldemari agnati, quippe ab Alberto Urso communi Stirpe orti, atque ægerrime ferebant, quod Marchia Brandenburgensi, quam jure agnationis sibi deberi contendebant, essent privati, turbisque ejusmodi excitatis voti sui compotes se fore sperabant, accepta ab imperatore Carolo IV. eodem tempore, quo is Pseudo-Waldemarum de Marchia Brandenburgensi prope pagum Hünersdorff investivit, ejus Marchionatus simultanea investitura, magna quoque Civium Marchicorum parte commota, ut fidem ipsis addixerint, si Pseudo-Waldemarum contingeret mori, ut ex Tabulis liquet apud Cl. BECMANNUM *in Hist. Anhalt.* P. V. lib. I.

c. 6. p. 33. & 34. Archiepiſcopus Magdeburgenſis vicinis Veteris Marchiæ ditionibus inhiabat, magnamque ejus partem obtinuit, ut AVTOR ANONYMVS *Chronici Magdeburgenſis* p. 342. his teſtatur verbis: *Archiepiſcopus cum tota potentia ſua aſſiſtebat ei* (Pſeudo-Waldemaro) *juvando eum ad recuperandam terram Marchiæ, de qua terra Marchionatus ille acquiſivit magnam partem, ut dictum eſt, & ipſe Dominus Archiepiſcopus de hoc habuit partem ſuam pro Eccleſia in recompenſationem expenſarum: Videlicet caſtrum* JERCHAW *cum terra adjacente*, SANDAW *caſtrum & oppidum cum attinentibus, caſtrum* PLAWE, *caſtrum* PLOTE *cum Villis annexis.* Duces Pomeraniæ, quos Pſeudo-Waldemaro quoque adhæſiſſe idem CHRONICON memorat p. 341. Ludovico Marchioni infenſi erant redditi, ex quo non ſolum Ukeram Marchiam extinctis Marchionibus Aſcaniis ſibi reſtitui fruſtra petiverant, ſed & Ludovicus imperator filium ſuum de Ducatu Pomeraniæ ut Marchionatus Brandenburgici Subfeudo inveſtiverat, juxta Tabulas in *cit. Reliquiis Diplomat.* T. II. p. 270. & 286. unde perpetuæ dein lites inter Marchiones Brandenburgenſes & Duces Pomeraniæ ortæ fuerunt, ita tandem compoſitæ, ut Marchionibus Brandenburgenſibus ſpes in Ducatu Pomeraniæ extinctis maſculis heredibus ſuccedendi relicta, variisque pactis confirmata fuerit, qua de re vide pluribus SCHVRTZFLEISCH. in *Orig. Pom.* §. 8. & 9. Duces Mecklecurgenſes propterea a Carolo IV. in numerum Imperii Principum fuiſſe relatos, ut partes amplecterentur Pſeudo-Waldemari, DVBRAVIVS l. c. his verbis teſtatur. *Acceſſit mox frequens nobilitas poſtquam Albertus & Johannes Comites Megapolenſes, Praga domum reverſi ſunt, cum ampliore quam exierant dignitate. Ambos enim Carolus ad Principalem honorem extulit, unam hanc beneficii gratiam exigens, ut Waldemaro in aſſerenda, quam vocant, Marchia adjutores ſe præberent, quod quidem Albertus ſedulo præſtabat, jamque gravis Ludovico*

dovico Marchioni ingruebat, ut extremum ille a Rege Daniæ, affine suo auxilium cogeretur implorare.

§. XVII.

Inter Ludovicum Imperatorem & Johannem Regem Bohemiæ, atque filios utriusque Ludovicum Marchionem Brandenburgensem & Carolum odium plus quam Vatinianum fuit ortum, ex quo Ludovicus Imperator Henrico Carinthiæ Duce mortuo, Carniolæ atque Carinthiæ ducatus Principibus Austriacis concesserat, solo Tyrolensi comitatu filiæ Henrici, Margarethæ Maultaschiæ, quæ Johanni Regis Bohemiæ filio nupserat, relicto, tantæ Regis illius indignationi, ut teste ALB. ARGENT p. 125. ex illo tempore *contra Principem moveretur odio capitali; juramento affirmans publico se nunquam reformaturum eidem: Papam etiam, Regem Franciæ & Henricum Ducem Bavariæ, item Reges Hungariæ & Cracoviæ incitans contra ipsum.* Vehementer illud odium postea fuit auctum, cum Margarethæ illius divortium a marito Johanne per sententiam publicam, quam LEIBNIZIVS in Cod. Dipl. N°. LXXXII. refert, adprobaret, atque filio suo Ludovico seniori, Marchioni Brandenburgensi in matrimonium eam collocaret, qua de causa teste H. REBDORFFIO ad a. 1344. in conventu Principum Bacharaci *Johannes Rex Bohemiæ conquestus est graviter prædictis Principibus contra prædictum Ludvicum, & Ludvicum filium suum Marchionem Brandenburgensem, super eo, quod filio suo Uxorem suam & comitatum Tyrolis in Alpibus abstulerat violenter.* Johanne quoque & filio ejus Carolo autoribus fœdus cum multis imperii Principibus contra Ludovicum Imperatorem in iisdem comitiis fuisse initum idem scriptor paulo infra refert. In nervum vero hæ simultates eruperunt, postquam Ludovico in comitiis anno 1346. Rensæ habitis exauctorato, Carolus Patris sui & Pontificis

Romani

Romani instinctu Imperator fuit constitutus, unde bellum civile inter utrumque fuit ortum, in quo Ludovicus Marchio Brandenburgensis Patris sui, quoad is viveret, partes non solum strenue defendit, sed & eo mortuo insignia Imperii, quæ a Patre acceperat custodienda, Carolo tradere noluit, atque sua potissimum commendatione effecit, ut Comes Swarzburgicus Guntherus in Imperatorem electus atque Carolo fuerit oppositus, ut pluribus referunt ALB. ARGENT. p. 144. & seqq. H. REBDORFFIUS ad a. 1348. Hinc vero illæ lacrymæ, atque mutui illius inter Carolum & Ludovicum Marchionem Brandenburgensem odii causæ, quibus factum, ut ille æmulum quoque circa Marchiam Brandenburgensem, Pseudo-Waldemarum, huic excitaverit. Quod vero ad Cives Marchicos, qui Pseudo huic Waldemaro adhæserunt, attinet, illos vel minis atque vi, vel promissionibus atque spe beneficiorum ad deserendum Ludovicum coactos atque inductos fuisse, patet tum ex *Historia Alberti II. Episc. Halb.* cujus verba supra recensuimus, tum ex privilegiis, quibus inter alias Civitates Prenslaviam atque Spandaviam in defectionis suæ remunerationem ornatas fuisse refert LOEKELIUS in *Marchia illustrata MSCta.* De Veteris autem Uckeræ atque Mediæ Marchiæ civibus hæc intelligi debent, exceptis nonnullis Civitatibus, Belizensi, Landsberga veteri, & præcipue Francofurtana, quæ cum Civitatibus & Nobilibus Neo-Marchicis, itemque Equitibus Ordinis Johannitici, ut & collegiis multis Ecclesiasticis Ludovico fidi manserunt, & propterea una cum ipso a Clemente VI. P. R. excommunicati fuerunt, juxta Bullam Papalem, quam ex Archivo Civitatis Francofurtanæ ediderunt STRYKIUS in Notis ad BRUNNEM. *Jus Eccles.* lib. II. c. XIX. p. 706. & BECMANNUS in Beschreibung der Stadt Franckfurth.

§. XVIII.

§. XVIII.

Post bellum hinc ortum atque quatuor fere annos inter *Pseudo* illum *Waldemarum* ejusque socios, & Ludovicos *seniorem* & *Romanum* Marchiones Brandenburgenses maximo Marchiæ detrimento gestum fraus illa tandem patuit, atque Ludovicus primum Romanus, cui senior frater Marchia cesserat, ejusque socius Waldemarus Rex Daniæ Alberto Duci Megalopolensi Magni Regis Sveciæ arbitrio reconciliati fuerant, cum prope Berolinum ad prœlium accincti starent, qua de re CRANZIUS *Hist. Dan.* lib. VII. c. 35. *Interea,* scribit, *causa extitit, per quam ludificati Principes multi: Inprimis Albertus jam Dux Magnopolensis & Otto Archiepiscopus Magdeburgensis, Rudolfus Dux Saxoniæ, & Albertus comes de Anhald: Marchionem Adulterinum defenderunt, adversus Ludovicum Rom. Regis filium, jam dudum illo Principatu investitum. Rex autem Waldemarus partes fovit Ludovici magno agmine movens in Ducem Magnopolensem Albertum: Et pervenit agmine suo per Pomeraniam sibi paratam ad oppidum usque Stargard, quod non diu resistere potuit oppugnanti. Secutus Regem Albertus, obsedit eum in oppido memorato. Sed cum audiret Albertus supervenire Romulum, Marchionis fratrem cum Exercitu, ut Regi subveniat, ne inter duos interciperetur, obsidionem relinquens, occurrit Romulo; Ibi conserto prœlio gravis pugna fortiter editur. Sed victoria fuit Alberti. Nam multis cæsis ad 400. cœpit. Romulus cum paucis vix elabitur. Rex audita fortuna partis suæ oppido egreditur, & auctis copiis per Ducem Stettinensem in vicina Ducis oppida ducit, & aliquot captis in Berlinum contendit obsidendum: Quæ Urbs senserat pro Waldemaro, quem Adulterinum Marchionem, Rom. Rex Carolus fertur supposuisse Bavaris. Ibi aliquot per Regem creatis militibus, obsidioni fortiter instatur. Secutus Albertus Dux cum copiis suis prælio se aptabat. Nec minus Rex suis instructis ordinibus tenebat, paratus excipere venientem. Tum utriusque Principis seniores adequitant, inter se locuti.*

Quid tanto petatur apparatu, nisi Christiani sanguinis profusio copiosa? Conducibilius fore pacis requirere consilia. Et inter se deliberantes de illis retulit quaeque pars Principi suo. Convenitur, ut arbitrum Causae facerent MAGNVM *Sueciae Regem, qui proximo Pentecostes festo rem omnem dirimat. Ita disceditur. Veniente autem praefinita die, Rex auditis partium allegationibus, ita rem diremit: Ut March. Romulus supra pecuniam, quam pro redimendis captivis Duci debebat, remitteret* HOMAGIALE SERVITIVM, *quod habebat in quibusdam terris olim Vandalicis, quas nunc tenebat Dux Magnopolensis. Insuper Romulus acciperet Ingeburgam filiam Alberti Ducis in Conjugem. Dos esset oppidum Lentze cum Territorio suo. Romulus pro Vetaliciis daret Sponsae Arnsberg, Werben, Parleberg cum attinentiis.*

§. XIX.

Interventu atque hortatu Waldemari Regis Daniae atque Erici Saxoniae Ducis ipse tandem Carolus Pseudo-Waldemarum reliquit, atque Ludovicum Romanum, receptis ab illo insignibus Imperialibus Noribergae anno MCCCLII. verum Marchiae Principem agnovit, ejusque contra Pseudo-Waldemari socios partes fuit amplexus. Ita enim idem scriptor capite XXXVI. *In hunc modum diremtis controversiis Principum, Rex Waldemarus, Romulus, Marchio (cui frater Ludovicus eam Provinciam permisit.) Ericus Dux Saxoniae adito Rom. Rege Carolo sciscitantur, cur adulterinum hominem Marchiae imposuisset, in grave praejudicium veritatis, & Principum? Quum in veritate Waldemarus, quem idolum illud praeferebat, esset defunctus. Rex illis satisfaciens, respondit: Non se levitate ulla, aut malignitate instinctum hoc egisse, sed Ottonis Archiepiscopi Magdeburgensis, Rudolphi Ducis Saxoniae, Alberti de Magnopoli Ducis & Alberti de Anehald Comitis sacramentis deceptum. Tum Rex Waldemarus, Et nos, inquit, parati sumus ostendere melioribus sacramentis eos pejeravisse.*

rasse. Ergo serenissime Princeps, muta Decretum. Cumque ad eorum Voluntatem Carolus Romulum declarasset Marchionem: Adulterinus ille id intelligens, latuit, & in ditionem Comitis de Anehald concedens in paupertate & calamitate vitam finivit in oppido Dessow. ALB. ARGENT. p. 156. *Convenerunt*, scribit, *Rex Carolus & Ludovicus Marchio in Nurenberg de Mense Aprili concordantes omnino. Et cum Rex non posset concordare occupatores Marchionatus, cum Marchione, quod cederent, ipse Marchioni adhærens alios coram se citavit*, FACTVMQVE MARCHIONEM *cum suis bannavit.*

§. XX.

Quod attinet ad Citationem Sociorum Pseudo-Waldemari, cujus ALB. ARGENT. meminit l. c. Norihergam illa facta fuit, ut e literis Imperatoris ad rebelles Cives Marchicos scriptis apparet, quas integras hic referre haud ab re fore arbitror, ita autem se habent: Karl von GOttes Gnaden Römischer König zu allen Zeiten mehrer des Reichs und König zu Beheim entbieten den Rahtmannen, und den Bürgern gemeinlich der Städte zu beyden Brandenburg, Berlin, Cöllen, Prentzlow, Patzenwalck, Angermünde, Tempelin, Perleberg, Pritzwalck, Kyritz, Havelberg, Nawen, Ratenaw, Görtzig, Strußberg, Eberswald, Bernaw, und zu Köpenick, unsern Lieben, Getreuen, unser Gnad und alles Gute. Alleine Wir vormahls, Marggraffen Waldemar, der uns für einen Marggraffen zu Brandenburg fürgeben ist, durch Unterweisung der, die solche Rede an uns bracht haben, belehnet haben, mit derselben Marcken, und auch den Anfall derselben Marcken, die Hochgebohrnen Rudolff, Hertzogen zu Sachsen, Oheims Kindern, und den von Anhalt verliehen haben, ob an den obgenandten Waldemar nicht geschehe, und darnach keinen andern für einen Marggraffen zu Brandenburg haben, nennen und halten wolten. Wann nun derselbe Waldemar biß an die Zeit, daß die vorgenandten Hertzog

Rudolffs von Sachsen, unsers Oheims Kinder und die von Anhalt umb dieselben Marcke, die die Heiligen Römischen Reichs eigen für manchen Zeiten gewesen ist, und noch ist, einer gantzen Süne Rechts und der Minne auf den König zu Schweden gegangen sind, zu unserm und des heiligen Reichs Schaden, daß davon geschwächet würde in seinen Rechten, ob daß so geschehe, daß der König von Schweden umb solche Zweyung, die billig und zu recht für uns und dem Reich entscheidet wird, recht Urtheil oder Minne geben oder finden sollte, doch sintemahl, daß der Hochgebohrne Ludwig Marggraff zu Brandenburg des Heiligen Römischen Reichs Obrister Cämmerer, Pfallantz-Graffe beym Reyn, und Hertzog in Bäyern, und in Kernten, unser lieber Oheim und Fürste, und seine Brüder, die das angehet, für uns und dem Reich beweisen, und bewahren wollen, als Sie zu rechte sollen, daß wir mit solcher Unterweisung, die uns gethan ist, daß es Marggraff Waldemar sein sollte, gäntzlich betrogen sein, und daß es der Marggraff Woldemar, Marggraffen Conrads seligen Sohn, des man sich lange tod versehen hat, nicht sey, und haben es beyde, der vorgenandte Marggraff Ludewig, und seine Brüder von uns gemutet, und begehret, daß wir in gerühten zu verliehen, was wir ihnen zu rechte verliehen solten, daß wir auch von Fürsten und von Herren, unsern und des Reichs getreuen unterweiset seyn, daß wir das billig und zu rechte zu thun pflichtig wären, daß haben wir dem obgenandten Marggraffen Ludewichen, und seinen Brüdern dieselben Marcke geliehen, als wir durch Unterweisung der Fürsten, und der Herren zu recht thun solten, und haben in des beyden seiten einem nahmhafften Tag beschieden gen Nürnberg, und was uns daselbst noch in beyder Rede und Beweisung die Fürsten und Herrn unser und des Reichs getreuen, die billig darumb erkennen, und sprechen, um alle Sachen beweisen, und bescheiden, dem wollen wir gäntzlich folgen, und wer uns daselbst für einen Marggraffen von denselben Fürsten.

ſten und Herren benennet, beweiſen und geben wird, den wollen wir daben laſſen und behalten, als wir unſern und des Reichs Fürſten billig und zu recht zu thun pflichtig ſein. Geben zu Prage des neheſten Sontag nach dem Heiligen Oſtertage. Im vierdten Jahr unſerm Reiche.

§. XXI.

Qua vero ratione in Comitiis illis Noribergam indictis cauſa hæc cognita, atque hominem illum, qui pro Waldemaro illuſtri hactenus ſe geſſerat, non Waldemarum, Conradi Marchionis filium, ſed Impoſtorem fuiſſe, a Ruperto Comite Palatino ad Rhenum probatum, publicaque ſententia pronunciatum fuerit, Carolus Imperator his ad Cives Ratenavienſes ſcriptis literis exponit:

WIr Carl von GOttes Gnaden Römiſcher König zu allen Zeiten mehrer des Reichs, und König zu Behmen, ſaſſen zum Gerichte zu Nirnberg des nechſten Dinſtages nach den Sontag ſo man Singet Quaſimodogeniti, und entbieten den Weiſen Leuten, dem Alten und den neuen Raht der Stadt zu Rathenau unſer Gnad und alles guts, und thun euch kund, daß wir zu richte gaſeſſen ſeyn als ein Römiſcher König von Rechte thun ſoll.

Da kam vor uns im Gerichte der Hochgebohr. Ruprecht Pfaltz-Graff beim Rein und Herzog zu Beyern unſer lieber Fürſt und Schwager, mit voller ganzen Gewalt, des Hochgebohrnen Ludewichs ſtat, Marggraff zu Brandenb. von der Ladung wegen die wir gethan hätten, Waldemarum den man nennet Marggraffen zu Brandenb. auch von ſeinen Helffer wegen die wir unverziglich dahin geladen hatten und betagſt auf Recht, und daß

Recht angenommen ward, mit recht und Gunst unsern guten Willen ihn bey der Kundschafft und Beweisung mit den Rechten zu beweisen, ob er es wäre Marggraff Woldemar Conradts Seel. Sohne zu Brandenb. oder nicht, da bewieß vor uns offenbahr im Gerichte der vorgenannte Ruprecht mit guter wahrer Kundschafft, daß er es nicht wäre Marggraffen Conradts Seel. Sohn, zu Brandenb. von des obgemeldete Ludewichs wegen Marggraff zu Brandenburg.

Und davon gebiethen wir euch von gerichts wegen von unser Königl. Gewalt, und bey unsern und des Reichs-Hulden, daß ihr euch nichts mehr kehret an denselben Woldemarn, wan er ungerecht ist, noch an seine Helffer, wan der vorgenannte Ludewig Marggraff zu Brandenb. mit unrecht aus der Marck Brandenburg geworffen ist, von deswegen den man nennete Marggraff Woldemarn, und solt auch unverziglich und ohne alle Wieder-Rede an den obgenanten Ludewigen dem Römern und Otten seinen Bruder Marggraffen zu Brandenb. und zu Lausitz, unsern lieben Oheimen und Fürsten halten und ihme Schweren, Hulden und Gehorsam thun, als euren rechten Herrn. Wan wir sie auch derselben Marck zu Brandenburg und des Landes zu Lausitz in nutz und gewehr gesetzt haben mit rechten Gerichte, und mit Urtheil, als ihre Brieffe Sprechen, die sie darieber haben, besiegelt mit unsern Hoffgerichts-Insiegel, die ihn mit uns von Urtheil darieber geben sind, und sollet von den Unrechten in daß Recht wieder kehren, wan es der obgenante Herzog Ruprecht vor uns und dem Gerichte mit rechten Urthel, also beweiset hat, daß Woldemar der sich nennet Marggraff zu Brandenburg ungerecht ist, und der vorgenante Ludewig Marggraff zu Brandenburg und seine genante Brüder gerecht seynd und rechte Marggraffen zu Brandenburg.

Darum

Darum thut bey ihme, als bey euren rechten Herrn, thut ihr daß nicht, wan es ihm mit gesambten Urtheil vor uns ertheilet ist, wir richten zu euch darum als recht ist; Duß senden wir euch vor Gerichte mit Urthel diesen Brieff besiegelt mit unsern Hoffgerichts-Insiegel der gegeben ist zu Nirnberg nach Christi Gebuhrt 1349. des Tages als vorgeschrieben stehet, im 4. Jahr unserer Reiche.

§. XXII.

In secutis tandem anno MCCCLVI. Comitiis Noribergensibus Ludovicum Romanum de Marchia Brandenburgensi solenni ritu fuisse investitum, HENR. REBDORFFIUS ad illum annum his verbis refert: *Mense Januario idem Imperator convocat Curiam in Nurenberg, in quo Archiepiscopi Moguntinensis, Coloniensis, Trevirensis, & alii Principes conveniunt Electores, & quam plures alii, sed filii Ludovici duo, Ludovicus Marchio Brandenburgensis, & Dux Stephanus ad hanc curiam non conveniunt, timentes potentiam Imperatoris prædicti. Ludovicus vero dictus Romanus, etiam filius Ludovici bene interfuit huic curiæ cum magno apparatu & de Marchionatu Brandenburgensi per Imperatorem est investitus ibidem.*

§. XXIII.

Quod vero ad Pseudo-Waldemarum porro attinet, eum ad Agnatos suos Principes Anhaltinos, quorum olim tutelam gesserit, se recepisse, & reliquum vitæ suæ tempus in honore, qui Principem decet, apud illos transegisse, CL. BECMANNUS *loco* supra *citato* scribit, sed ex ingenio atque sententiæ suæ hypothesi. Hominem illum econtrario Impostorem, atque vel Molitorem, vel Pistorem fuisse, olim Wolde-

Waldemari illustris famulum, desertúmque a Principibus, qui illum ad turbas excitandas subornaverant, ad pristinam fortunam rediisse, atque in summa paupertate obiisse, scriptorum probatorum testimoniis, aliisque a nobis allatis argumentis satis constare opinor. Eodem anno, videlicet MCCCLVI. quo LVDOVICVS *Romanus* de Marchia Brandenburgensi fuit investitus, impostorem illum obiisse, H. REBDORFFIVS ad illum annum testatur.

§. XXIV.

Id quoque Ludovicus Marchio Brandenburgensis egit, ut res in Mcrchia sua collapsas restitueret, quem in finem civibus, qui ipsi fidi manserant, inprimis Francofurtanis, beneficia atque privilegia largitus fuit, qui vero Pseudo-Waldemaro adhæserant, crimen perpetratum remisit, gratiamque obtulit, literis ad Berolinenses scriptis, quas integras referre haud penitus abs re fore existimo. Sunt vero tales:


Wy Lúdewich von Godes Gnaden Marggraffe tho Brandenburg und tho Lußnitz des Heiligen Römischen Riches Overste Kemmerer, Pfallentz Grave by Rin, Hertzoge tho Beyern und in Kernten, Grave tho Tyroll und tho Görtz, und Voigt der Godes húser Agglen, Trient und Brichsen, bekennen openbahr in düssen tegenwerdigen Brefe, dat wie alle schelinge, twydracht und gebrecken dy geschehen sin, túschen uns an eine Helfft, und die bescheiden Lüde die Bürger unser Stede Berlin und Cölln, und unse Erve Mann, die by si gestahn hebben, went an düssen Dag, an die anderhelfft, von dem dat Sie sick von uns gekehret hebben, von böser Anwisunge an den Mann, den me nennet Marggraffe Woldemar, und an die Heren, dy Hertogen von Sachsen, und dy von Anhalt, genzlicken em Vergeben hebben,

und

und vergeven mit dessen Breve, und en willen noch en schölen der nimmermehr gedencken, mit worden noch mit wercken; noch mit enger wracke lyves oder gudes, und an keinen Mann, by nahmen, hi sy Rathman, Scheppen, Schulte uth den wercken oder gemeinen, sunder all Geschichte di geschihn sind, bi namen, an Kopeken von Rode, und an den Joden, di scholen uth unsern Herten beschloten sin, und scholen si so liff hebben, als eftet nie geschien were, hebbe wie Si ock an eingen stücken vor unrechtigt, hier vormahls, dat löve wy Em mit dessen Brefe, dat wy des niet mehr duhn en willen noch en schölen, und na disser tidt engen unrecht up leggen, noch unsern Hofft-Lüden, oder Anbachtmannen gestaden, dat si sie vor unrechten, oder einge Gewalt duhn, ock schölen noch en Willen wi sy nicht verbuwen hebben, ock si Brieffe uns gegeben, wedder ire Brieffe di si hebben up ihre Rechtigkeit als Si deden do wi Otto Bucke verdreven, dy schöl wy em wedder geven, und schölen genzlicken dot sin, und kene macht mehr hebben? Ock so willen wi und schölen si by aller ihrer Rechtigkeit, Vriheit und ander gewohnheit behalden, dy sie mit Brieffen bewiesen mögen, offt sie em gegeven sin vom den Alden Fürsten in der Marcke tho Brandenborg, oder von unsen leven Vader Keyser Lodewiche, dem GOTT gnädig sy, oder von uns und unsen Brüdern, oder von Fürstinnen, und schölen em de betewen und nicht ergeven, dy wile dat wi Leven und unse nakömlinge na uns ewiglichen, ock schöl wi si alle bey ihren Gudern beholden man und Bürger, et si Lehen oder Erve, war sie dat hadden, ehr sie sick van uns Kehrden. Iß ock enig Lehn guth verandert binnen desser tidt, dat schöle wy lihen tu desser tidt ane Gifft, eck Love wy Em tho gelden redelicke Schulde, di wie em schuldig sin, oder unse Mann und Hoffgesinde von unser wegen, di sie uns bewisen mögen. Were ock dat uns enig Mann besegget würde, da schölen und willen, wy uns nicht ankehren, wi willen en erst tho der ander wort laten kamen. Und darüm tho getügnüsse

Nnnn hebben

hebben wie em gegeven dissen Breff mit unsern insigel versiegelt, da bey gewesen sin die Edellmann Grabe Ulrich von Lundow, unse leve Ohme und Hoffmann in der Marck, unde die Erbar Riddere Friederick von Lochen, Olde, Hasse, Wedege, Hasso von Falckenburg, genant von Wedell, Dybolt Hele, unse Marschalck, Hermann von Redern, Wilhelm Bomrecht unse Schencke, Peter von Bredow, und Hans von Rochow unse Liven Getreuen, unde dy Erbahre Mann Dyderich Mörner Provest tho dem Soldin, unse overste Schriver, unde andere vehle framer Lüde genuch. Die Brieff ist gegeven to Velde in dem Dorpe tho Tempelhoffe, nach Godes Bort 1300. Jahr in dem Ein und vefftigstem Jahre an dem Wridage an S. Marien Magdalenen Dage.





XVII.

JOHANNES MICHAELIS HEINECCIVS *Eisenberga* in Saxonia oriundus, IO. GOTTLIEB. HEINECCII JCti frater germanus natu maximus. Pater ei fuit *Johannes Michaelis Heineccius* Scholæ *Eisenbergensis* Collega pietate et meritis in juventute erudienda spectabilis, Mater *Dorothea Prüfferia*, Senatoris et mercatoris istius loci *Matthæi Prüfferi* filia. His parentibus d. 14. Dec. A. MDCLXXIV. in lucem editus et literis traditus, ob præcox et acre ingenium adeo profecit, ut jam A. MDCLXXXXIII. Jenam se contulerit, ibique, cum de omnibus partibus Philosophiæ vigesies disputasset, A. MDCLXXXXVI. Magister Philosophiæ renunciatus fuerit. Abiit eodem anno Francofortum ad Mœnum, et a D. IOBO LVDOLPHO in litteratura interiori Orientali per semestre instructus, petiit Academiam Giessensem, unde iter in Hollandiam et Belgicum ingressus est, et inter alios maximi nominis viros eruditos, cum PAPEBROCHIO e *Societate Jesu* familiaritatem contraxit, qui exinde

ipsum sæpius de rebus ad Historiam Ecclesiasticam pertinentibus literis compellavit. Ex Hollandia redux pedem Helmstadii fixit, et habita dissertatione de PAVLO διαλεγομένῳ, in Theologicis et Philosophicis Collegia cum applausu prælegere instituit, et ter decies disputavit. A. MDCLXXXXIX. Goslariam Diaconus ad Templum S. Petri et Pauli vocatus edidit ibidem *Antiquitates Goslarienses, nec non Syntagma Historicum de veteribus Germanorum aliarumque nationum sigillis.* Discessit vero indidem A. MDCCVIII. Halam, ibique Pastor ad Ædem S. Ulrici constitutus et Inspectori Circuli ad Salam D. Stissero fuit adjunctus, deinde Doctor Theologiæ A. MDCCIX. Helmstadii renunciatus, locum Consiliarii in Consistorio Ducatus Magdeburgici obtinuit, tandem Pastor Primarius ad Ædem D. Mariæ (U. L. Frauen) designatus fuit. Cum autem a Rege Magnæ Brittaniæ sparta Professoris Theologiæ Ordinarii in Academia Julia illi esset oblata, Rex Prussiæ, Nutritius Clementissimus A. MDCCXX. ipsum et donis affecit et vicem Superintendentis Generalis agere jussit. In matrimonium duxit A. MDCCIII. filiam natu maximam CHRISTIANI KRÜGERII, qui *Quedlimburgi* Consiliarius Dicasterii Ecclesiastici, (vulgo Consistorii,) et utriusque civitatis judex fuit. Tandem præmature et quidem omni sine prole A. MDCCXX. decessit.

Mirum sane, neque in oratione funebri, neque in vitæ curriculo tanti Viri mentionem de eo fieri, fuisse ipsum et Regiæ Societatis Scientiarum Brandenburgicæ Membrum, et publicasse Diatriben Genealogicam de *Domus Augustæ Prussico-Brandenburgicæ ex stirpe Carolina originibus;* cum alia tamen Viri meritissimi scripta ibidem commemorentur. Quamobrem eo magis congruum videtur, opusculum hoc in lucem iterum atque in memoriam revocare. Scripsit autem CELEBERR. AVCTOR hanc Diatriben Genealogicam Goslariæ et propriis impensis Quedlimburgi typis expressam Præsidi et Concilio Regiæ Societatis

Scien-

Scientiarum Brandenburgicæ ipsis Calendis Sept. MDCCVII. hujusmodi verbis exhibuit.

Alexandrum Severum, illum ἐν ὀλίγῳ Christianum Principem, Aelius Lampridius mirifice tradit *amavisse literatos homines, ac vehementer eosdem etiam reformidasse, ne quid de se asperum scriberent: hinc illos dignos adesse jussisse et singula quæque quæ publice privatimque ageret, se ipso docente, voluisse addiscere, si forte ipsi non affuissent, eaque petiisse, ut, si vera essent, in literas mitterent.* Animusne scelerum sibi conscius, an demissius quoddam de rebus suis judicium, Cæsarem hunc eo perduxerit, ut famae suæ metueret, non facile dixerim. Certe in illustri veluti quodam theatro constituti sunt Principes, eorumque laudanda facinora ita in omnium oculos incurrunt, ut incorrupto totius reipublicæ testimonio securis, non sit, quod malevolorum quorundam historicorum calamos pertimescant. Quanto sapientius itaque Hercules noster Musageta, FRIDERICVS REX AVGVSTISSIMVS, Majorum Suorum res pace belloque præclare gestas, a literatis cum cura scribi voluit, quum tanta sit Potentissimæ hujus Gentis, totque totius orbis testimoniis comprobatæ gloria, ut nulla audacium ingeniorum temeritate possit unquam labefactari? Non aliam enim Sapientissimo Principi mentem esse e luculento diplomate, quo Societatem Scientiarum Brandeburgicam felicissimis auspiciis instituit, palam esse judico. Cui literatorum albo ex quo et meum nomen, Vestro, VIRI EXCELLENTISSIMI, judicio adscriptum est, tantum abest, ut unquam ex animo mihi discesserit Regiae hujus voluntatis memoria, ut potius et mihi pro virili eo putaverim annitendum, ut ad Historiae Brandenburgicae incrementa qualemcunque symbolam conferrem. Et quidem nisi me animus fallit, votorum meorum summam vel aliquando demum me spero hac in re consecuturum. Interea, ut otii mei, cujus et Cato reddendam operam putat, apud Vos, VIRI EXCELLENTISSIMI, ratio constaret,

ret, ſuccinctam hanc Diatriben de DOMVS AVGVSTAE PRVSSICO-BRANDENBVRGICAE EX CAROLINA STIRPE ORIGINIBVS, judicio Veſtro ſubmitto. Quam licet oculis Veſtris dignam credere minime auſim; attamen vel titulus libelli me facile, ut confido, abſolvet. Non enim commentarios mitto, ſed ſuccinctam diatriben, hoc eſt, Schema genealogicum, addita aliquando juſta demonſtratione perpoliendum. Suſcipite itaque opellam, inter medias ſaevientis fortunae procellas a me chartae illitam, et patimini, ut a Splendidis Nominibus Veſtris ei lumen, quo deſtituitur, accedat. DEVS, cui et literarum optimarumque artium ſcientiæ curae cordique ſunt, Vos VIRI EXCELLENTISSIMI, ad ornandas augendasque ſciencias divinitus deſtinatos in ſeros usque Senectutis annos incolumes ſervet, Veſtraque fortunet conſilia, apud poſteros etiam ſtudioſi literarum animi teſtimonium incorruptum habitura.



XVII.

XVII.

DIATRIBE GENEALOGICA DE DOMVS AVGVSTAE PRVSSICO-BRANDE-BVRGICAE EX CAROLINA STIRPE ORIGINIBVS, NEC MINVS DE VTRIVSQVE STIRPIS CELEBRITATE.

SVMMARIA.

I. Generis nobilitas Imperantibus necessaria. II. Hinc multi Principes antiqui nobilitatem commentis augere studuêre. III. Etiam Francorum & Germanorum Principum genealogiæ ejusmodi laciniis auctæ. IV. Inprimis è Carolina gente multi origines suas studiose derivarunt. V. Probatur hoc exemplo Capetingorum Regum. VI. Imperatorum è stirpe Saxonica. VII. Vt & è stirpe Salica. VIII. Et è Suevica. IX. Sex. Domus Brandeburgica modo non uno â Carolingis potest derivari. X. Docetur primus modus Tabulis genealogicis IV. XI. Majores hodierni Regis potentissimi a Carolo M. recensentur. XII. Demonstratio harum tabularum alii occasioni reservatur. XIII. XIV. Observationes quaedam ad Tab. I. XV. Observationes ad Tab. II. & III. Dissensus Auctorum de Ita Rapotonis uxore docetur. Blondellus nostro Schemati contradicit. Etiam iuxta Blondelli Hypothesin Brandeb. Domus

Domus è Carolina descendit. XVI. Ostenduntur v. modi ex hypothesi ejus fluentes. Observ. ad Tab. iv. XVII. Conclusio de Brandenb. Gratis prae Carolina praerogativis. Vota pro Domo Augusta.

I.

Illustriorum natalium decus magnum apud Imperantes habere momentum, eosque, quibus illud diuino munere contigit, & majorem ad Imperium auctoritatem adferre, & praeclaris etiam patrum exemplis ad facinora egregia concitari, communis est, omniumque cordatorum hominum judiciis comprobata sententia. Licet enim virtus ubique nascatur, & viliori etiam sanguini animus ad majora natus sese nonnunquam immisceat: eminentior tamen animus divinitus concessus domesticis exemplis multo facilius perpolitur, celeriusque in triumphalibus cunis, quam in humili quodam Abderitarum tugurio adolescere creditur. Quo fit, ut ciues & nouitatem Principis saepenumero adspernentur, (a) & reuerentius habeant virtutes, quas nascendi sorte potius, quam umbratili institutione cum majestate conjunctas esse intelligunt.

(a) *Exemplo est* Marius *e triginta tyrannis, de quo vid. Trebell. Poll. cap. 7. de Trig. Tyr. p.* 326.

II.

Quae cum ita sint, ab omni seculorum memoria id sibi inprimis prouidendum existimarunt Principes, in summo fastigio constituti, ut generis sui nobilitatem vel iustis argumentis demonstrarent, vel infausto conatu anilium fabularum commentis eam emendicarent. Ludibrium humano generi debent Alexander M. (a), multique alii Principes, qui, cum ad summum in rebus humanis fastigium peruenissent, pertaesi humanarum originum, abdicatisque parenti-

bus,

bus, Diis se in adoptionem dederunt, conatu sane omnium prudentum judiciis deriso. Attamen, si recte calculum ponas, illos non alia ad hoc audendum induxit ratio, quam quod se eo impensius coli volebant a barbaris, qui Principes suos dudum consentienti suffragio consecrare consueuerant. Certe, quo minus serio illum delirasse existimemus, mira Alexandri prudentia, variaque dicteria illius, quibus sinistra de se judicia hominum elusit (*b*), prohibere videntur. Judaeorum historia nobis sistit Herodem Magnum, quem etsi satis illustri genere proselytorum Idumææ ortum, aegre tamen tulere ciues, eo quod nobilitatem Judaicam nullo sanguinis nexu contingeret. Cui malo quaerens remedium, omnes Judaeorum genealogias igne jussit aboleri, ne ab ullo, vel claritate natalium, vel majorum gloria vinceretur (*c*). Veteres Macedonum Reges ab Hercule (*d*), Lacedaemoniorum ab Eurysthene et Procle Heraclidis (*e*), Romanorum ab Anchisa et Venere (*f*) genus repetiisse, inter omnes constat. Ex Imperatorum vero numero etiam eos, qui peregrinos natales dissimulare non poterant, de illustriore tamen origine gloriatos esse legimus. Serv. Sulpitius Galba, cum nullo gradu Caesarum Domum contingeret, varia excogitauit, ne imperii sui auctoritas nouitatis contemtu evilesceret. Nam et *statuarum titulis*, Suetonio teste (*g*), *pronepotem se Q. Catuli Capitolini, semper adscripsit; &* *stemma in atrio palatii proposuit, quo paternam originem ad Jouem, maternam ad Pasiphaën, Minois uxorem referret.* Eodem consilio M. Salvius Otho a Principibus Hetruriae (*h*); A. Vitellius a Fauno, Aboriginum Rege, & Vitellia Diva (*i*) antiquae stirpis originem adseruerunt. Hadrianus gente Hispanus, Hadria tamen ortos Majores suos apud Italiam, Scipionum temporibus resedisse, in libris vitae suae ipse jactauit (*k*). Antoninus Philosophus, ejusdem nationis cum

 esset,

esset, *familiam suam in origines recurrentem*, ut est apud Julium Capitolinum (*l*), *a Numa sanguinem trahere* asseruit. Septimius Severus, is, qui Didio Juliano interfecto imperium obtinuit, Africâ licet oriundus, Majores tamen equites Romanos habuisse, videri volebat (*m*). Opilius Macrinus, *humili natus loco, & animi atque oris inverecundi, se tamen nunc Seuerum, nunc Antoninum, cum in odio esset omnium & hominum & militum, nuncupauit* (*n*), ut assumto Imperatoris olim familiae cognomento quodammodo imminueret, id quod & Heliogabalus fecit. Locupletissimus enim auctor est Aelius Lampridius (*o*), *id nomen usque adeo carum tum fuisse gentibus, ut etiam parricida Bassianus causa nominis amaretur.* Alexander quoque Severus, Mammææ filius, cum esset gente Syrus, domo Arcenensis, *volebat tamen*, ut tradit Lampridius, (*p*) *videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici, maxime quod quodam tempore festo, ut solebant, Antiochenses, Ægyptii, Alexandrini, lacessiverant eum convitiolis, Syrum archisynagogum eum vocantes & archierea.* Sed & Maximinus Senior, qui ex crasso Thracum aëre utroque parente barbaro fuerat natus, cum adhuc priuatus esset, barbara parentum nomina *Micca* & *Ababa* ipse prodidit, postea vero, ubi ad imperium accessit, occuli ea praecepit, ne utroque parente barbaro genitus Imperator esse videretur (*q*). Denique & Zenobiam, ut alios omittamus, origine a Cleopatris & Ptolemaeis repetita, imperio addidisse auctoritatem, a Trebellio Pollione (*r*) est memoriae proditum. Non est, quod plura exempla, quae passim historia commemorat, hic accumulemus. Neminem enim esse existimo, quin hos omnes, quos adhuc recensuimus, genus illustrius ideo mentitos esse, intelligat, quoniam majori auctoritate eos imperiis praeesse cognoverant, quibus nascentibus fortuna fumosas per atria ceras ostendisset.

(*a*) *Curt.*

(a) *Curt. lib. VI. cap. 11. n. 23. Dio Chrysostom. Orat. IV. aliique plures.*
(b) Plutarh. *Vit. Alexand. cap. XLIX.* hoc dictum Alexandro tribuit: *Cunctorum quidem esse mortalium Deum communem Parentem, sed peculiariter sibi optimum quemque adoptare.*
(c) *Josephus l. 14. c. 2. Antiqq. Jud. conf.* L. 1. c. 4. *sqq.* H. E. *Ambros.* L. 3. *in Luc.*
(d) *Vellej. Paterc. l. 1. c. 6. n. 5. Diodor. Sic. Lib. XVII. cap. 1.*
(e) *Nep. Vit. Agesil. Cap. I. n. 2.*
(f) *Virgil. lib. 1. Aeneid.* vers. 288.

Julius a magno demissum nomen Julo.

(g) *Sueton. Cap. II. Galb.*
(h) *Id. cap. I. Oth.*
(i) *Idem cap. I. Vitell.*
(k) *Spartian. Cap. I. Hadrian. p. 3.*
(l) *Jul. Capitolin. Cap. I. Anton. Phil. p. 40.*
(m) *Spartian. cap. I. Sever. p. 115.*
(n) *Jul. Capitolin. Cap. II. Opil. Macr. p. 168.*
(o) *Lamprid. Cap. I. Elagabal. p. 187.*
(p) *Idem in Alexandr. Sev. p. 226.*
(q) *J. Capitolin. Cap. I. Maximin. p. 252.*
(r) *Trebell. Poll. Cap. I. Zenob. p. 346.*

III.

Nec ille mos recentiore æuo obsoleuit, siquidem Principes Christiani æque, ac pagani generis sui antiquitatem, licet a nemine in dubium vocatam fictis originibus patiebantur augeri, ut eo major esset eorum imperantium auctoritas. Merovingicae stirpis Reges Francorum, fuerunt, qui a Trojani belli fabulosa aetate magno adparatu repeterent (*a*). Idem officii Hollandis quoque Comitibus praestare nonnulli voluerunt (*b*). Qui abrupta Carolina Stirpe Franciae occidentalis imperium adierunt, Capetingi ab Hugone Capeto dicti, Constantinopolitanorum Imperatorum

 posteros

posteros sese jactabant (c), ne generis splendore aut Merovingis, aut Carolingis viderentur minores. Maximiliano I, quo nemo fuit historiae genealogicae studiosior, oblata est genealogia, ab ipso Adamo deducta, cujus generis aliam a Iulio Caesare repetitam excogitauit Michaël Eyzingerus, aliusque nonnemo, merito hinc a Stumpfio derisus (d). E ceterorum Germaniae Principum familiis pene nulla fuit, quin Genealogias suas, ab imperitis hujus studii monachis, nimiae antiquitatis affectatione turbari passa sit. Tam solenne enim huic hominum generi erat, fabulosis fictisque e Romana etiam historia originibus Illustrioribus familiis palpum obtrudere (e), ut eandem sibi libertatem sumsisse videantur, quam vetustis Romanae historiae auctoribus concedendam putat T. Liuius (f), cujus en verba, tanto scriptore dignissima: *Datur haec venia Antiquitati, ut miscendo humana diuinis primordia urbium* (adde & familiarum,) *augustiora faciat.* Atque inde factum est, ut si prima Genealogiarum lustremus capita, vix nobis constet, utrum Hesiodi aliorumque Poëtarum θεογονίας, an veras maximarum familiarum origines lectitemus (g).

(a) *Trithem. l. de Orig. Franc. ap. Schard. Tom. I. Rer. Germ. Francisc. de Rosier. Stemmat. Lotharing. ac Barri Ducum. Paris.* 1580. *F.*

(b) *Barland. Hist. Comit. Holland. Cap. I. p.* 284.

(c) *Blondell. Tom. II. Geneal. Franc. Cap. X. p.* 347.

(d) *Stumpf. Lib. VII. de Aergonia. Cap.* 12. & 13. *p.* 207. *sqq.*

(e) *Meibom. not. ad Levold. Northov. orig. Marc. p.* 412. *Tom. I. Rer. Germ.*

(f) *Liv. praef. Hist.*

(g) *Exemplo esse poterunt origines Ducum Cliuiae, quas enarrat* Frid. Lucæ *Part. I. Atr. Comit. p.* 203.

IV.

IV.

Sed haec tam clara ſunt, atque extra omnem dubitationis aleam poſita, ut probatione prolixiore non indigeant. Magis curioſa notatuque dignior eſt obſeruatio Johannis Jacobi Chiffletii (a), quo nemo majori animo atque adparatu uberiore inſtructus manum ad ſcribendum adpulit. Is enim in hiſtoriarum lectione hoc etiam praecipue adnotauit, quod iam inde a multis ſæculis magno ſibi honori hoc duxerint Illuſtriores familiae, ſi ullo gradu Auguſtam Carolingorum Domum ſe contingere, probare potuiſſent. Quam Chiffletii obſeruationem, ſi paucis illuſtrauero, non puto me operam perditurum.

(a) *Chifflet. Vindic. Hiſp.* 1. *cap.* 3.

V.

Conſtat igitur inter omnes, Carolingorum progeniem maſculam in Ottone quidem Duce Lotharingiae, Caroli filio, ineunte Saeculo undecimo, defeciſſe. Attamen cum ſorores hic haberet ſuperſtites, qui ſummis tum principibus in torum conceſſerant, dubium nemini eſt, quin & aliae familiae iſtam materno ſanguine attingere potuerint. Atque inde factum eſt, ut multi magnum in iſthac cognatione ponerent praeſidium, iſtosque natales certatim affectarent. In occidentali Francia, extincta Carolina gente, Hugo Capetus nouam ſtirpem in Domum regnatricem intulit. Hunc vero Carolinae originis fuiſſe, dici non poteſt, quanto molimine probare annitantur Scriptores Francici; non alio certe conſilio, quam ut hodiernae regnatricis familiae progenitorem jure Carolingis ſubrogatum oſtenderent. Speciminis loco afferam Blondelli (a) tabulas, quibus hoc negotium conficere ſtuduit.

(a) *Blondell. Tom. II. Geneal. Franc. Cap. X. p.* 378.

TABVLA I.

CAROLVS M.

Pippinus Rex Italiae *Vxor* Bertha — Ludovicus *Pius.*

Bernardus *Rex.*

Pippinus

Herbertus I.

Beatrix *nupsit* Roberto *Regi*

Hugo *Magnus*

Hugo CAPETVS.

TAB. II.

CAROLVS M.

Pippinus *Rex Italiae.* — Ludouicus Pius.

Lotharius *Imper.* — Ludouicus *Rex, Vxor* Emma. — Carolus *Calvus Imp.* — Adelhais *nupsit* Roberto *forti.*

Hatvvi *nupsit* Ottoni *Duci Sax.*

Henricus *Auceps. Vxor* Mathildis.

Hadvvidis *nupsit* Hugoni M.

HVGO CAPETVS.

TABV-

TABVLA III.

CAROLVS MAGNVS.

- Pippinus *Rex.*
- Ludouicus *Pius.*
  - Lotharius *Imp.*
  - Ludouicus *Germ.*
  - Carolus *Calvus Imp.*
  - Adelhais *nupſit* Roberto *forti*
    - Robertus *Rex.* *Vxor* Beatrix.
      - Hugo *Magnus.* *Vxor* Haduvidis.
        - HVGO CAPETVS.

Tribus igitur diuerſis viis inceſſit Blondellus, ut Hugonem Capetum modo non uno Carolinae originis eſſe probaret. Sed num haec omnia recte ſe habeant, meum non eſt, hic multis diſquirere, cum admoneat promiſſae breuitatis fides, quanto omnia transcurſu dicenda ſint. Aliter ſane res viſa eſt Chiffletio, qui Capetingos non niſi intermedia Gente Auſtriaca a Carolingis deriuari poſſe ante Blondellum demonſtrauerat. Nobis id ſufficit, quod Reges Galliae Carolinae originis eſſe cupidiſſimos probauerimus.

VI.

Eadem quoque res in Germania noſtra accidit. Henrico enim Aucupi ad Imperium, ſummis licet virtutibus, enitenti, nihil magis quam diuerſa a Carolingis familia obfuit. Vix auſpicatus erat imperium, cum æmulos ſe illi objicerent Everhardus Palatinus & Giſelbertus Lotharingus, qui originis Carolinae fulgore elati, graviter ferebant Saxonis Imperium, ſeque potiore jure Germanis imperaturos, crede-

credebant. Hinc ventum ad arma, & acri praelio decertatum eſt, quo oppreſſus Everhardus, Giſelbertus vero in fuga Rheno ſubmerſus, ſpem imperii cum vita dimiſere. Multis hoc bellum memoriae proditum eſt a Hroſwitha Gandersheimenſi (*a*), Ottone Friſingenſi (*b*), aliisque pluribus, ſed omiſſa fere cauſa tanti certaminis, quam auctores ſuos ſecuti pandunt nobis Stumpfius (*c*) & Frider. Lucæ (*d*), digni ideo, qui hic conferantur. Scio equidem, Blondellum in tabulis ſupra delineatis Henrici Aucupis matrem conſtanter vocare Hatwi, eamque Ludovici Germanici filiam dicere; Sed cum illius Regis hiſtoria admodum dubia ſit, eique alii Hatwi, alii Luitgardin, alii aliam matrem tribuant, nec de ea quidem re hic multum contendam, ne extra oleas vagari videar.

(*a*) *Hroswitha Gand. de geſt. Othon. I. p.* 167. *edit. Reuber.*
(*b*) *Otto Friſing. Lib. VI. cap.* 19. *p.* 127. *edit. Vrſtis.*
(*c*) *Stumpfius l.* 11.
(*d*) *Frider. Lucæ Ἀτr. Princ. Part.* 11. *c.* 2. *p.* 262.

VII.

Abrupta & Saxonicae gentis ſtirpe inſequentes Imperatores, partum tot Principum ſuffragiis honorem natalium Carolingicorum ſplendore tuebantur. Conradi II. Imperio permultum præſidii fuit in Giſela uxore, quam a Carolo M. deſcendere, nemini tum erat ignotum. Vnde frequenter apud horum temporum ſcriptores audiuntur verſiculi (*a*):

Quando poſt decimam numeratur linea quarta
De CAROLO M. *proceſſit* GISELA *prudens.*

Quos verſiculos cum dudum explicauerit Chiffletius; nos nihil addemus, quam quae in veteri quodam *codice Membranaceo MSto,* quo etiam Annales Fuldenſes, a Piſtorio, Frehero aliisque editi, continebantur, ſine auctore inuenimus.

Genealo-

Genealogia *Giselae* Imperatricis ex veteri Codice MSto.

„Karlmannus *sub* theodeberto *fratre* theoderici *major* „*domus in austrifrancia extitit. Hic genuit* Pippinum. *Quem* „Lutharius *rex cum regnorum trium monarchiam solus obtinuisset.* „*id est. burgundie cui præfatus* Theodoricus. *&* *austrifrancie cui* „*præfuerat* Theodebertus *&* Neustrie *cui præfuit ipse cum filio* „*suo* Dagoberto *Austrifranciam gubernare direxit. Qui* Pippi- „nus *genuit* Grimoaldum, *qui sub* Sigiberto *filio* Dagoberti „*major domus in austrifrancia extitit. Cujus sorores fuerunt sancta* „Gertrudis *&* Begga. Beggam Jangisus *filius sancti* Arnolfi „*uxorem duxit. De qua genuit* Pippinum *seniorem & Ducem.* „*Qui* Theodericum *regen filium* Clodovei *fratris* Sigiberti *in* „*testricio pugnans obtinuit & sub eo major domus trium regnorum* „*extitit. Anno ab incarnacione Domini DCLXXXIII. Hic cum habe-* „*ret uxorem* poletrudem, *de qua genuit* Grimoaldum. *aliam su-* „*perduxit uxorem, de qua genuit* Karolum *seniorem & Ducem, qui* „*obtinuit Principatum annis XXVII.* Karolus *filius superato Helperico* „*& Raginfrido genuit* Pippinum *regem &* Karlmannum *postea* „*monachum.* Pippinus *rex* Karlmannum *genuit &* Karolum „*regem post Imperatorem.* Karolus *Imperator genuit* Karlum *&* „Pippinum *regem Italie. &* Ludouicum *regem equitanie post sci-* „*licet Imperatorem:* Ludouicus *Imperator genuit* Lotharium *Im-* „*peratorem post Brunne monachum factum. &* Pippinum *regem* „*equitanie &* Ludouicum *Regem Noricorum ex* Erminde. *Ex* „Judith *vero* Karlum *calvum post Imperatorem. Quorum tres.* „Lutharius. Ludouicus *&* Karolus *& nepos eorum* Pippinus. „*filius* Pippini *fratris eorum bellum habuerunt in fontanide. in pa-* „*go Antisiodorensi.* Lutharius *ergo Imperator ex quatuor fratribus* „*primus genuit* Ludouicum *Imperatorem & Karolum Prouincie ac* „*Burgundie regem, &* Lutharium, *qui excommunicatus per Vuat-* „*drada finem fecit illi successioni.* Pippinus *rex equitanie ex qua-* „*tuor fratribus alterum genuit* Pippinum, *quem* Karlus *patruus*

„*suus totondit in Monasterio sancti Metardi & sic finem fecit illa* „*successio.* Ludouicus *rex Noricorum ex quatuor fratribus tercius* „*genuit* Karlum, Ludouicum & Karlmannum. *Qui* Karl„mannus *genuit* Arnolfum. Arnolfus Cendebaldum & Lu„dovicum *sic & illa successio deperiit:* Karolus *ex quatuor fratri*„*bus quartus omnibus supervixit & imperium obtinuit ordinatus a* „*Johanne bono Papa. Qui genuit* Ludouicum, *qui compendio* „*quiescit:* Ludouicus *genuit* Ludouicum & Karlmannum & „Karolum, *Quem postea Heribertus unxit.* Karolus *genuit* Lu„douuicum, *qui mare transiit.* Ludouuicus *genuit* Lotha„rium *regem &* Karolum *fratrem ejus. Quorum sororem, filiam* „*videlicet* Ludouuici *regis,* Chunradus *rex Burgundie in uxorem* „*duxit, ex qua genuit* Ruodolfum *regem ac sororem ejus nomine* „--* deest nomen, *quam* Hermannus *dux Alamannie accipiens, genuit ex ea* Gisilam *Imperatricem, que modo gloriosissima Imperatori* Chuonrado *feliciter conregnat.*

Hactenus genealogiae Giselae e Codice MSto excerpta, ex qua perspicuum est, lineas illas quatuordecim ita constituendas esse.

I. KARLMANNVS

II. Pippinus.	II. S. Arnulphus.
III. Begga, *quae*	III. Ansegiso.

nupsit

IV. Pippinus *Senior.*
V. Carolus *Senior sive Martellus.*
VI. Pippinus *Rex.*
VII. Carolus *Magnus.*
VIII. Hludeuuicus *Pius.*
IX. Carolus *Caluus.*
X. Ludouicus *Balbus.*

XI. Lu-

XI. Ludouicus *Transmarinus.*
XII. N. *Vxor* Conradi *Reg. Burgund.*
XIII. N. *Vxor* Hermanni *Ducis Alem.*
XIV. GISELA. *Vxor prius* Ernesti *Ducis Alem. postea* Conradi II. *Imperatoris.*

Videntur etiam Salici Imperatores, ex Gisela hac descendentes, multum sibi de Carolina prosapia esse gratulati. Quo factum etiam est, ut omnes fere Carolingorum mores, tanquam ipsorum posteri, accurate retinerent, quod vel unico tantum specimine ex eorum sigillis probare licebit. Carolingis propriam veluti fuisse hanc sigillorum perigraphen: † XPE PROTEGE HLVDOVVICVM REGEM. † XPE PROTEGE HLVDOVVICVM IMP. atque hujus generis alias (*b*), notum est & prouocatum. Eam vero ipsi paulatim deseruerunt Carolingi, ejusque in locum adoptarunt formulas: DEI MISERICORDIA, vel DEI GRATIA (*c*). At Henricus IV. Imperator, Carolinas sibi asserturus origines, majorum suorum formulam reuocauit, sigilloque cuidam suo inscripsit CHRISTE PROTEGE HENRICVM REGEM. Plura non addimus, cum haec omnia fusius in Opere nostro *de Veteribus Germanorum aliarumque nationum sigillis*, quod jam sub prelo est, simus exsecuti.

(*a*) *Wippo in Vit. Conr. II. Sal. ap. Pistor. Tom. III. Rer. Germ.*

(*b*) *Carolus, Ludovicus Pius, & Ludovicus Germanicus plerumque sunt usi formula:* XPE PROTEGE, *Lotharius Imp. ejusque filius Lotharius Rex,* XPE ADIVVA. *Carolus Calvus bullae blumbeae inscripsit:* † IHV NATE DEI CAROLVM DEFENDE POTENTER. *Baluz. Capitular. tom. 2. p.* 1284. *Quas formulas omnes ex Graeca* ΒΟΗΘΕΙ ΘΕΟΣ, *&c. natas esse, eleganter docuit Carol. du Fresne dissert. de num. Byzant. n.* 28.

n. 28. p. 23. Conf. Mabillon. Lib. II. c. 16. n. 8. p. 138. de R. D. & Opus nostrum Historicum de veteribus Germanorum aliarumque nationum Sigillis P. I. c. 9. §. 15.

(*c*) *Primus ex Carolingis ea usus est Carolus Calvus Imp. Mabillon Lib. 5. Tab. 31. n. 1. p. 407. & Tab. 32. p. 409. de R. D. Baluz. Part. II. Capitular. Reg. Franc. p. 1284. Vid. Syntagm. n. Hist. de re sigillari P. I. §. 9. §. 26.*

VIII.

Extincta & hac stirpe, Lotharioque intercalari veluti Imperatore, sine prole virili exspirante, Hohenstauffiorum Gens rempublicam capessivit, quae non minus ac Salica Carolingorum gentem inter majores cum summa gloria numerabat, eo quod Friderico Comiti ab Hohenstauffen, a quo tota familia deriuatur, uxor fuisset Agnes, Henrici IV. Imp. filia, Giselae, de qua supra diximus, Proneptis. Hinc, cum electo Lothario II. Hohenstaufii praeterirentur, Otto Frisingensis (*a*), qui & ipse ejusdem maternae originis erat, insignem ei familiae injuriam factam asserit, quod illius nulla habita sit ratio, cum tamen emortuam Salicorum Domum, ipsamque adeo Carolinam familiam sanguinis propinquitate attigerint. Hinc indignabundo similis: *Ecce, inquit, Henrico V. mortuo,* CONSANGVINEI EIVS, *qui tunc in regno praecipui nominis & quasi* REGII CVLMINIS *per hoc securi erant, non solum ad regnum non eliguntur, sed & apposito super se Rege plurimum affliguntur & conculcantur.* Postea vero, quum Conradus Lothario esset suffectus, hic princeps istum generis sui splendorem tanti habuit, ut ideo omnes anteriores Reges & Imperatores PARENTES SVOS in publicis monumentis vocaret, cum tamen neminem e gente Hohenstauffia ante se imperium tenuisse sciret. Sic enim ad Johannem Comnenum Imperatorem Byzantinum scribit (*b*): *Vt* PARENTES NOSTRI, *videlicet Romanorum Imperatores, antecessores nostri ad*

antecess-

antecessores vestros, scilicet regnum & populum Graecorum constituerunt, constituo, & sicut servarunt, conservabo. Ex quibus apertum esse judico, Imperatores tantum non omnes stirpis Carolinae fuisse quam cupidissimos, maximoque sibi honori duxisse, si istam ullo pacto attingere viderentur.

(a) *Otto Frising. Lib. VII. Chron. cap. 24. p. 153. ap. Vrstis. Tom. I. Rer. Germ.*

(b) *Idem L. 1. de Gest. Frider. I. cap. 23. p. 419.*

IX.

Sed nec hodienum ea laus aestimari ab aliis, ab aliis affectari desiit. Supra laudatus Chiffletius (*a*), Wendelinus (*b*) aliique plures Austriacam gentem modo non uno a Carolingis deriuari posse docuerunt. Idem de Regibus Galliae Dan. Blondellus (*c*); de Lotharingiae Ducibus Francisc. de Rosieriis (*d*) infelix scriptor, & extremo supplicio vix ereptus; de Serenissimis Ducibus Brunsvico-Luneburgensibus Auctor memoriae funebris sapientissimi Principis, Johannis Friderici Brunsvic. & Luneb. quondam Ducis (*e*) demonstratum iverunt. At quam multas numerare possem etiam minoris dignitatis familias (*f*), quae Carolinas sibi origines non eadem omnes felicitate tribuunt? Verum enim vero Augusta Domus brandenbvrgica hoc etiam natalium decus inter innumerabilia alia, quae orbis terrarum stupet, cum gente Austriaca commune habet, ut nexu non uno cum Carolingis conjungatur. Cum igitur aliis adhuc libuerit, Romanas Regiae huic Genti asserere origines, licebit & mihi Carolinam prosapiam breuiter percurrere, eamque per foeminas in Zolleranos, atque inde in Marchiones Brandenburgicos deriuare. Licet enim ea sit potentissimae Gentis gloria, ut domestica exempla abunde inveniat, quae & Caro-

 lingo-

lingorum & antiquissimorum quoque principum laudibus opponat; facile tamen etiam intempestivus venerationis æstus inveniet veniam, meque a temeritatis crimine absoluet.

(a) *Chifflet. in var. Script. velut. Vindic. Hispan. Novis Luminib. Lampadib. Histqris, Stemmate Austriaco, &c.*

(b) *Gotfr. Wendelin. in Legib. Salic. illustrat.*

(c) *Blondell. in Geneal. Francic. pleniore assert. Tomis II. edita Amstelod. ex typographeio Joh. Blaeu, anno 1654.*

(d) *Francisc. Rosier. in Stemmat. Lotharing. ac Barri Ducum, Paris. 1580.*

(e) *Memoria Funebr. Joh. Friderici Duc. Brunsv. Luneb.*

(f) *De gente Comitum Flandriae hoc ostendere voluit Oliv. Vred. in variis Scriptis, inprimis de Sigill. Comit. Flandriae & inscriptionib. Diplomat. ab iis editorum. Brugis Flandr. ap. Jo. Baptist. Kerchov, anno 1639. F. Gentem Dominorum de Sohier ad Carolinam referri videmus, dans La veritable Origine de la tres-illustre Maison de Sohier, &c. a Leyden chez Francois Hacke, 1661. in forma regia. Dominorum de Weichs familiae idem decus asserere laborat Dn. D. Berthold. Conrad. Behrens in dedicat. Fastis Carolinis praemissa.*

X.

Quo vero clariora omnia sint, dabo primum tabulas genealogicas, easque deinde breui exegesi illustrabo, demonstrationes utpote prolixiores alio tempore adjecturus.

TABV-

TABVLA GENEALOGICA I.

CARLOMANNVS *Major Domus in Austri-Francia sub Theodeberto Rege anno 578.*

PIPPINVS *Austrifr. Gubernator.*

Grimoaldus *Major Domus in Austrifr. an. 650.* | S. Gertrudis. | BEGGA *nupta* Jangiso *vel* Ansegiso, *filio* S. Arnulfi.

PIPPINVS *Dux Senior Major Domus trium Regnorum.* *Vxores* 1) Piletrudis. 2) Alpiadis. anno 684.

Grimoaldus. *Martyr.* | Drogo. | S. Sylvius. | Notburgis *miraculis clara.* | CAROLVS *Dux Senior. Martellus Fr. Princeps.* †. 741.

PIPPINVS *Rex,* †. 768. | Cripho *anno 753. a fratre oppressus.* | Carolomannus *Monachus.*

Carolomannus †. 771. | CAROLVS M. *Imp.* †. 814.

Pippinus *Rex Italiae* † 810. *Vxor* Bertha. | Carolus *Rex Burgundiae.* | LVDOVICVS *Pius Imp.* †. 840. *Vxores* 1) Erminde. 2) Juditha.

Bernardus *a Ludouico Pio, oppressus* 818.

Lotharius *Imp.* 856. | Pippinus *R. Aquit.* | Ludouicus *Rex Noric.* † 876. | CAROLVS *Calvus Imp.* † 877. *vid.* TAB. II.

Ludouicus II. *Imp.* †. 875. | Carolus *Prouinc. & Burg. Rex.* † 858. | Lotharius *Rex Lotharing.* † 869.

Pippinus *Monachus S. Medardi,* 852.

Carolus *crassus* 888. | Ludouicus † 882. | Carolomannus † 880.

Arnulf. *Imp.* †. 899.

Ludouicus † 911. | Centebold. †. 900.

TABVLA II.

CAROLVS CALVVS IMP. †. 877.
Vxor Ermentrudis.

LVDOVICVS *Balbus*, *Rex*. † 879.
Vxor Ansgardis.

LVDOVICVS †. 881.

Carlomannus †884.

CAROLVS *Simplex*. †. 929.

LVDOVICVS *Transmarinus*. †. 954.

Lotharius †986.

Ludovicus †987.

CAROLVS *Dux Lotharingiae*. *Vxor* Bona, *Soror Godefridi Comit. Ardennensis*.

N. *nupsit* Conrado *Burgundo*.

Otto *cum Patre captus* ἄπαις *obiit*.

ERMENGARDIS *nupsit* Alberto I. *Comiti Namurcensi*.

Vid. TAB. III.

TABV-

TABVLA III.

ERMENGARDIS *nupsit* ALBERTO, *quem alii vocant Carolum, Comiti Namurc.*

HADWIGIS *Vxor* Gerardi *Ducis Lotharing. Sup.*

ITA *nupsit* Rapotoni *Comiti Altenb. Habsburg*, 1035.

WERNERVS *Com. Altenb.* † 1096. *Conj.* Rigilinda. — Otho 1046. — Albertus † 1052. — Richensa.

Ita *nupsit Comiti de Thierstein.* — Wernherus *Episc. Argentin.* 1065. † 1079. — Adelbertus *Conj.* Judenta. — OTHO *Comes de Habsburg.* 1110. *Conj.* Hilla de Pfirt.

Wernher. II. *Comes Habs. Conj.* Ita *de Homb.*

Adelheidis *nupsit Comiti de Henneb.* — Rudolfus — Wernherus 1159. *Conj.* Gertrud. *de Starckenb.*

ALBERTVS *Conj.* Ita de *Pfullend.* — Richensa *nupsit Comiti de Pfirt.* — Gertrudis *nupsit Comiti de Monspeliard.*

RVDOLFVS *Conj.* Agnes *de Stauffen.* — N. *nupsit Comiti de Leiningen.*

Gertrudis *nupsit* Ludov. *Comiti de Homberg.* — Heilwig *nupsit* Hermanno *de Hompurg.* — Rudolfus *unde Comites Habsburg.* — ALBERTVS *Com. de Habsburg. Conj.* Heilwig *de Kyburg.*

ELISABETHA *aliis* Agnes *nupsit* Eitelfriderico *Zollerensi.* — Martha *Monialis Adelbusensis.* — Heinricus — Hartmannus. — Carolus *Canonicus Basileensis.* — Rudolfus I. *Rex Roman.* † 1291. *Vnde Archiduces Austriae.*

Vid. TAB. IV.

TABVLA IV.

ELISABETHA *aliis* Agnes *de Habsburg* } *nupsit* EITELFRIDERICO *Comiti de Zollern.*

FRIDERICVS I. *Burggravius Norimbergensis.*

FRIDERICVS II. *Burggravius. Norimberg.*

IOHANNES I.

FRIDERICVS IV. *Burggravius.*

FRIDERICVS V. *Burggravius Norimbergensis, primus ex hac familia Elector Brandeb.*

vid. TAB. *sequ.* V.

TABVLA V.

exhibens continuationem per Electores Brandenburgicos.

FRIDERICVS I. *Elector* † 1440. *Conj.* Elisabetha *Bavarica.*

Fridericus II. *Elector cum ferreis dentibus.*

ALBERTVS *Achilles Germanicus, Elect.* 1486. *Conj.* 1). Margar. *Badensis.* 2). Anna *Saxonica.*

IOHANNES *Cicero German.* † 1499. *Conj.* Margaretha *Saxon.*

IOACHIMVS I. *Elector Nestor German.* † 1535. *Conj.* Elisabetha, *Danica.*

IOACHIMVS II. *Elect.* † 1571. *Vxores* 1) Magdalena, *Saxon.* 2) Hedvvig, *Polonica.*

IOH. GEORGIVS *Elector* † 1598. *Conj.* 1) Sophia, *Lignicensis.* 2) Sabina *Brandenb.* 3) Elisab. *Anhalt.*

IOACHIMVS FRIDERICVS, *Elect.* † 1608. *Conj.* 1) Catharina, *Brandenb.* 2) Eleonora, *Prussica.*

IOHANNES SIGISMVNDVS, *Elect.* † 1619. *Conj.* Anna *Brandeb. Prussica.*

GEORGIVS WILHELMVS, *Elect.* † 1640. *Conj.* Elisabetha Charlotta, *Palatina.*

FRIDERICVS WILHELMVS MAGNVS, *Elect.* † 1688.

Conj. 1. Louisa Henrietta *Arausionensis.*

- Wilhelmus Henricus. † 1649.
- Carolus Æmilius † 1674.
- FRIDERICVS REX *Prussiæ Elect. Brand. nat. Regiomont.* 1657.
  - *Conj.* 1. Elisabetha Henrietta, *Hassiaca:* † 1683.
    - Louisa Dorothea Sophia *nupserat* Friderico *Principi Juventutis Hass.* † 1705.
  - *Conj.* 2. Sophia Charlotta, *Brunsv. Luneb.* † 1705.
    - Frider. August. † 1686.
    - FRIDERICVS WILHELMVS *Regni Hæres. Conj.* Sophia Dorothea, *Brunsvico Luneb.*
- Henrico † 1664.
- Amalia. † 1665.
- Ludovicus † 1687 *Conj.* Louisa Charlotta, *Radzivilia.*

Conj. 2. Dorothea, *Holsatica.*

- Philippus Wilhelm. *Ducatus Magdeb. Gubern. nat.* 1669. *Conj.* Joh. Charlotta, *Anhaltina.*
  - Friderica Dorothea Henrica, *nat.* 1700.
- Maria Amalia *nat.* 1670. *Conj.* Mauritii Wilhelmi *Ducis Saxo-Cizens.* 1689.
- Albertus Fridericus, *nat.* 1672 *Conj.* Maria Dorothea *Curlandica*
  - Anna Sophia Dorothea, 1706.
- Carolus Philippus † 1695
- Elisab. Sophia *Marchionissa Baruthensis.*
- Dorothea † 1676.
- Christianus Ludovicus *nat.* 1677.

XI.

Quod si igitur per omnes Tabulas a Carolmanno ad sacratissimum Prussiae Regem descendas, triginta septem veluti gradus inter utrumque interjectos esse, animaduertes, quos sequenti serie exhibemus:

CARLMANNVS.

1. Pippinus.
2. Begga.
3. Pippinus senior.
4. Carolus Martellus.
5. Pippinus Rex.
6. CAROLVS M. Imp.
7. Ludouicus Pius. } Imperat.
8. Carolus Calvus. } Imperat.
9. Ludouicus Balbus. } Imperat.
10. Carolus Simplex.
11. Ludouicus Transmarinus.
12. Carolus Dux Lothar.
13. ERMENGARD. Vxor Alberti Namurcens.
14. Hadvvidis Vxor Gerardi de Lothoring.
15. ITA Vxor Rapotonis de Habsburg.
16. Wernherus II. } Comites Habsburg.
17. Wernherus III. } Comites Habsburg.
18. Otho. } Comites Habsburg.
19. Wernherus. } Comites Habsburg.
20. Albertus. } Comites Habsburg.
21. Rudolfus, Rudolfi I. Reg. Rom. avus. } Comites Habsburg.
22. Albertus. } Comites Habsburg.

23. ELISABETHA nupsit Eitelfriderico Zollerensi.

24. Fridericus I.	Burggravii Noribergens.
25. Fridericus II.	
26. Johannes I.	
27. Fridericus IV.	
28. FRIDERICVS I.	Electores Brandenburgici.
29. Albertus.	
30. Johannes.	
31. Joachimus I.	
32. Joachimus II.	
33. Joh. Georg.	
34. Joach. Frider.	
35. Jo. Sigismund.	
36. Georg. Wilhelmus.	
37. Fridericus Wilhelmus Magnus.	

FRIDERICVS REX.

Fridericus Wilhelmus, Regni Haeres.

XII.

Jam ut ea, quae in tabulis uno veluti schemate oculis subjecimus, succincta quadam exegesi illustremus, non opus esse putamus, ut totam genealogiae propositae seriem percurrentes, singulos FRIDERICI, REGIS Augustissimi Majores seorsim describamus, aut nexus singulos multis argumentis probemus; (Id enim non diatriben brevem genealogicam esset conscribere, sed justam historiam, magnis vix voluminibus absoluendam) sed satisfecisse nobis videbimur, si vel ea tantum, quae in controuersiam veniunt, paucis exequamur, ut tantum quos Auctores secuti simus, eo magis perspe-

perspectum Lectores habeant: demonstrationem vero uberiorem alii occasioni reseruamus.

XIII.

Prima itaque tabula vix poterit a quopiam in dubium vocari, cum omnes, non modo Francici Scriptores a Duchesnio editi, verum etiam praecipui, qui inter Genealogiarum Scriptores nomen aliquod habent, auctores miro consensu eam agnoscant genuinam. Quam ad Carolum M. usque dedimus successionem, eam firmat magnopere stemma Giselae e Codice MSto supra (*a*) laudato exscriptum, cujus eo major nobis fides esse debet, quod illius auctor, quicunque demum sit, Conradi II. Imperatoris fuerit æqualis, atque adeo ad indagandos Giselae Majores sufficienti adparatu instructus esse potuerit (*b*). Pauca tamen sunt, quae aliunde suppleuimus. Sic Karlomanno, Majori Domus in Austrifrancia annum adscripsimus DLXXVIII, quod eo tempore illum vixisse docent Codicis laudati verba: *Karlomannus sub Theodeberto, fratre Theoderici, Major Domus in Austrifrancia extitit.* Hoc vero circiter tempore Theodebertum illum, Theoderici fratrem, Childeberti filium, Metensi seu Austrasiae regno praefuisse, ex Aimonio (*c*) patet. Similibus igitur argumentis adducti, etiam aliis annum in tabulae hujus priore parte adjecimus. Pippinum seniorem ad secunda vota transiisse, omnes historici uno ore fatentur, ipsumque etiam MScum nostrum hisce verbis confirmat: *Hic* (Pippinus) *cum haberet uxorem Pilitrudem, de qua genuit Grimoaldum, aliam superduxit uxorem, de qua genuit Karolum seniorem & Ducem.* Sed cum nomen posterioris siue uxoris, siue concubinae sit praetermissum, restitui illud ex aliis, qui Alpiadi mulieri huic fuisse nomen tradunt, quam vivae Piletrudi pessimo exemplo superduxerit Pipinus, Lamberto

Trajectensi ad Mosam Episcopo factum hoc grauissimis verbis improbante, atque ideo a Dragone, fratre Alpiadis cruenta nece sublato (*d*). Fallit ergo Blondus, qui non modo Calpiadem vocat, sed et multo prius illam, quam Piletrudem a Pippino in matrimonio habitam adserit. Alii vero Auctores, qui Carolum Martellum vitio natum referunt, facile veniam merentur; siquidem ex injustis potius nuptiis, quam legitimo toro illum prodiisse nouerant. Porro et auctores meos secutus sum, dum Carolo Martello, cui unicum fratrem, Grimoaldum, Codex MScus tribuit, binos alios adjeci, Drogonem alterum, alterum Silvium, ut et Sororem Notburgem, quos ideo omisisse videtur stemmatis illius Auctor, quoniam sacris sese mancipantes exercitiis, parum celebritatis essent consecuti. Et Grimoaldus quidem, fortissimus Christianae fidei adsertor, Leodii purpurea morte periit, ibidemque in æde D. Jacobi inuenit conditorium; Siluius incredibili vitae sanctimonia in Diuorum numerum referri meruit; Notburgis vero Coloniae sepulcro illata diu miraculis claruisse fertur (*e*). Cetera omnia tam sunt explorata, ut explicationem ullam si adderem, actum mihi agere viderer.

(*a*) *n.* VII.

(*b*) *Patet hoc ex verbis ultimis:* Genuit ex ea Gisilam, quae MODO gloriosissimo Imperatori Chuonrado feliciter CONREGNAT.

(*c*) *Aimon. Lib. III. cap. 84. conf. Schurtzfleisch. Histor. Burgund.*

(*d*) *Barland histor. Duc. Brabant. cap. V. p. 113.*

(*e*) *Idem Cap. III. p. 112.*

XIV.

Cetera, quae in tabula prima supersunt, omnia ex idoneis auctoribus abunde demonstrata sunt a Chiffletio (*a*), Blondello

Blondello (b), Opmeero (c), Mabillonio (d), Henningesio (e), aliisque scriptoribus praestantissimis. Nos hoc unicum tantum monemus, quod Bernardum, Pippini Regis Italiae filium anno 818 majestatis crimine oppressum esse, non ut plerisque aliis videtur, anno 817, Reginonis auctoritate (f) adseramus.

(a) *Chiffl. Vindic. Hisp. I. cap.* 10.
(b) *Blondell. Tom. II. Assert. Geneal. Franc. p.* 250.
(c) *Opmeerus Op. Chronograph. Orb. univ. Tom. I. p.* 360.
(d) *Mabillon. Supplem. Op. de Re Dipl.*
(e) *Henninges. Tom. I. Theatri Geneal. p.* 28.
(f) *Regino ad ann.* 818.

XV.

In Tabula II, non minus ac in prima omnia tam clara sunt ac perspicua, ut a nemine, quantum scio, vocentur in dubium. Ludouicum Balbum alii Imperatorem, nos Regem vocauimus, eo quod praeter illorum temporum morem Imperator fuerit sine Roma et Italia, ac a Reginone ipso (a) tantum *in regnum Patri successisse* dicatur. Praecipua controuersia est de Ermengardis posteritate, quam Tabula III. designauimus. Cum vero in ea totius genealogiae cardo vertatur, rem, de qua discepatur, paucis tantum indicabo. Ermengardim itaque in torum concessisse siue Alberti, siue Caroli Comitis Namurcensis, constanter ab omnibus fere scriptoribus adseri video: Id enim et Chiffletius (b), et Henningesius (c) diserte tradunt, nec ipse negare videtur Blondellus. Attamen hic in eo totus est (d), ut Itam Rapotonis Habsburgici conjugem ex Hadwide Brabantina et Gerardo Lotharingo non esse natam, contra Chiffletium contendat. Et fatemur quidem ultro, magnum esse de Itae hujus natalibus apud auctores dissensum. Stumpfius (e) qui

qui Comitum Altenburgo-Habsburgensium genealogiam ex chronicis et monimentis Murensibus accuratissime composuit, de Rapotone ejusque conjuge Itta hunc in modum disserit: Rapoto der dritt Graaff zu Altenburg, und der ander sun Graaff Cunzlius, der sol erstlich die veste Habspurg gebawen haben, als auch zum teil aus der Chronicken zu Muri vermerckt wirt, da unter anderem geschriben stadt, daß Rapoto die gegne um Muri mit gewalt besässen, und für sein ererbt gut geachtet, auch gewaltiger denn hievor sein Vater, beherrschet, &c. da habe er ein Hauß gebauet, &c. doch stadt der nam Habspurg nit ausdrücklich darbey. Dieweyl aber Günthram und Concelinus hievor allein Graven zu Altenburg, &c. ist zu vermuten, daß er Hapspurg gebawt habe. Im ward vermählet Ita ein Tochter Hertzog Carlins von Lothringen, und ein leybliche schwester hertzog Dietrichs von Lotharingen und Bischoff Wernharii von Straßburg. Sy waß auch ein schwester Graaff Cunen von Rhynfelden müterhalb, von dem besich die Geburttafel. Tres igitur diuersi patres tribuuntur huic Ittae, a Stumpfio nimirum Carolus Dux Lotharingiae; a Chiffletio Gerardus, itidem Lotharingiae Dux, et a Blondello Fridericus, Ottonis Ducis filius, Riciuini I. nepos. Excederem profecto Diatribes breuioris limites, si singulorum rationes et fundamenta prolixius excuterem. Hinc meam tantum sententiam hic depromam, quae alio forte loco multis argumentis in tuto poterit collocari. Crediderim igitur, Stumpfium, qui monumenta Murensia ipse cum cura perlustrauit, omnium rectissime scripsisse, Ittam parente usam esse Carolo, Duce Lotharingiae; Chiffletium vero nomen tantum mutasse, auctores suos secutum, re ipsa cum Stumpfio eadem dicere: Blondellum denique, cui venalem calamum fuisse, multi tradunt, hypothesi hac in re serviisse. Sed haec, inquam, alio loco ad liquidum perducam. Jam id modo obseruo, quod

quod ſi vel maxime a Chiffletio, quem ego ſecutus ſum, diſcedas, omnesque Blondelli hypotheſes tuas facias, nihilominus tamen plures ſint nexus, quibus Brandenburgica Domus cum Carolina poſſit conjungi. Quod ne cuiquam ſit dubium, ex ipſius Blondelli mente Itae proſapiam exponemus.

(a) *Regino ad ann.* 877.
(b) *Chifflet. l. c.*
(c) *Henninges l. c.*
(d) *Blondell. l. c. p.* 376. *ſeq. Stumpf. Lib. VII. de Aergouia, cap. XII. et XIII. p.* 207. 209. *b. ſeq.*

XVI.

En ergo quinque alios diuerſos modos, ad ipſius Blondelli mentem et hypotheſes compoſitos, quibus ſingulis non minus ac noſtro illo, hactenus propoſito, Brandenburgica Domus cum Carolina connectitur. In tabulis totidem eos redegi, non quaſi veros putem, ſed quod magnum in eo momentum videatur poſitum, ſi ex contrariis etiam Auctorum ſententiis, veritas tamen eadem conſequatur.

MODUS I.

juxta Blondelli hypotheses.

CAROLUS MAGNUS.

Pippinus, *Rex Italiæ.* Carolus, *Rex Burgundiæ.* Ludouicus *Pius, Imp.*

Bernhardus, *Rex.*

Pippinus

Herbertus I.

Beatrix *nupsit* Roberto *Regi.*

Hugo *Magnus,*
Uxor Hadvvidis

Hugo *Capetus Rex.* Beatrix *nupsit* Friderico.

ITA *nupsit* RAPOTONI *Comiti Habsburg.*

Wernherus, *Com. Altenb. Habsb.* Otto. Albertus. Richeusa.

vid. sup. n. X. TAB. III.

MODUS II.

juxta hypotheses Blondelli.

CAROLUS MAGNUS.

Pippinus *Rex Ital.* Carolus *Rex Burgund.* LUDOVICUS PIUS

Lotharius, *Imp.* Pippinus, *Rex Aquit.* LUDOVICUS, *Rex Noric.* *Uxor* Emma. Carolus *Calvus, Imp.*

HATWI *nupsit* OTTONI, *Duci Saxon.*

HENRICUS AUCEPS, *Conj. Mathildis.*

HATWIDIS, *nupsit* HUGONI M.

Hugo *Capetus, Rex.* BEATRIX *nupsit* FRIDERICO,

ITA *nupsit* RAPOTONI *Comiti de Habsburg.*

Vid. TAB. III. supra Num. X.

MODUS

MODVS III.

juxta hypotheses Blondelli.

CAROLVS MAGNVS.

Pippinus *Rex Ital.* | Carolus *Rex Burgund.* | LVDOVICVS PIVS, *Imperator.*

Lotharius *Imp.* | ADELHAIS *nupsit* 1) Conrado, 2) Roberto *forti.* | Pippinus *Rex Aquitan.* | Ludouicus, *Rex Noricorum.* | Carolus *Calvus Imp.*

ROBERTVS, *Rex* *Conj.* Beatrix.

HVGO MAGNVS. *Conj.* Hadwidis.

Hugo *Capetus,* | BEATRIX *nupsit* FRIDERICO.

ITA *nupsit* RAPOTONI *Comiti Habsburgensi.*

Vid. sup. num. X. TAB. III.

MODVS IV.
juxta hypotheses Blondelli.

CAROLVS MAGNVS.

Pippinus *Rex ital.* | Carolus *Rex Burgund.* | LVDOVICVS PIVS, *Imp.*

LOTHARIVS *Imp.* | Pippinus *Rex Aquit.* | Ludouicus *Rex Noric.* | Carolus *Calvus. Imp.*

Ludouicus II. *Imp.* | Carolus *Rex Provinc. & Burgund.* | Lotharius *Rex Lotharingiae.* | ERMENGARDIS *nupsit* GISELBERTO.

RICVINVS I. *Conj.* Friderach.

OTTO *Dux.* *Conj.* Cunegundis.

FRIDERICVS I. *Conj.* Beatrix.

ITA *nupsit* RAPOTONI, *Comiti de Habsb.*

vid. supr. N. X. TAB. III.

MODVS V.
juxta hypotheses Blondelli.

CAROLVS MAGNVS.

Pippinus *Rex Italiae.* | Carolus *Rex Burgund.* | LVDOVICVS PIVS, *Imp.*

Lotharius I. *Imp.* | Pippinus, *Rex Aquit.* | Ludouicus, *Rex Noric.* | CAROLVS *Calvus*, *Imp.* *Conj.* Ermentrudis.

LVDOVICVS *Balbus.* *Conj.* Ansgardis.

ERMENTRVDIS *nupsit* N.

CVNEGVNDIS *nupsit* OTTONI *Duci.*

FRIDERICVS I. *Conj.* Beatrix.

ITA *nupsit* RAPOTONI, *Comiti de Habsburg.*

vid. num. X. TAB. III.

Jam omnes itaque vident, ſive Chiffletio, ſive Blondello aſſentiamur, Brandenburgicam tamen gentem ex Carolina prono veluti alueo fluere, atque adeo contrarias utriusque hypotheſes in hoc ipſo mira concordia conſpirare. Reſtat igitur ut ad Tabulam III. ſupra N. X. exhibitam veluti e diuerticulo redeamus. Othoni Comiti Habsburgico, qui anno 1150. vixit, Stumpfius uxorem jungit Itam de Homberg, Blondellus Hillam de Pfirt, Itam vero de Homberg conjugem dat Wernero II, quem Stumpfius omittit. Reſtituendum tamen illum putaui ideo, quod et alios video Blondellum hac in re eſſe ſecutos. Cetera omnia ex Stumpfio, Guillemanni Habsburgicis, Blondello aliisque ſunt perſpicua. Nec conjugium Eliſabethae (Agnetem alii vocant) Habsburgicae cum Eitelfriderico Zollerenſi a quoquam in dubium vocatur. Cum illud genealogi quiuis accuratiſſimi miro ſuo conſenſu non parum confirment (a). Denique et Tabula IV. a nemine temere impugnabitur, cum ex incorruptis monumentis a Spenero, Henningeſio, Renſchenio, Reinero Reineccio aliisque ſit comprobata. Potius confido, fore, ut omnes genealogici ſtudii amantiores, ſi paulo majori cura ipſa ſtemmata Carolina, Lotharingica, Habsburgica et Zollerana perpenderint, arctum illum, quem inter Carolinam Brandenburgicamque Domos intercedere dixi, ſanguinis nexum, ſuapte induſtria, dummodo ſchema noſtrum contenderint, ſint inventuri:

(a) *Vid. Stumpf. l. c. Henningeſ. P. II. p. 207.*

XVII.

Haec ſunt, quae hac de re in mentem venerunt, ſpeciminis tantum loco in chartam conjecta, cum vix quicquam praeter ſchemata capiat paucarum plagellarum ambitus. Sequetur tamen aliquando juſta Demonſtratio, qua commiſſis inter ſe Chiffletio et Blondello, perſpicuum fore conſi-

confido, ſchema a nobis propoſitum, quo Chiffletium, Stumpffium et Guillemannum praecipue ſumus ſecuti, firmioribus, quam Blondelliana illa, fundamentis niti. Itaque ferias interim calamo indicam, ſi quantum Brandenburgica Domus Carolingos Majores ſuos ſupergreſſa ſit, paucis indicauero. Neminem itaque fugit, Domum Carolinam unicum habuiſſe Carolum M., de quo potuerit gloriari, cui Brandenburgica facile Albertum, Achillem Germaniae, Fridericos, Joachimos, et qui miro melioris orbis ſuffragio Magni nomen eſt conſecutus, FRIDERICVM WILHELMVM, conſilio, felicitate, armis victoriisque maximos oppoſuerit. Deinde & obſeruatum jam eſt ab aliis, Carolingorum potentiam magis ſubinde magisque fuiſſe imminutam fraternisque diſcordiis demum fere totam defeciſſe; cum e contrario Brandeburgica Domus divino munere jam inde ab incunabulis ſumma paulatim ceperit incrementa, in illudque faſtigium hodie adſcenderit, ut ab vniuerſa Europa tanquam quoddam ſecuritatis ſuae palladium ſuſpiciatur. Denique et diuturnitate imperii Carolingica Domus a Regia Brandenburgica ſuperatur, tribus propemodum circumactis ſeculis, ex quo haec ad Electoralem dignitatem adſpirauit, cum illa a Pippino, qui primus Regium nomen in familiam ſuam intulit, ad Ludouicum, quo cum anno 987 Regia dignitas exſpirauit, vix ducentos triginta quinque annos numeret. DEVS *vero, Stator ac Conſeruator Regni Pruſſici, cuſtodiat protegatque hunc ſtatum, hanc felicitatem, tot vndiquaque Prouinciis communem, ac inprimis ſeruatum in ſeros annos Auguſtiſſimum* REGEM, REGN*ique* HAEREDEM *incomparabilem, Nepotibus Pronepotibusque beet, utrique quam ſimillimis, ut ſera poſteritas aeternum videat Imperium, omnibusque caſibus ſuperius, donec decretorius ille mundi dies et regna quaevis et ipſum hoc univerſum abolebit.*

ELENCHUS

SCRIPTORUM OMNIUM, QUOS PRIMUS HIC TOMUS COMPLECTITUR.



INDEX

INDEX.

A.

Galli

H. I. | I.

I.

Johan-

M.

M. N. O.

N.

O.

P.

R.

S.

S.

Soltwe-

S. | S. T.

T.









